



UNIVERSITY of MICHIGAN
GENERAL LIBRARY
OCTAVIA WILLIAMS BATES
BEQUEST



JACOBI SADOLETI
S. R. E. CARDINALIS
EPISTOLÆ
QUOTQUOT EXTANT

PROPRIO NOMINE SCRIPTÆ

NUNC PRIMUM

DUPLO AUCTIORES

IN LUCEM EDITÆ.

PARS TERTIA ET ULTIMA

ADJECTIS

INDICIBUS NECESSARIIS ET OPPORTUNIS.



ROMÆ, CIƆIƆCCLXIV.

EXCUDEBAT GENEROSUS SALOMONIUS

PRÆSIDUM FACULTATE.

EMINENTISS. ET REVERENDISS. PRINCIPI

JOSEPHO MARIÆ CASTELLO

S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI

VINCENTIUS ALEXANDER CONSTANTIUS F.



UÆ duo, PRINCEPS EMINENTISSIME, in clarorum virorum monumentis evolvendis homines eruditos præcipue oblectant, eorumque mentes in admira-

mirationem quam maxime ra-
piunt; rerum videlicet ſumma
gravitas, eaque eximio quodam
orationis nitore elegantiaque
exornata: hæc in Jacobi Sado-
leti Cardinalis Epiſtolas con-
venire, nemo eſt qui ignoret.
Quum enim ab ineunte ætate
omnes eas diſciplinas, quæ ab
humanitate nomen habent, ce-
leriter arripuiſſet vir præſtantiſ-
ſimus, quodque admirabilius
eſt in tam corruptis ſuorum tem-
porum moribus iis ſaluberrimis
inſtitutis imbuiſſet egregiam in-
dolem animi ſui, quæ ad om-
nium ſalutem utilitatemque cu-
randam plurimum valent; ubi
rerum uſus publicarum acceſſit,
tantam in agendo prudentiam,
in ſcribendo facundiam adeptus
eſt, ut nihil illius Epiſtolis lima-
tius, nihil gravius, nihil in om-

ni genere perfectius possit desiderari. Neque fuit ei magnopere elaborandum, ut gravissimis illis gerendis muneribus admoveretur, in quibus doctrinæ & eloquentiæ suæ vires explicare utilius splendidiusque posset. Ipsa statim Respublica ei ultro occurrit, mandatisque præcipuis magistratibus ejus ope carere noluit. Nec sua illam fefellit opinio. A Leone enim X. primum, postea a Clemente VII. Pontificibus maximis ad negotia publica vocatus, factusque ab eodem Leone Carpentoractensis in Gallia Episcopus, nullas sibi reliquas fecit solertiæ, justitiæ, sedulitatis partes, quibus peragendis magnum apud omnes gentes optimi doctissimique præsulis nomen sibi comparavit. Hinc a Paulo III. P.M.

invitus ac præter omnem expectationem suam ad sublimem Cardinalatus honorem evectus, & ad difficillima Christianæ Reipublicæ negotia moderanda adhibitus, sic in Catholica veritate tuenda versatus est, ut magnum Apostolicæ Sedi cum stabilitatis præsidium in eo, tum dignitatis ornamentum fuerit constitutum. Ac si tempus fuit ullum quo accedere ad Rempublicam debuerit homo ingenti doctrina, eloquentia, prudentiaque præditus, tum profecto fuit, quum patrocinio pacis inter Christianos Principes penitus excluso, gravissimæ illæ in Ecclesia Dei hæresum tempestates obortæ sunt. Nam quum ipsam Religionem seditiosorum hominum impietate ubique perturbari oppugnarique videret;

Ponti-

Pontifici Maximo author fuit; ut & ſolutam Sacerdotum diſciplinam novis legibus adſtringeret, & præſtantes rerum ſcientia morumque integritate viros etiam latentes nolenteſque ad Eccleſiaſticos honores evocaret, & Concilium Œcumenicum indiceret: quo facto opinione majorem eſt gloriam conſequutus. Tanti Cardinalis imaginem, eamque non leviter adumbratam, ſed altis expreſſam lineamentis in his quas nunc tandem evulgamus illius Epiſtolis, dum Tibi exhibere cogitavi, PRINCEPS EMINENTISSIME, mihi propemodum ſum reſtitutus: jamdiu enim verebar, quum tot ac tanta tua in me meoſque ſint merita, tantumque Eminentiæ Tuæ debeam, quantum commemo-

rare vix possum, ne non mihi saltem aliquid suppeteret, quod tamquam grati addictissimique Tibi animi mei testem adhiberem. Ad quem enim justius optimi & eloquentissimi Cardinalis Epistolas mitteremus, quam ad eum itidem Cardinalem, quem propter summam vitæ integritatem excellentemque virtutem præcipue admiramur; cujus animi magnitudo profusaque in egenos liberalitas omnium sermone celebratur; de quo ecquis est qui ignoret, quæcumque in Ecclesiastico Principe postulanda sunt, in eo excellenter inesse, ingenium, consilium, prudentiam, doctrinam, & quæ his laudabiliora sunt, quoniam Christianis moribus sunt propiora, pietatem præterea, con-

tinen-

tinentiam, religionem. Neque verò aliter de Te Sanctissimus Dominus Noster CLEMENS XIII. judicavit, qui simulac Pontifex Maximus factus est, statim gravissimo S. Spiritus *Præceptoris* munere ultrò tuæ fidei curæque demandato, vix anno elapso Te nihil tale cogitantem in amplissimum Purpuratorum Patrum Senatum bonis omnibus plaudentibus cooptavit, gravioribusque negotiis præfecit utriusque potestatis. Nam & inter delectos Cardinales qui *Sacræ Inquisitionis officio*, qui Ecclesiasticæ *disciplinæ* præsunt, eosque præterea, qui *Concilii Tridentini Interpretes* vocantur Te retulit, & *S. Congregationis de Propaganda Fide* (cui ego meam quantulacumque ea est ope-

ram impendo) primum a consultationibus, deindè *Præfectum* esse voluit, quo in munere gerendo nullis vigiliis laboribusque parcens ita versaris, ut optimi omnique virtutum genere ornatissimi Cardinalis Josephi Spinelli superiore anno nobis erepti desiderium, æquiore animo feramus. Accessit ad egregias quibus exornaris animi dotes, cùm eximia juris utriusque & Sacræ Theologiæ cognitio; tum singularis quædam in optimarum artium studiosos comitas ac benevolentia: qua ego præcipue fretus has SADOLETI Cardinalis Epistolas tuo nomini dicatas ad Te mitto. Quod si hoc grati mei erga Te animi monumentum hilari, ut spero, fronte exceperis, ad cetera quibus

me

me jam cumulare dignatùs es beneficia, magnus recenti hac tua benignitate cumulus accedet. Romæ ex Tabulario S. C. de Prop. Fide Kalend. Maii M. DCC. LXIV.

IMPRI-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

D.G. Archiep. Nicomed. Viceſg.

APPROBATIO.

E Loquentiſſimi Cardinalis Jacobi Sadoleti Epiſtolas Familiares in hac tertia parte ſivè quarto & ultimo totius collectionis volumine contentas, quas cl. vir Vincentius Alexander Conſtantius hiſtoricis illuſtravit notis, juſſu Reverendiſſimi Patris Thomæ Auguſtini Ricchinii S. P. A. Magiſtri attentè perlegimus: Qaumque nihil in eis reperiatur, quod Chriſtianæ pietatis moribus inſtitutiſve adverſetur, quin potius multa nec exigua tum ad fovendum veræ Religionis ſtudium, tùm ad optimi Antiſtitis partes ſuſtinendas argumenta, miro quodam Latini ſermonis nitore ac ſuavitate non minùs in Epiſtolis quam in ſubjectis ad illas animadverſionibus ſint expoſita; dignas profecto eſſe cenſemus, quæ litteratorum commodo publici juris fiant, quum præſertim ad S. Tridentini Concilii ejuſque ætatis hiſtoriam Eccleſiaſticam, Civilem, & litterariam illuſtrandam, plurima eaque graviſſima ſuppeditent documenta. Romæ Kal. Maii MDCCLXIV.

Rayinundus Alberici Presb. Sec. Oratorii Rom.
Philippus Laurentius Dioniſi.

IMPRIMATUR,

Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius Ordinis Prædicatorum Sac. Pal. Apoſt. Magiſter.

SE-

SERIES
EPISTOLARUM
HUJUS TERTIÆ ET ULTIMÆ PARTIS.

Epistolæ nunc primum collectæ, quæ scilicet reliquis cum seorsum, tum Veronæ cum ceteris Sadoleti operibus editis accesserunt, hac nota † *obsignantur.*

ANNO M. D. XXXVIII.

CCCV.

ANNO M.D.XXXIX.

† CCCXXIV.

† CCCXLIV.

ANNO M. D. XLI.

CCCLXXXVII.

ANNO M.D.XLII.

ANNO M.D.XLIII.

AN-

ANNO M.D.XLIV.

ANNO M.D.XLV.

CCCCXXVI.

ANNO M. D. XLVI.

ANNO M. D. XLVII.

JACO-



JACOBI SADOLETI
EPISTOLARUM FAMILIARIUM
PARS TERTIA.

ANNO M.D.XXXVIII.

EPISTOLA CCXCV.

JAC. SAD. CAR. GEORG. DUCI SAXON. S.P.D.

Quae pro Christiana Repub. dederat consilia, respondet cum suis esse consentanea. De Concilio Vicentiae indicto multis agit, & cur ad nonnullos haereticos homines humaniter scripserit, ostendit.



SUperioribus diebus, cum accepissem tuas, non solum elegantissime verum etiam prudentissimè scriptas literas: ipseque ex gravi morbo nondum recreatus etiam tum nonnihil laborarem, ut domo pedem nequirem efferre; non potui ita cito illis ut cupiebam respondere: quanquam me & officium stimularet, & amor: mihique eam curam injiceret, ut sapientissimi Ducis & optimi, partam mihi benevolentiam,

qua munus nullum majus a quoquam expectare potui; studiosè ac diligenter mihi tuendam putarem. Sed, ut dictum apud veteres est, necessitati ne Deos quidem ipsos repugnare, sic me corporis imbecillitas differre totum hoc negotium coegit, maxima mea quidem cum molestia. Quid enim mihi jam optatius, quam quo uno modo fieri potest, per literas videlicet colloqui tecum? quem habeo prope unum hoc tempore, de cujus virtute, sapientia, pietate, præstantissimum judicium faciam: & in cujus humanitate & benevolentia erga me, animus meus præcipuè requiescat? Sed, ut dixi, vis fuit quæ me impediit quo minus quod summè cupiebam facere id exequique possem. Quam tu vim, & quam meam tarditatem cunctationemque in rescribendo pro tua illa singulari naturæ clementia æqui boni consules. Etsi his paucis diebus dedi ad te literas (a) breves illas quidem, sed tamen testes hujus ejusdem & animi mei, & voluntatis. Post illas autem datas, cum factus essem aliquanto firmior, nihil antiquius habui, quam adire ad summum Pontificem, eique literas tuas ostendere. Quæ, ut erant, sic illi videbantur planè accuratè scriptæ, & persapienter. Neque vero ille tacitum habuit, neque de tuis virtutibus non amplissime est locutus. Sed cum maxima significatione sui erga te amoris, & commendatione laudum tuarum; totum pene curriculum vitæ tuæ mihi exposuit. Quid tibi ipse, quid sancta Apostolica Sedes deberet, quibus te non operibus solum, sed etiam beneficiis cunctum Christianum nomen compre-

(a) Eas habes in part. II. num. CCXCIII. pag. 518.

prehendisses. Hæc ego etsi vel omnia, vel multo maxima ex parte per me intelligebam; tamen non mediocri afficiebar lætitia, cum audiebam summum virum summi etiam principis voce & testimonio laudari. Itaque hoc tibi plane confirmo, si qua sit res, quæ tibi videatur ad commodum, aut honorem tuum pertinere, quam Pontifex ipse efficere possit; facile se apud eum & auctoritate & gratia, vel me ipso interprete, vel alio quovis valiturum. Non enim ipse minus gratus est quam prudens. Et cum per prudentiam optimè discernat, qui sint de Republica meriti; tum autem bonitate & beneficentia erga eos est propensus. Sed hæc hactenus. Nunc veniamus ad eas partes Epistolæ tuæ, quæ maximam curam in respondendo requirunt. Quarum omnium præclare abs te positum illud fundamentum est, te semper existimasse, statum orbis terræ commode regi non posse, si qui præsunt, & imperium obtinent, ii non singulari inter se consensu animorum sint conjuncti. Præesse autem Pontificem Max. Ecclesiæ, Imperatorem orbi, ut ambos necesse sit pia conspiratione ad salutem cunctorum esse copulatos. Hæc ratio conspirationis & concordiæ inter duos summos Principes & mihi maxime probata est, & abs te verissimè affertur: nec dubitarem quin valitura esset, idque efficeret, quod tu potissime optas, si talia semper essent Principum ingenia, quale tuum est, Dux sapientissimè, quale eorum qui Reipub. bono non suis cupiditatibus addicti sunt, quorum minima semper, ut tute optimè nosti, fuit multitudo. Pauci enim omnibus extiterunt seculis, quibus potior esset publicæ, quam

privatæ rei cura, qui singulari quidem sua cum gloria & in veterum monumentis, & in nostris sermonibus adhuc vivunt. Sed tamen ille virtutis splendor animis prava affectione corruptis, minime notus est. Cum ergo aut Pontifex sui officii immemor, posthabita ratione recti atque honesti, privatas suas utilitates persequitur: & unde maxime eas se adepturum sperat, eo totus fertur cupiditate & studio: aut Imperator libidine dominandi, Pontificibus metum appetitæ ecclesiasticæ ditionis injicit: tum illa contingunt, quæ tu & pie & graviter detestaris. Quæ quoniam utraque sæpius facta sunt, & ut Pontifex privatum sequeretur commodum neglecto publico, & Imperator nonnunquam Pontificium jus vendicare sibi contenderet: idcirco exorta est tacita quædam cunctorum opinio, non posse ipsos inter se firma & fideli benevolentia jungi. Quo quidem ex dissidio maximas tibi assentior Christianis populis invectas esse calamitates. Sed quemadmodum vetera transacta sunt, ex antiquis annalibus edocemur. Quid autem eventurum sit, nobis incertum est, nisi quod illud non tam explanandum nobis nunc quidem est, quam quodammodo significandum, fore aliquando ut reperiatur remedium, si hæc consilia tua in medium proferre licitum fuerit, quæ meis in hoc genere plane sunt consentanea. Non enim si tu me, & cæteros prudentia vincis, quod profecto facis; id tibi etiam concedo, ut religione & studio bene agendi vincas. Si ergo promere tales rationes, & eos qui audierint, velle illis obtemperare rationibus contigerit: non dubito fore locum sanctissimis optatis tuis, ut & perpetua inter duos hosce

hosce principes concordia constituatur & e Repub. mala omnia tollantur. Quanquam quod optamus & de quo disputamus admirabili Dei beneficio hoc tempore videmur consecuti. Nam & Pontifex is est, qui nulla cupiditate extraordinaria se transversum agi, neque ferri passus est, qui patrem se omnibus communem præbet, qui nullas partes dissentientium est secutus: & Imperator optima mente, summo consilio ac studio in tuenda Christiana Repub. propè singulari, quodque in primis ad rem pertinet, ambo inter se conjuncti cum amicitiæ fide, tum eisdem penè studiis ad communem salutem & voluntatibus. Quorum consensionem & benevolentiam mutuam, qui labefactare & convellere fictis suis sermonibus, & iniquis delationibus conati sunt, illa suspicione freti, de qua dixi paulo ante, per quam inter eos existere posse amicitia non putatur: ii non virtutem & voluntatem optimorum principum mutaverunt, sed magis improbitatem ostenderunt suam. Quorum talium utinam aut minor copia, aut ea minus idonea ad nocendum esset. Sed cum tui desiderii eventum jam bona ex parte videamur nacti duobus his principibus amicitia junctis, bello tetro atque exitioso per inducias dilato, aut (quod ego malim) penitus sublato: spe pacis injecta, quam avidissime cuncti & ardentissimè expectamus: reliqua est cura & cogitatio conventus publici, qui in urbe Vicentia loco opportuno & libero, omnibus qui in Christiana religione censentur, est indictus, post aliquas temporum prorogationes, quas necessitate fuisse expressas, qui sine cupiditate judicant, possunt facile cogno-

scere (a). Eo in conventu si concursus fuerit is, qui ad rem tantam requiritur, non diffido fore, quin non ad injustam cujusdam potentiam, sed ad bonum commune consilia conferantur. Præsertim si tu, & qui virtutum ac religionis tuæ imitatores sunt, concilio interesse studuerint. Nam Pontifex quidem noster optimo animo & summa temperantia præditus, multa vestro, & tuo imprimis consilio, recta existimaturus est, quæ nunc contrariis ex partibus disputantur. In quibus tua imprimis & cœterorum bonorum auctoritas plurimum valitura est. Neque ego sanctis & salutaribus Christianæ Reipub. consiliis ullo loco deero. Sed est heic quiddam, quod mihi a te petendum sit: scilicet consilio uti me juves, quando nil fugere tuam excellentem prudentiam potest. Peto autem, non quidem quo pacto in concilio me geram; scio enim debere hoc me Deo, & fidei meæ, ut nihil in eo dicam, aut sentiam, nisi quod mihi rectum esse videatur, a quo ego proposito nunquam ne digitum quidem sum discessurus. Novi enim quid hæc professio nostra, quid Sacerdotii munus, quid Dei Omnipotentis timor a me postulet. Quæ si non essem literis & libris edoctus, in quibus omnem meam ætatem contrivi atque consumpsi: negotia tamen, & rerum

(a) Indictum erat Concilium Cal. Maii sed Paulus III. cum Nicæam petens, venisset Placentiam, habito in Cardinalium senatu die 25. Aprilis hujus anni Vicentiæ concilium prorogavit, suisque Legatis imperavit, ne illud, Cal. Maii ut decretum fuerat, aperirent. Secuta postea est alia prorogatio, de qua Sadoletus scripsit Jo. Cochlæo Epist. CCCXI. hujus partis.

rerum tantarum longus usus, in quantis ego versatus sum, facilè potuerunt me instruere & docere. Non igitur quæro, quo pacto in concilio me geram; sed quemadmodum erga adversarios Lutheranos mihi agendum sit, qui primum dubito interfuturi sint concilio, nec ne. Quamquam si pax vobis divino beneficio donata fuerit, Imperatore Carolo soluto a bellicis curis, facile (ut arbitror) cogi poterunt, ut intersint. Sed sive id fiat, sive non, anceps animi sum, quomodo cum eis agam: utrum acriter ac vehementer, an mansuetè & comiter. Primum quam male processerit iis, qui via illa ingressi sunt, intelligo. Alterum ego cum experiri conatus sim, literasque ad eorum nonnullos dederim humanè, ac satis etiam honorificè scriptas; sentio quam malè sim a multis in ista Germania acceptus, qui me aut scripsisse ad hæreticos homines, aut illo modo scripsisse arguunt, ac reprehendunt. In quo ego si consilio lapsus sum, studio certè & pietate erga Deum non sum lapsus. Quid enim aliud ego quæsivi, quam dum honorificè & comiter ad illos scribo, ut ipsi quoque ad parem moderationem, & quandam etiam benevolentiam mei inflecterent se, atque adducerentur? Quod si essem adeptus, speravi majora me multo & commodiora ad spem concordiæ, & rationem publicæ utilitatis esse facturum (a). Quæ voluntas mea certè reprehendenda non est. Nam de judicio, & utrum id sapienter a me factum fuerit, an secus, tuum

(a) His addi possunt quæ ad Fridericum Nauseam scripsit epist. CCXCI. ut magis intelligatur qua mente erga Lutheranos fuerit.

præcipuum judicium Dux præstantissime requiro, quod apud me maximum semper & gravissimum futurum est. Tu enim mihi propositus es, qui & norma consiliorum meorum, & actionum omnium regula, quæ ad istiusmodi res & negotia pertinebunt, futurus sis. Facit etiam amor in te meus, & fides institutæ jam inter nos amicitiæ, ut meas abs te potissimum actiones aut probari velim, aut corrigi: cùm approbatio summam mihi animi voluntatem, correctio autem maximam utilitatem sit allatura. Siquidem tuis castigationibus & monitis fiam melior. Summopere igitur te rogo, ut de hac re scribas mihi sententiam tuam. Nam si susceptum mihi hoc negotium scribendi ad Lutheranos, & cum eis humaniter agendi, ad quod ego accedere cœpi studio concordiæ & Christianæ consensionis adductus, tu non improbaveris; pergam ut institui, & plures hoc genere officii comprehendere, ac mollire contendam; sin autem hæc tibi tota inanis actio, & minus honesta esse visa fuerit, tuum ego consilium potissimum sequar: nec unquam tam firmus ulla in opinione ero, (de his loquor opinionibus, quæ ad quotidianas rerum gerendarum deliberationes pertinent) quin tuum judicium anteponam meo. Verum de his satis. Ego in amicitia hac nostra, cum & officiosi animi tui, & optimæ erga me voluntatis, ea indicia habeam, quæ habere semper concupivi, dabo profecto operam, idque meo incredibili erga te amore perpetuaque & singulari observantia consequar, ut me tibi junctum amicitia esse nunquam te pœniteat. Vale Dux præstantissime. Romæ XVII. Cal. Februarii M.D.XXXVIII.

EPI-

EPISTOLA CCXCVI.

JACOBUS SADOLETUS CARDINALIS
Gulielmo Bellajo Langæo S.P.D. (a) *Paris.*

Gaudet eum benevalentem ex Italiæ fluctibus Lutetiam pervenisse. Postremo rogat ut de rebus & studiis suis aliquid scribat.

CUm hosce plures jam menses vehementer de te, & de tua salute solicitus fuissem, quod ignorans ubinam esses, te in illis Italiæ fluctibus etiam nunc versari arbitrabar: summam repente accepi lætitiam ex optato nuntii adventu, qui ex aula Regis nuper huc profectus, salvum ac valentem se sibi visum esse confirmavit. Quod si ita est, (ut ego spero & opto) cùm mihi ipsi gratulor, tum ago Deo immortali gratias. Facit enim incredibilis ille amor, quo te jampridem sum complexus, ut nihil mihi abs te neque secundarum, neque adversarum rerum esse sejunctum possit. Quanquam quas tu secundas tibi esse res putes nescio, præter Regis tui gloriam atque amplitudinem. Vidi enim te in maximis illis miseræ Italiæ turbinibus ac procellis, non ferentem modo omnes labores, & omnia pericula constanter, ac fortiter; sed adeuntem etiam ultrò, & plenè exposcentem pro tui Regis dignitate atque gloria, usque eò quidem, ut nemo secundis suis rebus tam jucundè ad commodum & utilitatem suam perfruatur, quam tu in turbulentis & asperis alacri animo versabare,

(a) Vide quæ de Langæo habentur in not. ad epist. LXIX. Par. I. pag. 186, & ad epist. CXLVI. Part. II. pag. 5.

re, quò fidei tuæ officioque satisfaceres. Quod etsi jure ac merito pro tanti honore Regis faciebas, tamen rarum nos in te propeque inauditum fidei ac virtutis exemplum conspicientes mirabamur. Nunc autem si in portum pervectus es, instituistique commorari inter tuos, & ea artium optimarum studia quibus a pueritia mirifice fuisti deditus, in aliquo otio recolere: nuncio tibi me futurum socium ejusdem & voluntatis & judicii. Dedi enim me penitus & dicavi literis: neque aliud quippiam jam cogito dies noctesque, quam quemadmodum possim veram & dignam Christiano homine immortalitatem consequi; cujus rei judicium & fructum etiam aliquem, velut otii mei primitias, celeriter, ut spero, in manibus es habiturus. Sed non audeo scribere de his nunc pluribus, donec sciero, ubi tu sis, quid agas, ecquam mei absentis memoriam benevolentiamque conserves. Quod ut facias, mihique aliquando aliquid de tuis rebus scribas, te vehementer etiam atque etiam rogo: imprimisque tibi ut persuadeas, nullum unquam tempus fore, quo tuorum meritorum erga me, & nostræ mutuæ insignisque benevolentiæ memoria moriatur. Vale. Carpent. XV. Cal. Martii M. D. XXXVIII.



EPI-

EPISTOLA CCXCVII.

AL CONTESTABILE DI FRANCIA. (a)

Gratulatur illi de adepta dignitate, & ad pacem curandam acriter incitans, ait nihil pro se a principibus viris postulare, statuisse.

LA lettera di vostra Eccellenza delli 30. di Gennaro in risposta di una mia, che io le scrissi mostrando la gran speranza, che io aveva della pace, andando V. S. Illustrissima a quella impresa, quanto piacere m'abbia dato io non posso appieno nè scrivere nè dire. Certo è che stimando io già lungo tempo fà V. S. Illustriss. come uomo di gran destrezza, e di grand'ingegno; dapoi così come ogni dì più si scopriva la sua prudenza, e bellissima maniera di governare, e far faccende, e favorire sempre uomini da bene, così crescendo l'amore, e l'ammirazione mia delle sue gran virtù, essendocisi dipoi aggiunta quella benignissima cura e protezione, che ella prese di me, e delle cose mie a Carpentras in que' tempi tanto pericolosi, la memoria ed obligazione de' quali non uscirà in mia vita dall'animo, e dal cuor mio; avendomi, come io dico, tutte queste parti di V. S. Illustriss. eccellenti e singolari, già molto tempo fà, talmente preso e legato, che io non avevo persona

(a) Anna Monmorancius hic est, qui adversus Hugonottos prœlio Sandionysiano pugnavit & vicit, atque ex vulnere ibidem accepto exanimatus est an. 1567. Profert hanc epistolam Ribier num. 1. pag. 104, quæ tamen Veronensium editorum aciem effugit.

sona in quelle bande di là, ne sono per aver mai, a chi io porti più ne di amore ne di onore che a V. Ecc., alla quale io mi conosco ancora essere si strettamente obbligato; quella può pensare qual piacere e quanta allegrezza di animo io pigli delle sue lettere, vedendo in esse quel Sig. che io tanto stimo, e amo ricordarsi ancor lui di me, e rendermi parte di quell' amore per sua umanità, che io per ogni obligo quasi infinitamente gli porto. Io, ricevuta che io ebbi la lettera di V. Ecc. come prima mi parve occasione, fui con nostro Signore, ed esposi a Sua Santità quanto si conteneva in quella; d'onde nacque un ragionamento assai lungo, tutto in dimostrazione del giudizio, che faceva Sua Santità delli trattati della pace, parendoli quel che è, che il Re Christianissimo si fosse ridotto a molta equità, e che dal suo lato non si mancasse di venire all' effetto della pace tanto da Sua Santità desiderata, e nella quale, per condurla, ella ha posto ogni suo pensiero e disegno: confidandosi ancora, come diceva, nella virtù e prudenza di V. S. Illustriss. che non li mancaria in questa santissima opera, come in tutte le altre non è mancata, che sono state pertinenti alla fede Cattolica, ed all' onore di questa Santa Sede; le quali opere e azioni di V. Ecc. sono benissimo note a Sua Santità, come ancora prima in ragionamenti avuti altre volte di V. Ecc. con Sua Santità avevo chiaramente conosciuto, e così si estese in parlare delle virtù di V. Ecc. tanto onoratamente, e con sì grand' affezione, che non si potrebbe dir più, congratulandosi ancor con lei del nuovo onore datoli dal suo Re meritissima-

ſimamente (a), e comandommi che io ne ſcriveſſi a V. S. Illuſtriſſ. e mi rallegraſſi con lei da parte Sua, e gli diceſſi, come evidentemente appare, che Dio Onnipotente non manca di onorare, ed eſaltare quelli che ſervono lui, e li quali con buon conſiglio, e animo moderato fanno reggere, e tenerſi ferma la proſpera fortuna, come V. Ecc. fà, e fà fare. E in conclusione eſequendo io l' officio con Sua Santità che V. S. Illuſtriſſ. nelle ſue lettere mi commette, ne ritraggo, come ho detto di ſopra, l' animo ſuo ed il giudicio circa li trattati della pace eſſer tale, quale voi deſiderate; e in particolare sì ben volto ad amare e tener conto di V. S. Illuſtriſſ. che ſe a quella accaderà farne eſperienza conoſcerà per prova eſſer amata, e forſe ſtimata da un ſapientiſſimo, e ſommamente ricordevole e grato Pontefice. Di me io ho a pregare V. S. che ſe io non mi allargherò in dichiarar l' allegrezza che ho preſa della nuova ſua eſaltazione a quell' onore, che in tutto quel potentiſſimo Reame è ſupremo ſopra gli altri, lo attribuiſca non alla volontà mia, ma alla impoſſibilità. Vorrei poter eſprimere quanto piacere ne ho ricevuto, ma non poſſo farlo, perche è infinito, e come in molte altre coſe la lingua non può eſſere pari al cuore, così in queſta certo non è. Queſto ben dico, che non meno mi hanno dilettati i modi tenuti da V. S. che l' onore che gli è ſtato dato; perchè l' onore ſpeſſe volte ſuol eſſer dono di fortuna; ma tenere

(a) Conneſtabilis dignitatem a Franciſco I. obtinuerat eodem anno; apud quem Regem non minus gratia quam auctoritate plurimum valebat.

nere tali modi e usare si gentil modestia in ricusarlo prima, poi obbedientemente accettarlo, non può essere se non di uomo in ogni virtù eccellente; li quali modi finchè V. S. servarà come ha servato per il passato essendo ella sempre simile a se medesima, non potrà mai dubitare che fortuna a tanta virtù possa far torlo: come io prego il sommo Dio che mai non faccia, e che Sua Divina Maestà ci conservi V. S. Illustriss. lungamente in ogni prosperità e dignità. Resta Monsignore che io ringrazi V. S. dell'amorevoli offerte, che ella mi fa, alla quale certo io rendo tutte le grazie a me possibili, replicando quante altre volte ho scritto che mia natura e mio costume non è di domandare cose di fortuna a niun Principe; il che io fò per non guastare la lode della loro liberalità, la quale è vera lode, quando quel che si dona si da per proprio giudicio, non per importunità di domandatori; e io ricevendo un dono da un sí gran Re senza averlo domandato, pigliarei più piacere del giudizio, che si facesse di me, che d'ogni utilità, che me ne potesse venire, e tanto più ancora resterei obbligato: perche chi domanda ha solo il beneficio della fortuna, chi non domanda ha il beneficio doppio e della fortuna, e quello, che è molto maggiore dell'onore, e del giudicio che è fatto di lui, donde un Uomo da bene, come io desidero essere, si conosce doppiamente obbligato. Con questa ragione, e con conservar sempre la mia modestia, mi rimetto in tutto ad ogni volontà, e comandamento di V. S. Illustriss. alla quale in ogni modo io sono già totalmente tenuto e obbligato: dalla quale essendo io talmente amato, come

per-

per grazia sua mi veggo essere, già mi tengo ricevere da lei grandissimo dono e beneficio, alla quale con tutto il cuore sempre mi raccomando.

Di Roma alli XI. di Marzo M. D. XXXVIII.

EPISTOLA CCXCVIII (a)

LAZARUS BONAMICUS (b)

Jacobo Sadoleto Card. S. D. *Carpent.*

Benedictum Rhambertum adolescentem egregium ei etiam atque etiam commendat.

UTrum major sit celebritas nominis tui, an eorum numerus, qui te videre, atque ab eodem amari cupiunt, non facile judicaverim. quod & si tu ipse ex iis litteris aliqua ex parte perspicere potuisti, quas in hoc genere sæpe ad te scripsi, scito tamen multo plures esse, qui me, ut se commendarem & per me in amicitiam tuam admitterentur, rogantes, id assequi nequiverunt; non mehercule scribendi molestia, (nihil enim facio jocundius) sed vel quia facere injuriam humanitati tuæ videor; vel quod vereor, ne nimia crebritate ejusdem generis litterarum si non odiosam, at subinsulsam interdum tibi satietatem afferam. Hanc vero dubitationem meam aliaque nonnulla, quæ scribi non oportet, singularis mea in Benedi-

---

(a) Extat inter Epistolas clarer. viror. pag. 12. edit. Venetæ an. 1568.

(b) Vide notas in Epist. LXVI. Par. I. pag. 174. & P. Manutii. ad eum Epistolam lib. IV. Ep. 49.

nedictum Rhambertum (a) benevolentia, & ejusdem Benedicti incredibilis non tam cupiditas, quam quidam cupiditatis ardor tui videndi, & per me in numerum tuorum describendi, vicit ac sustulit. Is cum hac epistola ad te venit. Adolescens est omnibus iis rebus præditus, quibus ea ætas ornari potuit, scientia bonarum litterarum, suavitate morum, vitæ innocentia, atque elegantia, observantia in primis ac pietate erga similes tui, quos ut mortales Deos veneratur. Sed quid ego tibi plura de hoc? qui soles esse cum in aliis, tum in cognoscendis hominibus judicio peracri, ac perpolito. Juvenem complecteris primum sua, deinde nostra quoque commendatione sic, ut in eo suscipiendo omnes illi tui summæ facilitatis, atque humanitatis lepores appareant. Paulus noster idem ut faciat vehementer velim, cui me etiam atque etiam commendabis. Vale. Patavii XII. Cal. Majas M. D. XXXVIII.

EPI-

(a) Hic Nicæam ad conventum illum Principum est profectus una cum Nicolao Thiepulo Reipublicæ Venetæ legato, cujus a Secretis fuit. Ad eum extat P. Manutii epistola lib. 2. data mens. Sept. 1544. & in Epist. 3. lib. 1. idem ait se ex vulgata venalium magistrorum disciplina rudem & impolitum a Rhamberto eruditum fuisse.

EPISTOLA CCXCIX.

Aonius Palearius (a)

Jacobo Sadoleto Cardinali S. D. *Carpent.*

Lucæ Volaterrani qui fuerat Episcopus Anagninus negocium illi commendat.

CUm superiore anno emissem villam, quæ fuit A. Cæcinnæ in agro Volaterrano, cuperemque eam emptionem mihi bene, & feliciter evenire, omnia propè assequi visus sum: quod qui te diligentissimè colit, & observat Lucam Volaterranum, (b) qui fuit Episcopus Anagninus comperi vicinum: is omne tempus, quod ab sacrorum confectione, & divinis precationibus datur, partim in sanctissimis Theologiæ studiis, inque jucundissima de cultura agri lectione consumit, oblectatque se mirum in modum in prædiolo fructuoso, & peramœno exornando: homo certe Christianus, publicis muneribus exercitus ita ab ambitione abest, ut privata villula vel rusticana quicquam neget esse suavius: agricultura vero nihil putat esse quod hominem liberum magis delectare possit, nihil in quo vir bonus possit esse

(a) De eo eide notas in Epist. CCXXXVI. part. 2. pag. 363.

(b) Fuit hic Cardinalis Soderini perfamiliaris, cujus ope & favore quum Ecclesiæ Anagninæ præfectus fuisset V. Non. Martii an. 1525. paullo post illius oneris pertesus Pontificatum abjecit, atque in patriam reversus vixit in ea vitæ tranquillitate quam Palearius describit usque ad an. 1541. quo mortem obiit mense Septemb. conditus in majorum suorum tumulo. V. Ughellium in Ital. Sac.

esse felicior omni ocio & tranquillitate. Quæ cum ab illo sæpe, & ex animo dicuntur, Xemphontium illud ob agri cultionem de Cyro in mentem venit δικαίως μοι δοκεῖς, ὦ Κῦρε, εὐδαίμων εἶναι· ἀγαθὸς γὰρ ὢν ἀνὴρ εὐδαιμονεῖς. Quare frequens sum in Cæciniano, ut loci amœnitate, & hominis bene docti, & tui amantissimi sermonibus perfruar. Is me sæpe rogat, si quid de te acceperim: solicitus est enim, quod dixi vereri me, ne hoc labore itineris multorum dierum, si cum collegis profectus es, defatigare, quo minus valens sis, quod Deus prohibeat: præsertim cum superiore anno ægrotaveris, & purgationibus, & vi morbi non esses satis firmus. Itaque amicissime mecum desiderat, ut bene valeas, eaque de te perferantur, quæ nos volumus, & omnes tui. Habet is negocium, in quo sperat bonos sibi non defuturos, te vero per quem rem transactam dicit, quia optimus es, adjutorem singularem, & hoc ipso in negocio optatum, & perspectum profitetur: putatque omnino tibi suo nomine gratias agendas, quod omnibus rebus juveris. Causa hujusmodi est, ut spes omnis sit in deprecationibus, & commendatione bonorum. Abdicavit se se homo episcopatu: dignitatem, auctoritatemque, & cætera quæ ex eo consequi poterat libentissime aliis concessit: quæ ex hoc ipso adpromissa sunt tenuia, & exigua, vellet sibi non ut ex sponso, sed a Summo Pontifice, ad cujus pedes se se abiicit, quasi condonari. Ea de re oravit me ut scriberem literas commendatitias, gnarus, qua te reverentia, & observatione colam, qua te in literarum, & virtutum omnium excellentia, qua in fortunæ accessionibus humanitate esse præ-

prædicem: qua fretus, ſperat has literas aliquod habituras apud te pondus. Itaque facio quod ille petit, & lubens facio, eumque virum bonum, & in primis Chriſtianum & tui amantiſſimum tibi commendo. Vale, ex Cæcinniano III. Nonas Quintilis.

EPISTOLA CCC.

FRANCISCUS MARIUS MOLSA (a)
Jacobo Sadoleto S. R. E. Card.
S. P. D. *Carpentoraſ.*

Gratias agit quod difficultates & anguſtias ſuas Pontifici exponens, ejus liberalitati commendaverit; & Sadoleti pietatem & eloquentiam multis laudibus extollit.

QUibus me abſentem officiis complexus ſis, Pater ampliſſime, ex Pauli Sadoleti tui Epiſtola, accurate admodum ac peraman-

(a) Franc. Marius Molſa Mutinenſis adoleſcens Romam venit Leone X. Pont. Max., ubi in martiu optimarum ſtudiis ita profecit, ut & diſertus orator, & egregius poeta eſſet atque ab omnibus exiſtimaretur. Itaque brevi tempore principum virorum gratiam ſibi conciliavit. Nam & ab Hippolito Mediceo Juliani Fil. & ab Alexandro Farneſio optime de litteris litteratiſque hominibus meritis Cardinalibus inter familiares acceptus, rebus omnibus ornatus eſt. Utinam hæc fortunæ ingeniique bona turpibus amoribus non commaculaſſet. Rediens enim a muliercula ferro percuſſus eſt. Quo quidem ex vulnere licet Lælii Maximi opera ſanatus fuerit, tamen quum ab inſtituta vitæ ratione minime receſſiſſet, celerius defecit. Obiit enim apud ſuos annos natus LIV. diutius fortaſſe victurus, ſi periculo admonitus ab incœpta vivendi ratio-

manter ſcripta, certior factus ſum. In quibus cum jucunda multa acciderunt: tum illud jucundiſſimum fuit, quod a nemine nec leviter quidem admonitus, me tamen Pontifici Max. his verbis commendaveris, ut mihi ſingularis cujuſdam benevolentiæ indicium, ac judicii teſtimonium, quo nihil gravius eſſe potuit, impertieris. Quanquam ſubvereri venit mihi in mentem interdum, ne majorem tua prædicatione de me expectationem (quæ tua ſcilicet in amicis tuendis eſt diligentia) excitaris, quam ego ſuſtinere poſſim. Utrunque certe eo ſtudio es perſecutus, ut amoris erga me tui, rationibus meis conſulendo: judicii vero de ingenio bene ſentiendo, egregiam ſignific ationem dederis. Amori certe quoad melius fieri poterit, reſpondebo, tuorumque erga me meritorum memoriam ſtudioſiſſimè diligentiſſimèque ſervabo. Judiciò vero ſi minùs ſatisfecero, mihi ignoſces, imò etiam tibi, qui me ad eam laudem vocaveris, eaque de me fortaſſe receperis, ad quæ conſequenda, cùm vires omnes animique cogitationes, operam, diligentiam, cæteraque omnia quæ in mea ſunt poteſtate, attulero, ſi minus fidem tuam liberabo, omni tamen culpa prorſus ſim vacaturus. Quod ad Pontificem pertinet, vix dici poteſt, in ejus liberalitate, quam nihil propemodum ſpei mihi ponendum judicem: qui eo ingenio eſt, ut ſi etiam velit, ita tamen frigide ac cunctanter velit, ut ei qui illius ar-
cæ

---

ratione tandem recedere voluiſſet. Uxorem habuit Maſinam Sartoriam Mutinenſem nobili genere natam, ex qua plures liberos ſuſcepit. Molſæ vitam diligenter eleganterque deſcripſit vir Cl. Petrus Ant. Seraſſius.

cæ confidat, priùs sit conturbandum, quam subsidio aliquo sublevetur necessitative ejus subveniatur. Itaque statuo ipsius liberalitatem afferendo æri alieno multo aptiorem esse, quam dissolvendo. Quicquid tamen inde commodi ad nos pervenerit, id totum a te profectum judicabo. Meas interim angustias (quod nunquam futurum putassem) amare incipiam: quæ mihi causam harum literarum dederunt. Optabam siquidem jam pridem Sadolete vir omnium sanctissime, atque doctissime, te meis literis compellare: idque ob eam unam causam, ut tuas elicerem literas. Cur enim ego cupiditate non ardeam, ut aliquo in loco scriptorum tuorum, nomen intexi possit meum? cum ea eloquentia præditus sis, ut si in veteres illos Crassos, Antonios, addo etiam Cicerones, ætas tua incidisset cum multis tamen nunquam numeratus fuisses. Ea vero doctrina, ut nemo illorum temporum neque uberioribus floruerit artibus, neque eloquentiam graviorum disciplinarum instrumento ditaverit. Hujus ego rei cum nullum exitum reperirem, propterea quod te ista dignitate, gravitate, doctrina, interpellare me posse non videbam sine maximo scelere; præsto tandem fuit, adjuvitque hunc animi mei ardorem egregia tua ac singularis erga me pietas: qua factum est, ut eam juvandi mei atque ornandi actionem cogitationemque susceperis, quæ silentio præteriri non possint. Itaque sum consecutus, ut non modo omnes nihil mihi tam paratum esse intelligant, quam operam & authoritatem tuam, sed etiam scribendi ad te occasionem (quod maxime cupiebam) nactus sum: quam mihi oblatam nullo pacto dimittendam censui.
Huc

Huc accessit, quod is qui me in scribendo impediebat, tui interpellandi metus, eo minus nos commovit, quod te laboribus senatoriis ac muneribus liberatum, Carpentoracti vestro illo familiari in loco oblectari jam puto. Quod etsi nobis perincommode cecidit, qui adventum tuum avidissime expectabamus: non tam mœrendum tamen nostra causa, quam lætandum tua arbitratus sum: quod te in domesticam illam sedem receperis, ubi & valetudini tuæ commode inservias & honesto otio ac optato perfruare. Dum id sic tibi sumas, ut tantisper ibidem manendum putes, dum effervescat calor, tuque cum meliuscule tibi erit, id est, cum plane confirmatus fueris, dare te viæ velis, ac Romam redire, quæ virtutis tuæ semper aptissimum domicilium fuit. Hæc scripsi paulo verbosius, timens, ne ad eum viæ cursum relatus, a quo reipub. causa invitus aliquantum deflexisti: veterem vivendi libertatem tibi sequendam statuas: qua te adeo delectari solere non sum nescius, ut eb ea vix digredi posse mihi persuadeam. Neque vero est, quod me in his literis facilitate tua abusum existimes. Non enim ejus generis sunt officia tua, quæ gratiarum actionem non desiderent: neque ego is sum, qui nisi aliquem mihi splendorem aliunde arcessam, eo non sim penitus cariturus. Vale. Romæ Pridie Non. Julii M. D. XXXVIII.

EPI-

EPISTOLA CCCI.

JACOBUS SADOLETUS S.R.E. CARD.

Francisco Mario Molsæ suo S.P.D. *Romam*

Respondet illius res in tuto esse positas, deinde de sua valetudine certiorem facit.

COgitanti mihi ad te rescribere, commodum allatæ sunt ex Urbe literæ, quibus certior factus sum, Summum Pontificem in Urbem ingressum esse, teque cum Farnesio tuo optimo ac liberalissimo juvene esse assiduum: eos quoque, de quibus nonnullam ad me detuleras querelam, quasi illis absens, quibus minime debebas, esses contemptui, tecum nunc adesse, teque illos plane habere in potestate. Quæ res breviorem me in scribendo facit: res enim tuas in tuto positas, teque jam mea nec consolatione egere, nec consilio, nec cujusquam ope amplius arbitror: cum sitiens, ab ipsis fontibus restinguere sitim tuam nunc facile possis. Ego sane cum essemus etiam tum Nicææ, de tuis difficultatibus exponens, commoram Pontificis animum: optimumque Principem sua sponte faventem tui similibus, hoc est, doctis & bonis viris, etiam magis ut ibi consuleret atque opitularetur, mihi ut visum fuit, accenderam. Secuta est postea (ut tute scis) distractio omnium nostrum: cum me huc ut conferrem, valetudinis ratio non modo me hortata est, verum etiam coegit. Nec tamen dubito, quin mea illa opera, aut tibi attulerit jam fructum, aut certe allatura sit: cum præsertim tua virtus, excellensque ingenium, omnibus sit amabile. Id si factum est,

aut

aut certe cum fiet, ut mihi literis tuis significes, plane tibi mando. Epistolas omnes tuas, quas & ad me & ad Paulum misisti, legi summa cum voluptate, vehementerque probavi. Nec unquam sane dubium mihi fuit, quin quascunque tu ad res ingenium tuum applicuisses, dummodo in una ratione unoque genere scribendi commorarere, futurus fueris omnium longe primus. Sed hæc tu melius. Nos hic convalescere jam cœpimus: omnino sumus adhuc imbecilli; sed spe nitimur bona. Nostrum ad urbem redditum aliquot menses necessario differemus. Vale mi Molsa, & cum erit otium, nos tuis literis sæpicule appella. Carpentorasti VIII. Calend. Septemb. M. D. XXXVIII.

EPISTOLA CCCII. (a)

PIETRO BEMBO AL CARD. SAD. *a Carpentras*.

Laudat Paulum Sacratum ejus ex Sorore Nepotem, summque eum videndi desiderium exponit.

HO veduto M. Paolo Sacrato (b) Nipote vostro con molto piacer mio alcuni pochi giorni quì: il qual ben mostra co' suoi cortesi, e modesti costumi essere natìa del vostro giardino pianta. Havreilo tenuto volentieri più longamente, s' egli non avesse sollecitato il partire per non tardare ai tempi sinistri il passare a voi; dove egli ha tutto l' animo. Esso potrà raccontarvi a pieno del mio stato, del quale

(a) Extat inter Epistolas Bembi Italicas tom. I.

(b) Vide quæ de eo habentur in notis ad Sadoleti vitam Pontificiis Epistolis præfixam, pag. XCVIII.

quale mi contenterò assai; se il Cielo mi concederà poter vedervi, e godervi, qualche hora prima, che io più invecchi. Di che egli molta speranza m' hà data, dicendomi in questo medesimo desiderio di veder me esser parimente V. S. Della cui amorevolezza verso me m' ha lungamente ragionato il nostro Magnif. M. Niccolò Tepolo, che per nome della mia Patria fù questi passati giorni al Convento di Nizza, e il Segretario suo M. Benedetto Rhamberti; i quali amendue m' hanno ripieno tutto l' animo di dolcezza. Attendete a conservarvi sano. Io riverentemente v' abbraccio, e alla vostra grata e costante memoria, che di me serbate, mi raccomando. A XIV. di Settembre M. D. XXXVIII. di Vinegia.

EPISTOLA CCCIII.

JAC. SAD. CARD. GEORG. DUCI SAXON. S. P. D.

Literarum suarum moram excusat: res in conventu Nicææ gestas narrat: orationem quamdam suam Romæ habitam & Carpentoracti relectam mittit.

NOn possum sine aliquo dolore animi scribere ad te, & tuis humanissimis ac prudentissimis literis respondere. Quæ cum redditæ mihi essent illo ipso tempore, quo mihi proficisci ex Urbe necesse erat, & summum Pontificem qui antecesserat sequi; non habui tum spatium quicquam rescribendi. Nec vero itinere toto usque ad Nicæam, ubi principum congressus cum summo Pontifice erat futurus, data est mihi facultas, non modo mandandi literis cogitationes meas, sed ne cogitandi

quidem quippiam: quod & itineris molestia & difficultas, mihi ex superiore morbo nondum penitus recreato, & renovatus denique Placentiæ morbus, qui me ad interitum pene perduxit, impedimento fuit, quo minus ad te, ad quem maxime cupiebam, & quem mihi assidue ante oculos propositum habebam, literas darem. Cum interim meus in te amor perpetuus atque constans animum meum requiescere non sineret: inque eo mihi viderer peccare, in quo non peccabam. Ita enim cogitabam tacitus, atque hæc menti meæ subjiciebam: quid ille nunc talis vir & Princeps, cujus tu amicitiam præstantissimis illius virtutibus permotus tam cupide appetiisti: si literas flagitat tuas, per teque potissimum de rebus quæ aguntur cupit fieri certior, tuumque repentinum admiratur silentium literarum: quam tu ejus suspicionem de tua negligentia & tarditate excitabis? Crede mihi, Georgi clarissime atque optime, hæc animi mei solicitudo ad morbum adjuncta, ipso mihi morbo aliquantum erat gravior. Etenim si quisquam est qui officium colat diligenter, & indulgeat amori, ubi eum semel erga quenquam susceperit, ego me illum esse existimo: erga omnes quidem, in quibus aliquæ insunt causæ cur debeant amari: (nihil enim est mea natura ad amandum & ad favendum bonis propensius) in te ipsum vero hoc acrius & vehementius, quod nec dignior quisquam ab ullo unquam hominum, qui ametur delectus est, nec ejus virtutibus ornatior, quæ non solum officia benevolentiæ requirunt, sed observantiæ etiam summæque venerationis. Quæ cum ita sint, cumque ego tibi jamdudum meum omnem

amo-

amorem, ſtudium, honorem, obſervantiamque detulerim: te rogo atque oro, ut hanc meam prætermiſſionem officii in eam partem accipias, quaſi hæc culpa non mea ſit, ut certe non eſt, ſed fortunæ; quæ fecit, ut nec ego meæ cupiditati ad te ſcribendi obſequi poſſem, & ut diutius, quam par erat, literis meis careres. Habes cauſam meæ taciturnitatis, quam tibi pro tua ſingulari bonitate & ſapientia plane probatum iri confido. Nunc audi reliqua. Nicæam veni quomodo quidem potui, delatus lectica, omni ratione adnitens, ut intereſſem conſiliis, in quibus de ſumma republica agebatur, cum tamen quotidie aliquot horas levi febricula laborarem, eſſemque invalidus: qua invaletudine adductus non ſum ut deſiſterem a muneribus publicis. Non enim mihi corpus eſſe magnifaciendum duxi, dum aliquam operam navarem tum ipſi immortali & omnipotenti Deo, tum puræ illi ſanctæque Chriſtianæ fidei, quam nos erga eundem Deum conſtanter retinemus. Cujus tu quidem fidei, Georgi, hoc tempore præcipuus es propugnator & ſignifer. Itaque in Senatu cum heic haberetur, ſemper interfui; dixique de pace, de concordia, de ſtatu Chriſtianæ Reipub. ſententias. Collaudavi ſummum Pontificem, bene inſtitutam ab eo ſuſceptamque pacificandi provinciam vehementer comprobavi: precatus ſum ut pergeret, inſtaret, rem urgeret. Noſti jam cætera, quæ in hanc rationem dici poſſunt. Id quoque egi privato officio, ut cum utroque principum colloquerer, deque eiſdem rebus cum illis agerem ſuaderemque, ut civilibus extinctis diſcordiis, Chriſtiano nomini ob eorum diſſenſiones præcipue laboranti & ab hoſtibus Turcis

in extremum pene jam discrimen adducto; conjunctis animis ferrent opem, hostesque comprimerent: relinquerent hanc tanti nominis tantæque gloriæ hæreditatem liberis suis. Quæ quidem hæreditas neque iis qui illam reliquissent, neque iis qui accepissent, unquam esset interitura. Nam cætera quæ sunt à fortuna opes, divitias, honores, imperia, omnia fluxa & caduca existere, neque quenquam ea scire quandiu sibi aut suis mansura sint: hoc pietatis erga Deum specimen, hoc officium vere Christianorum Principum sine ulla controversia fore sempiternum. In his sermonibus cum uterque Princeps apte admodum mihi atque humane responderet, perspexi optimum animum Christianissimi Regis: Cæsaris autem virtutem & animi magnitudinem vehementer probavi. Post consecuta ea sunt, quæ tibi nota esse certe scio. Primum quod ad inducias decem annorum attinet (a); deinde quod ad colloquia ipsorum Principum, eorumque inter se complexus, congratulationes, lacrymas: ut omnia optatæ a nobis & desideratæ pacis, non solum signa atque indicia, sed certissima etiam pignora habeamus (b). Quæ mihi cum sua spon-

(a) Cum nulla ratio pacis ineundæ inveniri posset, & Franciscus Rex Nicæam numquam accedere voluisset, tandem a Pontifice die XVIII. Junii inter Cæsarem & Gallorum Regem decennales induciæ factæ sunt.

(b) Ad aquas Marianas in Avenionensi Provincia uterque Rex in collocutionem venit. Quo factum est ut Paulus III. jam Romam reversus, solemnes Deo supplicationes quatuor diebus habendas statuerit. Vide Raynald. Annal. Ecc. ad an. 1537. n. 11. & seq. a quo etiam hæc Sadoleti Epistola sæpius citatur.

ſponte jucundiſſima ſunt, (nihil enim vidi in vita quod lætius mihi, aut optatius acciderit) tum vero cumulatur gaudium meum cogitatione illa, qua te quoque ſummo ob eaſdem res frui gaudio non dubito. Itaque & ſæpius relegens epiſtolam tuam hanc, quæ poſtrema ad me miſſa eſt, in qua imago vera optimi Principis expreſſa cernitur: ut ea memoria repetens, quæ ſæpius a me tibi ſignificata ſunt de mente & voluntate ſummi Pontificis a diſſidiis aliena, de conjunctione ejuſdem cum Cæſare, de rebus cæteris: valde ſane delector, & meam fidem apud te conſtitiſſe, & ea quæ optando in literis tuis ſanctiſſime prudentiſſimeque deſignas, ex ſententia tibi atque eadem etiam Dei immortalis incredibili beneficio feliciter eveniſſe. Sed de his ſatis: etenim vereor ne hæc ipſa epiſtola modum jam tranſierit. Ego a Nicæa Carpentoracte ad meam Eccleſiam diverti, locorum vicinitatem, & ſpem commodiorem ex morbo convaleſcendi, ſecutus. Ubi nunc ſum, nec me hac hyeme in Italiam tranſiturum arbitror, ut poſtea melius confirmatus ad Urbem proficiſci poſſim, atque ibi Reipub. atque amicis operas meas impendere. Nunc tibi mitto oratiunculam quandam meam, quam ego Romæ confeceram ante diſceſſum: modo Carpentoracti relecta ea a me eſt & aliquot locis commutata. Ea continet ſane modeſtam (mihi ut videtur) & cuilibet recte judicanti probabilem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ & totius Sacerdotii defenſionem, adverſus probroſas & pene quotidianas Lutheranorum vituperationes. De qua oratione aut continenda aut invulganda tuum judicium potiſſimum expecto, ſi eam utilem, ſi profuturam exiſtimas. Nam-

que ego irritare neminem prorsus volo, nec serere contentiones: hortator enim sum pacis & author; id scribere opto, quod nec Lutherani iniquo omnino animo ferant, & Catholici accipiant æquissimo. Hoc tu Dux optime diligenter animadvertes, mihique sensum animi tui significabis, & suadebis quid agendum sit. Te & item Cochlæum, & Julium (a), tuos viros optimos, & optime de Christiana Religione meritos, quos ego quoque valde diligo, rogatos volo, ut antequam ad me quid sentiatis, rescripseritis, egoque vobis responderim, in alienas manus orationem meam ne exire patiamini. Vale Carpentoracti XI. Cal. Octobris M. D. XXXVIII.

EPISTOLA CCCIV.

JACOBUS SADOLETUS CARDINALIS

Julio Peflugo Decano Misnensi S. P. D. (b)

Ejus literis officiose respondet, eumque in suam amicitiam recipit.

NOli mirari, si tuis sane jucundis mihi & suavibus literis serius respondeo, quam æquum fuit. Cum enim in illo ipso nostro ex urbe Roma discessu, quo Nicæam omnes contendebamus, eas accepissem: neque tum spatium

---

(a) Jo. scilicet Cochlæus & Julius Peflugus, de quibus vide Epist. seqq.

(b) Fuit hic Schombergii Card. consanguineus pietate & eloquentia valde celebris. Scripsit librum *de reformatione Clericorum*. Vixit diu apud Georgium Saxoniæ ducem una cum Joan. Cochlæo, ac postea Naumburgensium Pontificatu auctus est. Eum Thuanus *Flugium* appellat. Vid. Cyprian. in Epist. I. part. 3. Tabular. Eccl. Rom.

tium habui rescribendi, & toto illo itinere incertis febribus doloribusque intestinorum gravissime vexatus, vix vitam potui retinere: quæ certe fuisset amissa, nisi Dei summi bonitas & clementia opem mihi tulisset. Quanquam utrum mihi magis expediat utiliusque sit, vivere, an mori, ego nescio: neque horum alterutrum mea multum interest, idque ad Dei voluntatem totum reiicio. Literis quidem tuis, ut primum commode licuit respondere non prætermisi: quas mihi scito fuisse gratissimas. Nam & ingenii tui specimen mihi detulerunt, & indicium erga me non mediocris amoris. Quorum alterum facit, te dignum omnium benevolentia ut judicem: alterum, ut ipse quoque te diligam. Quod quidem ita necesse est, si is volo esse, quem tu tibi alias cognitum, ita humanum & comem esse scribis. In quo profecto non aberrat a natura mea prædicatio tua: sum enim ad fovendum bonis mirifice propensus. Itaque quod meam in fidem & patrocinium contulisse te scribis, ego vero te Juli carissime in jus & in amicitiæ fidem libenter recipio, vel tuæ virtutis, vel cognati tui hominis amplissimi collegæ mei causa, quem ego & vivum dilexi semper & mortuum eadem benevolentia prosequor, nec unquam illius eximias virtutes officiaque erga me e memoria deponam. Est & illa causa, cur te debeam amplecti, quod videri mihi videor in literis tuis pietatem eam qua erga Christianam Rempub. es affectus. Sic enim quereris, sic luges rerum præsentium statum, ut appareat te meliora valde cupere. Cui cupiditati meæ, meæque una earundem rerum voluntati utinam præpotens Deus secundos aliquando exitus

 con-

concedat. Sed hæc hactenus. Ego impræsentia Carpentoracti sum a Nicæa huc digressus quiescendi aliquandiu & valetudinem curandi gratia. Tu si quid opera mea indigueris, dum in his sum locis, per literas, cum Romæ fuero, uti me vere proximo futurum esse arbitror, præsens ipse ita te, & res tuas tuebor, ut quoad ejus fieri poterit, te aliquod in me præsidium tuis & rebus & fortunis constituisse nunquam pœniteat. Vale Carpentoracti XI. Cal. Octobris M. D. XXXVIII.

EPISTOLA CCCV.

JACOBUS SADOLETUS CARDINALIS
Julio Peflugo & Johanni Cochlæo S.P.D. (a)

De Christianæ Reipub. calamitatibus, & de Cochlæi atque suis contra Lutherum lucubrationibus scribit.

COmmunes ad vos dedi literas, quod eram multis occupationibus impeditus: vestras autem amborum & diligenter, & non sine aliquo animi dolore legi. Quæ statum mihi Germaniæ ante oculos posuerunt & infelicem
&

(a) Joan. Cochlæus Norimbergæ natus, Francofurti ad moenum primum *Decanus*, deinde Moguntiæ, ac demum Uratislaviæ ad viadrum *Canonicus* extitit. Apud Georgium Saxoniæ Ducem qui perflagrantissimo pietatis studio illis temporibus Catholicam fidem in Germania tuebatur, authoritate & gratia multum valuit. Fuit enim veteris Religionis accerrimus propugnator, novatorumque hostis infensissimus. Obiit Uratislaviæ annos natus tres & Septuaginta IV. Eid. Jan. 1552. Ejus opera recensent Callidius, Possevinus, aliique.

& miserum:& cui (ut perspicio) non a nobis, sed a summo Deo auxilia sunt petenda. Quanquam ego quidem pro mea parte non deero. Sed quid possum unus, aut certè cum paucis? Video enim omnino paucos quibus ista negotia sint cordi. Concilium futurum sit, nec ne, non possum affirmare certò. Spe tamen teneor, Pontifici Max. hanc rem fore curæ; optime enim ipse & loquitur & sentit. Quo autem tempore aut quo Christiani populi commodo sit futurum, non habeo quid dicam. Primum pendet non e Pontifice solum, sed Christianis etiam ex principibus, qui majoribus curis districti mihi videntur, præsertim tanto conflato adversus Turcas bello. Alterum, quidnam eventurum ex concilio sit, nec satis scio, nec si sciam ausim dicere. Maxima mihi videtur ratio fore constituendæ Christianæ Reipub. si Pontifex unus ad corrigendos mores Ecclesiæ incubuerit. Quod ipse tamen prædicat & promittit se facturum. In vestris porro literis tua pietas in Christi rem & fidem, mi Juli, probata est, & benevolentia erga me jucunda, neque ego tibi propter virtutem tuam propterque eum Principem, cujus tu contubernalis, ego amantissimus & studiosissimus sum, ullo unquam loco sum defuturus. Tu vero Cochleæ, nihil mihi gratius facere potuisti, quam me de illis in oratione mea partim meis, partim etiam librarii erratis admonere, quæ ego corrigi jussi. Hoc tu, si me amabis, semper ut me admoneas facies. De Oratione edenda scripsi ad clarissimum Ducem Georgium quid mei consilii sit. Tu illas leges literas, & ages quod utile tibi videbitur Christianæ esse Reipub. Librum tuum in illas vesanas Lutheri de-

clamationes, legi summa cum voluptate vehementerque probavi (a). Arbitror posse me affirmare, raro adhuc vidisse in eo genere quicquam editum, quod distinctius mihi, & accomodatius scriptum videretur: atque ex ea quidem doctrina, quam ego maxime probo: non spinosa & cavillosa, sed plana atque illustri, e puris sacrarum literarum fontibus deprompta. Quamobrem miror illum hominem impurissimum, ita ferreum os ad contentionum studia afferre, ut eum neque vitæ neque impietatis suæ pœniteat. Sed illum ulciscetur improbitas sua. Ego quodam alio in opere, quod nunc cudo habeoque in manibus, nonnulla insector Lutherana dogmata, eorum quæ maxime ad refellendam Christi Religionem intenta sunt. Rectene an perperam, tuum & aliorum erit judicium. Mihi quidem voluntas bona est, & ad tutandam authoritatem Ecclesiæ animus paratus: sed vires interdum me deficiunt. Quicquid tamen erit a me ad Dei gloriam & fidelis populi salutem totum erit. Tu ut scribas ad me crebro, Cochlæe, atque adeo ambo ut scribatis, vobisque persuadeatis me omnia cupere & velle vestra causa, a vobis peto. Valete. Carpentoracti.

EPI-

(a) Librum evomuerat Lutherus infames continentem articulos, quos suo nomine Concilio Vicentiæ indicto jactabat propositurum. Contra eos steti: Cochlæus, librum hunc suum edidit, & Lutheranæ doctrinæ inconstantiam levitatemque confutavit.

EPISTOLA CCCVI.

JACOBUS SADOLETUS CARDINALIS

Alexandro Farnesio S. R. E. Card. (a) Romam

Avenionensium literas diligentem Episcopum petentes ei efficacissime commendat: deinde rogat ut de susceptis a se pro Christiana Religione curis ex Pontificis jussu apud Pontificem mentionem faciat.

AVenione cum essem, adierunt ad me Consules cum multitudine honestissimorum civium: Sacerdotum etiam ordine adiuncto: vehementerque a me petierunt, ut cum ipsi scripturi ad te essent, & cum vir amplissimus legatus idem esset facturus, ego item scriberem, ut omnes uno consensu te rogaremus, quo velles tam nobilem & tam illustrem Civitatem ornatam esse abs te Episcopo, qui vicem tuam sacris praeesset, assidueque in ea commoraretur, quando quem tu huic curae & muneri praefecisti, is & abest multo maximam partem temporis & raro Avenionem commeat. Accidunt autem fere quotidie multa in tanta urbe, quae egeant Episcopo: praeterquam quod non mediocre sibi ornamentum deesse civitas putat, si Episcopus praesens non adsit. Hac de re cum ipsi ad te accurate dant literas, tum ego quoque optime Farnesi summo animi studio te rogo, ut satisfacias florentissimae civitati: praesertim quae in te uno spes suas omnes collocatas habet. Facies enim eis gratissimum: meque qui pro illis rogo magno orna-

(a) Vide notas in Epist. CCXXXII, Part. II, pag. 250.

mento affeceris si passus fueris preces meas illorumque una authoritatem, quæ certe parvi non facienda est, apud animum tuum, ad impetrandum quod petimus valere. Ego cum te semper optimo ingenio egregiaque natura præditum esse cognovi: tum illud tibi imprimis curæ esse debere arbitratus sum, ut istam felicitatem atque fortunam, quæ te complexa est, in iis præcipue actionibus adhibeas, atque exponas, quæ ad benevolentiam hominum virtute ac beneficiis tibi conciliandam sint accomodatæ, ne tibi postea ulla rerum temporumque commutatio nocere possit: tuque judicio & prudentia tua magnus semper sis, non casu. Sed ego fortasse ineptus, qui hæc ad te scribam: cum tu domesticis & admonitionibus & exemplis quotidie fias doctior. Verum ignosces mihi, majorem amoris mei erga te, quam ejus officii quod mihi conveniat, rationem nunc ducenti. Quem maxime apud se cupiant esse Episcopum, Avenionenses ipsi ad te scribunt. Hortor, & oro, ut eorum voluntati morem geras: & tamen præscribas, quibus eum finibus uti velis potestate, quem sacris rebus tuo nomine tractandis agendisque præficies. Quo maxime modo sine ullo honoris & famæ tuæ periculo, tuis per te populis & civitati nobilissimæ erit consultum. Sed hæc hactenus: non enim vereor ne justissimæ preces locum apud te non habeant. Summus Pontifex mihi mandarat, cum me in hæc loca ex Nicæa essem recepturus, ut curam & vigilantiam adhiberem, quod ad hosce populos in recta Religione continendos pertinet: quod audiebat Lutheranos in his regionibus valde increbrescere: quod idem ego quoque multorum

lite-

literis cognoveram. Itaque huc postquam veni, quid egerim & Carpentoracti & Avenione, quomodo insidias omnes ejusmodi rerum, suspicionesque compresserim, quam nunc omnia composita sint, & sedata, malo eum ex literis aliorum cognoscere, quam ex meis. Certe eam & voluntatem & obedientiam, quam illius sanctitati debeo, perpetuam præstabo. Et quoniam ut heic maneam usque ad proximum ver & multas & necessarias causas video me coacturas: rogo te, amplissime Farnesi mihique merito charissime, ut in tuis cum Pontifice Max. sermonibus, interdum mei mentionem facias, neque memoriam mei apud eum intermori totam sinas; habeasque tibi & fortunas & dignitatem meam apprime commendatam, si tamen tua officia apud hominem gratum positurum te intelligis. Vale. Carpentoracti IV. Cal. Octobr. M. D. XXXVIII.

EPISTOLA CCCVII.

JACOBUS SADOLETUS CARDINALIS

Alexandro Farnesio S.R.E. Card. S.P.D. *Rom.*

Petit ut tempus absentiæ suæ ab Urbe usque ad proximum Aprilem prorogetur, idque Farnesius a Pontifice intercedat.

GRatæ mihi tuæ literæ tantum ne? imo vero & peroptatæ & dulces: quæ aliquam mei memoriam residere apud te mihi indicarunt. Quod ego quanti faciam, non nunc scribo: aliud erit tempus ista commemorandi. Hoc dico, in tuis jucundissimis literis illud tamen offensionis fuisse, quod hæ tardissimè ad me perlatæ sunt; scriptæ enim a te VII. Idus Sep-

Septembris, tertio idus Octobris mihi sunt redditæ: sexto & trigesimo die videlicet postquam tu eas dederas. Sed quod ad rem pertinet, utinam Farnesi amplissime vobis vocantibus, quemadmodum quidem cuperem, subito parere possem: neminem profecto promptiorem ad obtemperandum vobis inveniretis. Sed quæ me impediant causæ, quominus statim accedam, scribo ad Pontificem Max. scriboque non tam sapienter, quam ingenue & libere. Quod Pontifex ipse pro sua perpetua præstantique humanitate in bonam partem accipiet. Earum ego literarum exemplum ad te misissem, nisi illas communes tecum fore existimassem: quod certe ita futurum est. In iis ego peto atque oro, ut tempus meæ absentiæ mihi prorogetur usque ad proximum mensem Aprilem; quo tempore in Italiam reverti mihi in animo est. Hac in re, Farnesi optime, te mihi advocatum esse cupio, ut facilius impetrem, quod æquissime a me petitur. Neque tamen recuso, si vos omnino ita statueritis, quin primo quoque tempore isthuc veniam. Sed cum neque magnum fructum ex me istic capere possitis, quod in tot sapientissimorum patrum consiliis & prudentia, parum eminere opera mea potest: & ego magni mea interesse sentiam, aliquandiu heic manere: erit humanitatis & liberalitatis vestræ faciles vos præbere in eo, quod vobis parum admodum, mihi autem plurimum profuturum sit. Sed de his reiicio me ad eas literas quas Pontifici scribo, futuras (ut dixi) tibi etiam communes. Te quidem ipsum rogo, ut mei absentis famam atque fortunas in tua fide & patrocinio esse patiare: talemque te mihi præstes, qualem ego

ani-

animum erga te in omni tuo honore dignitateque tuenda, si res ita ferret, plenum amoris & diligentiæ afferrem. Vale. Idibus Octobris M. D. XXXVIII. Carpentoracti.

EPISTOLA CCCVIII.

JACOBUS SADOLETUS CARDINALIS

Paulo III. Pont. Max. S.P.D. (a) *Romam.*

Orat ut sibi propriis rebus & fortunis consulenti usque ad ver proximum Carpentoracti liceat esse.

ACcepi ab optimo atque amplissimo Cardinale Farnesio literas, datas VII. Idus Septembris, mihi autem tardius sane quam vellem, hoc est tertio Idus Octobris redditas: quibus ille me hortatur & admonet, ac sanctitatis tuæ verbis etiam mandat, ut jam exacto fere eo tempore, quod meæ absentiæ abs te præstitutum fuerat, ad Urbem quamprimum me recipiam: quo interesse eis consiliis possim, quæ jamdudum a Sanctitate tua inita, Christianæ religioni commoda & salutaria, promere nunc demum atque exequi tempestivum ipsa judicat: dignamque molitur virtute & sapientia sua, cum correctionem emendationemque præsentium temporum, tum veteris innocentiæ & integritatis in Sacerdotibus, hoc est in Christiano populo universo, restitutionem. Ego vero his receptis literis, cum insigni quadam lætitia animi ac voluptate, tum non minore sollicitudine, & molestia affectus sum. Nam

(a) De Paulo III, dictum est in notis ad Epist. CCXI. part. II. pag. 262.

Nam cum lætarer magnopere & gauderem; quod intelligebam meum absentis nomen hærere etiam nunc in memoria sanctitatis tuæ, quo nihil mihi evenire optatius potest: illud tamen graviter molesteque ferebam, quod non videbam hoc tempore quo pacto possem, id quod semper maxime cupio, mandatis tuis voluntatique parere. Itaque cum pararem ipse me ad scribendum sanctitati tuæ, ut appropinquante jam exitu mei commeatus, longiorem mihi a te diem prorogari peterem: allatæ ad me interim sunt Farnesii literæ, quæ me sane admonent, ut id quod facere decreveram, faciam etiam accuratius: ne qua aliena a mea erga sanctitatem tuam obedientia & voluntate animum tuum forte subeat opinio. Ego enim Pater sanctissime, cum semper apud sanctitatem tuam esse cupio, quam habeo authorem meæ omnis dignitatis: tum huic etiam honori & muneri, quod mihi ab eadem commissum est; deesse profecto non debeo. Ut non solum amore, qui certe meo in animo erga te flagrans & perpetuus est, sed ipso etiam viri boni officio appetere cogar, tum frui optato & desiderato conspectu tuo; tum senatoria opera muneraque obire: ea videlicet, quæ ad bonum & diligentem & amantem Reipub. Cardinalem pertinent, quemadmodum certe mihi agere semper propositum est. Quocirca non ego hic quidem maneo invitus, in tanta horum populorum omnium erga me benevolentia & voluntate, tam salubri cœlo, tot etiam ex me actionibus ad fructum meorum populorum, & ad servandam in his rectam religionem, quæ oppugnabatur, prodeuntibus. Sed tamen sanctitatem tuam, urbemque Romanam assidue ante

ani-

animum mihi propositam habeo: non quod meum privatum aliquod commodum, aut major istuc jucunditas me vocet: sed quia ratio officii, quæ apud me semper plurimum valet, desiderare me cogit, ut eo sim in loco; in quo & fidem ac pietatem meam sanctitati tuæ, & Reipub. studium atque operam navare commodius possim. Verum mea hæc voluntas, aliquot domesticis difficultatibus implicita, valdeque impedita est; quas quidem commemorare difficultates tenue est, & in tantis tuis curis occupationibusque ineptum. Tacere autem non licet, si me excusare vere, & is volo esse qui semper cupii, ut veritate & recta conscientia fretus, nihil subticeam eorum, quæ res & causa postulat: quod ingenuo animo ac liberaliter instituto dignum semper duxi, ut nec falsas confingeret ejus rei, quascumque agere statuisset, causas: nec veras reticeret. Ergo quominus sanctitatis tuæ imperio ac mandatis ut ad ipsam me conferam, obtemperare statim possim, non jam valetudo prohibet, (satis enim plane mihi videor esse confirmatus) sed illa res magis, quod prævidendum mihi vehementer est, ne dum Reipub. animo optimo deservio, privatim in aliquod dedecus incidam: quod fidei meæ, quam habeo vita longe chariorem, maculæ & detrimento esse possit. Hæc me res adhuc heic detinet, quod facilius heic videor posse necessitatibus meis subvenire, & obviam ire meæ famæ periculis, quam in Urbe facere possem: tanto ibi sumptu in omnes fere res necessario, tamque exiguis meis vectigalibus: quibus præsertim tertia fere pars in Veronensi pensione detracta sit. Quæ tametsi me libente quidem in optimos usus con-

consumitur: hoc tamen efficit, ut mihi urbem Romam incolere non liceat: hac præsertim durissima conditione temporum, de qua multorum ad me literis nuntiisque perfertur. Nec vero hæc proferens fortunam meam accuso, quæ mihi si locuples fieri vellem, maximas sæpe temporum opportunitates obtulit; in quibus ego magis officium & abstinentiam, & in omnes homines comitatem ac liberalitatem, quam studium lucri aut pecuniæ sum secutus. Et sanctitati tuæ maximas gratias habeo, atque ago, quæ toties jam mihi ferre subsidium ex pecunia sua large ac liberaliter, annua etiam constituta mihi mercede voluit. Quod ego beneficium tuum erga me, ita amplum atque magnum, ut ei nunquam a me referri possit gratia, cum animo gratissime accepissem, re ipsa tamen accipere recusavi. Non ob eam causam quidem, ut minus tibi obligatus, sed ut mei magis essem similis: qui ita natus, ita institutus sum, ut neque pecuniam admodum concupiscam, & parum decorum esse arbitrer animis ingenuis & dignitatis veræ notionem aliquam habentibus, ejusmodi mercedibus & pecuniis quasi obstringi, nisi quibus a Principe onus aliquod imponitur, & ejusmodi mandatur administratio, quæ majorem forte sumptum apparatumque requirat. Tum enim legitima quædam sunt constituta præmia, quæ accipere non fas solum, sed perquam etiam honestum est. Neque ego judicium animi mei exponens, eos reprehendo, si qui forte sunt, qui annuas & menstruas mercedes ex ærario accipiant: fieri enim potest, ut illi multo sapientius hac de re constituant, quam ego judicem: sed tantum eam opinionem & sententiam,

tiam,

tiam, quæ mihi insita penitus, & plane innata est, apud sanctitatem tuam fidenter profero. Sola ea cupio vectigalia nancisci, quæ cum ecclesiastica sint, posita sunt in medio sacerdotibus dispertienda, habentque administrationem & procurationem sacerdotiorum conjunctam: ad quæ meo jure nonnihil aspirare mihi posse videor: non ut cursem huc illuc, eorum adipiscendorum causa, neque ut ab aliis Principibus ea obtinere contendam: sed meam spem duntaxat in tua optima adversus me voluntate, quam mihi sæpe benignissimis verbis ostendisti, & quam nulla adhuc occasio consecuta est, repositam habeam. Tranquillum equidem semper habens animum, & nulla solicita expectatione suspensum, quod constantiam animi malo & modestiam retinere, quam plurimos fructus vectigalium ecclesiasticorum acquirere: ut in omnibus pudor meus mihi, non flagitandi importunitas prosit. Verum hæc ego fortasse verbosius: cum sanctitate tamen tua, tanquam cum parente egi. Reliqua nunc agam, & cum Domino meo, & cum Principe. Si judicarem, Pater sancte, meam istic aut operam, aut præsentiam valde opportunam esse utilitatibus publicis: nullo expectato tuo imperio, nulla ratione incommodi ullius habita, ad Urbem statim advolassem: neque me aut valetudinis meæ, aut etiam periculi cogitatio usquam retinuisset. Cum vero in tanto consilio tuo, tantaque sapientia, adstantibus etiam tibi tot prudentissimis doctissimisque Patribus, quorum tanquam orbis terræ luminum abs te habitus delectus est, mei consilii authoritas parum, aut nihil elucere inter ceteros possit: sanctitatem tuam summe

roga-

rogatam a me volo, ut cum bona ipsius venia commorari heic usque ad ver proximum, quo tempore in Italiam & ad concilium omnino cogito, colligereque tantisper mearum fortunarum reliquias mihi liceat: in quo magnum in me collatum abs te beneficium sum arbitraturus. Sin aliter sanctitatis tuæ sententia est, eaque me vult ad Urbem omnino accedere, si levi modo significatione hanc ejus voluntatem cognovero, accurram & approperabo: neque me causa, neque difficultas ulla detinebit, quo minus & tibi & cæteris ostendam, nihil omnium rerum mihi magis esse cordi, quam ut præsto sim, & paream jussis omnibus, ac mandatis tuis. Quodque hic manere aliquandiu cupiam, totum, necessitatis cujusdam esse: quod vero in Urbem & ad sanctitatem tuam accedere, ipsa jubente paratus sim, id esse propriæ & perpetuæ meæ voluntatis. Vale Carpentoracti, Idibus Octobris M.D.XXXVIII.

EPISTOLA CCCIX.

JACOBUS SADOLETUS S. R. E. CARDINALIS

Jacobo Simonetæ Cardin. S.P.D. (a) *Romam*

Laudat ejus eloquentiam, & quæ in Orationem suam annotaverat. Deinde petit ut de statu suo scribat, & se absentem Pontifici commendet.

ACcepi literas tuas, datas XVIII. Calen. Septemb. cum tu Vicentiæ id temporis esses,

(a) De hoc celeberrimo Jurisconsulto aliquid relatum est in notis ad Epist. C. part. I. pag. 191. Hic notandum quan-

esses (a), quibus summa cum mea voluptate, non semel neque bis, sed sæpius lectis, in mentem mihi venit cogitare; quid tu tibi tandem appetens, cum multarum jam scientiarum gloria laudeque floreres, nostras etiam artes nobis ereptum veneris; in quibus nos, qui ætatem in illis consumpsimus, cedamus jam necesse est tuorum scriptorum ubertati & elegantiæ. Ita enim scriptæ literæ tuæ graviter, ita ornate, ita copiose sunt, ut non quæ in Jurisconsulto, sed quæ in summo requiritur oratore copia facultasque dicendi, ea in te omnis insit. Sed profecto verum est quod dicitur, qui egregio ingenio sit præditus eum ad omnes artes, omnia disciplinarum genera facilem aditum introitumque habere. Quod tibi doctissime Simoneta contigit: qui cum inter jurisconsultos nostræ ætatis habeare omnium judicio consultissimus: non contentus una laude, ut cæteris quoque in literis ingenuis & liberalibus emineres, studio tibi omni esse elaborandum putasti. Verum mittamus hæc, quæ satis sibi ipsa perhibent testimonium, meo ut testimonio nihil indigeant. Ad illam tuam eximiam præstantemque humanitatem convertor. Tantum ne, quæso, amori tuo erga me in-

---

quanti eum faceret Sadoletus, qui Orationem suam illius submisit judicio, & quæ in illam fuerunt annotata diligenter servavit.

(a) Tres Cardinales hoc anno Pontifex legatos creaverat, ut inchoando Vicentiæ concilio præsiderent, Campegium Episcopum Sabinensem, Simonetam Presbyterum, & Hieronymum Brundusinum, datis ad eos literis die 20. Martii. Quibus postea, ut diximus supra in notis ad Epist. CCXCV. hujus part. imperatum est ut ab ipsius Concilii inchoatione supersederent.

indulgere potuisti, ut eis me laudibus afficeres, quæ longe justius conveniunt in te, quam in ipsum me? Etsi ego quidem illa legens, quæ tu mihi in tuis literis tribuis, gaudio quodam afficiebar pene singulari. Non ea quidem in me cognoscens, sed de tua in me tam insigni benevolentia mihi ipse gratulans. Quanquam eo quidem me esse animo non inficior erga Rempub. quo tu prædicas. Sed multa nimirum me deficiunt, ut illi possim, & utilitati esse & ornamento, quæ ego a te petam, cum usus fuerit: teque ducem mihi & authorem rectorum consiliorum tam in ipso senatu, quam in cæteris rebus propositum habebo. De oratione mea sic volo te existimare, monita mihi omnia valde tua placuisse: sed accidit casus sane mihi molestus: ut in ipso motu rerum, cum Roma migrandum nobis esset, iterque Nicæam versus ingrediendum, schedula illa deperierit, in qua annotationes tuæ perscriptæ erant, cum salvas tamen literas tuas mecum extulissem. Quare postea orationem meam relegens, quantum consequi memoria potui, correxi ea omnia quæ tu minus probaras. Si quid forte a me tum oblivione prætermissum est, si quando edenda erit oratio, iterum ad te meam lucubratiunculam mittam, ut de integro abs te corrigatur. Ejus ego orationis unum tamen exemplum adhuc in Germaniam misi ad Georgium Ducem Saxoniæ (a) sapientem & pium Principem: nullo meo inscripto nomine, magno opere rogans, ut ea contineatur domi, quoad is de suo ad me omni judicio præscripserit. Alterum cogitabam Patavium

(a) Vid. Epist. CCCI hujus Part. pag. 29.

tavium mittere ad meos familiares doctissimos homines: sine titulo tamen, & sine inscriptione; ut (qui meus est mos) amicorum judiciis mea scripta submitterem. Sed de his quoque satis. Te Romam incolumem pervenisse, nondum quidem mihi erat auditum; sed tamen confidebam, te jam venisse; itineris tui rationem dierum mecum ipse supputans, quomodo ea a te in literis tuis scripta est. Sum tamen in aliqua animi solicitudine & cura; quoad certo cognovero ubi sis, & cum recte valeas: quod mihi profecto maxime (ut debet) curæ est. Ego in his locis hyemem hanc commorabor, cum sponte mea, tum tuo etiam amantissimo consilio adductus. Sed cum Farnesius Summi Pontificis verbis, atque jussu me per literas evocarit, ad quas ego me excusans respondi; te vehementer rogo, ut causam meam apud Pontificem agas, meamque hic mansionem tranquillam & liberam, ad diem usque concilii, tua mihi authoritate præstes & tueare. Vale. Carpentoracti VI. Cal. Novemb. M. D. XXXVIII.

EPISTOLA CCCX.

JAC. SAD. EPISCOPO SALERN. S. P. D. (a)

Primum, se recuperata valetudine, confirmatisque viribus cum libris in gratiam rediisse significat, deinde caussas affert, quibus a Pontifice accersitus, Romam venire non possit.

POstquam e Nicæa veni Carpentoractem, propinquitatem locorum & cœlum salubre

(a) Federico Fregosio, de quo in not. ad Vitam Sadoleti pag. IX.

bre mihi ac familiare in meliore vènanda valetudine sequutus, quippe quam prope omnem amiseram; prima quidem mea fuit cura, ut fierem ipse confirmatior, quod Dei immortalis beneficio & amœnitate hujus loci celerius adeptus sum, quam ut videretur sperari debere, tanto præsertim ex morbo, tamque acerbis intestinorum doloribus. Continuo autem ut validior effectus sum, in alteram illam cogitationem me contuli, ut redirem cum meis antiquis sodalibus, hoc est cum libris in gratiam. Itaque scito nunc eam me dare illis operam, ut non habeant caussam justæ adversus me querelæ: neque enim unquam majore in pretio apud me fuerunt, quam nunc sunt. Quare quod hiemem in his locis mihi agendam esse intelligo, totum hoc tempus jucunde & comiter cum illis traducam. Scripsit quidem mihi amplissimus Farnesius summi Pontificis verbis, ut redirem Romam, caussasque hujus vocationis adscripsit. Sed non mihi fuit excusatio longius petenda: est enim in promptu; quod grandi alieno ære oppressus, utrumque simul non queo, & satisfacere creditoribus, & in Urbe domicilium habere, hac præsertim durissima conditione temporum, cum Romæ nunc permagni omnia veneant. Heic tu fortasse verebere, ne quid ego indignitatis admiserim, quod sit turpe studiis nostris, quasi captans livelli aliquid, & donativum militis more liguriens. Noli metuere; non ego solum animo sum ab omni hujusmodi fœditate remotissimo, verum ipsi etiam me sciunt alienum esse. Misissem sibi excusatoriam Epistolam, si te eam libenter esse lecturum existimassem. Nunc quando jam ego ante ver novum in

Ita-

Italiam amplius profecturus non ſum, non putavi alienum noſtra amicitia, meaque in te propenſiſſima voluntate, certiorem te facere ejus, quod a te imprimis puto deſiderari, me ſcilicet recte valere, reverſumque eſſe ad ea ſtudia, quorum mihi fructum ac uſum Roma atque Italia diutius quam vellem, & quam eſſet opus abſtulerat: quibus quidem in ſtudiis ſi quid elucubravero (meditor enim quiddam) quod mihi tua lectione dignum eſſe videatur, ſciſcitatus prius a te per litteras tibi ne ſim rem moleſtam facturus, te non aſpernante, totum id libenter ad tuum judicium deferam (a). Sed hoc poſterius. Nunc has ad te ob eam unam cauſſam præcipue dedi litteras, ut animadverteres & noſceres vivere mihi ſemper in animo memoriam tui, tuiſque clariſſimis & maximis virtutibus, honorem eum, qui debeatur, apud me ſalvum atque incolumem perpetuo eſſe. In quo te rogo, ut quod ad amorem attinet dumtaxat mutuum mihi, te parem pro tua præſtanti eximiaque humanitate præbeas. Vale. Carpentoracti. VI. Kal. Novembris M. D. XXXVIII.

(a) Opus de *Catholicæ Eccleſiæ extructione* meditabatur hoc tempore Sadoletus noſter, de quo opere paullo inferius pag. 70. & 71. Conſule præterea quæ de eodem opere diximus in notis ad Sadoleti vitam Pontificiis Epiſtolis præfixam p. LXXXII. LXXXIII. & ſeq.

EPISTOLA CCCXI.

HIERONYM. NIGER (a) JACOBO SAD. CARD.

Ejus literarum desiderium ostendit, & de Lazari Bonamici in scribendo negligentia, de qua Sadoletus cum Paulo fuerat conquestus, multis verbis jocatur.

MAgna molestia liberatus sum Pauli Nepotis tui literis, quas ad me Sexto Idus Martias dedit. Nam post reditum tuum a Massiliensi Conventu, nihil certi de te ad hunc diem cognoveram. Vide satisne (b): æquum est profecto humanitas tua non pati nos tanto in desiderio literarum tuarum versari. Quod si te graviora impediunt; habes Nepotem, qui nos suis verbis veluti dormientes excitet. Quanquam enim omni in cœtu, & quotidianis sermonibus nostris viget semper tui commemoratio absentis, tamen nescio quo pacto fit, ut cum a te nobis redduntur literæ, ingenti voluptate replet animos nostros jucunda tui recordatio, excitamurque magis ad virtutem, & gloriam, quasi vocem hortantis imperatoris ipso in prælio audire videamur. Lazaro (c) tuis verbis diem dixi; id quod mihi Paulus Nepos mandarat. Is diligenter se expurgat, calamitatisque loco maximæ ducit, quod eæ lite-

(a) Vide quæ de eo habentur in not. ad Epist. LXX. & LXXII. Obiit Niger Patav. an. 1557. annos natus LXIII.

(b) Deest fortasse aliquid.

(c) Lazaro Bonamico scilicet, de quo in not. ad Epist. LXVI. Par. I.

ræ quas ad te se dedisse affirmat, tibi non fuerint redditæ. Nos vulgarem excusationem non accipiemus, urgemus hominem vehementer, ac veluti desertorem amicitiarum in judicium vocabimus. Erunt jam huic omnes oratorii loci pertractandi, evolvendi, totaque dicendi ars, quam profitetur in lucem ac forum proferenda, si suam ipse causam velit defendere. Sed quantum conjectura assequi possum, hujus spes omnis in tua humanitate, & clementia posita est. Erunt tuæ partes accersere hominem ad te, neque scriptam defensionem accipere: sic enim fiet, ut (quod facere aliquando constituimus) binos apud te menses ponamus, instar diuturnæ ac beatæ vitæ. Tibi quidem non concedimus, ut hujusce rei tu cupidior sis, quam nos simus. Quare ubi otium, & tempus idoneum nacti fuerimus, convolabimus. Desiderium urbis Romæ jam deposuimus, immo vero ejus mentionem perhorrescit animus noster, eorum memor quæ miserrima vidimus, & perpessi fuimus. Urbem modo incolimus natura amœno, atque ubere sita loco, arte munitissima & quæ a profugis condita jure perfugium dicitur. Pierius Valerianus (a), qui modo est apud nos multam tibi salutem dicit, paratque particulam libri τῶν ἱερογλυφικῶν, quam ad te mittat. De Heliodori negotio abunde scripsi ad Paulum perstare, sed etiam vehementer cupere. Tu rem contra arbitratu tuo. Quicquid mandaveris, curabo diligenter.

(a) Vid. notas in Epist. CLXVI. Par. II. pag. 77.

EPISTOLA CCCXII.

JACOBUS SADOLETUS CARDINALIS Joanni Cochlæo S. P. D. (a)

Plura scribit de statu, de oratione sua, & de hujus libello ad Sturmium misso: postremo ait Alberti Pighii librum de Ecclesiæ principatu se valde cupere, & de futuro Concilio optimam spem habere.

TUas literas XVII. Cal. Augusti Misnæ datas, ego Carpentoracti VIII. Cal. Decemb. accepi. Eas tu me Romæ, aut in itinere sperasti accepturum. Quæ opinio non solum te, sed me ipsum etiam fefellit. Nam summum Pontificem ad conciliandos Principes Nicæam proficiscentem, ego ex Urbe prosecutus, toto illo itinere, Placentiæ præsertim, graviter ægrotavi. Nec tamen destiti quin pervenirem Nicæam, illisque sanctis & salutaribus negotiis interessem. Post, conventu soluto, locorum vicinitatem, & cœli salubritatem secutus, Carpentoracte meam ad Ecclesiam me recepi, ubi etiam nunc commoror, nec ante proximum ver in Italiam rediturus sum. De his omnibus, deque induciis & compositione inter diffidentes antea inter se Principes facta, scripsi superioribus diebus ad clarissimum virum Ducem tuum: quas ad eum literas hoc tempore arbitror esse perlatas, & cum eis una oratiunculam quandam meam, quam ego Romæ conscripseram antequam inde proficiscerer,

(a) De eo vide notas in Epist. CCCV. pag. 32. hujus part.

rer, ad hæc ipſa negotia videlicet & Germaniæ & Lutheranorum pertinentem. De qua oratione tum Georgii ipſius optimi, doctiſſimi, religioſiſſimi principis, tum tuum etiam judicium exquirebam: edendane eſſe videretur, an potius domi continenda: quod ut magis putem tuæ literæ faciunt. Scriptæ enim ſunt & accurate & prudenter. Videtur enim (quemadmodum tute ſcribis) diſceptatio ad vos, ad vos autem judicatio magis pertinere. Itaque ego, qui de tua & doctrina & probitate, ſemper optime ſenſi: nunc ex his literis tuis, & ex eo libello, quem ad Sturmium miſiſti, qui a me lectus ſumma cum voluptate eſt, addidi etiam aliquid ad opinionem priſtinam. Non enim ſolum mihi docte, verum etiam moderate & leniter ſcribere videris: quam ego ſcribendi rationem & viam imprimis probare ſoleo. Dederam ſane ego quoque ad Sturmium literas, eum leniter objurgans: quarum exemplum miſi ad te, ut ſi tibi etiam viderentur invulgandæ, tuo arbitratu ſtatueres. Decet enim nos iſtorum inſolentiam non exaſperare convitiis, quo in genere maxime exultant ipſi ſed manſuetudine retundere, quod proprium officium Chriſtiani hominis eſt. De concilio ſpem non amiſi, bene enim ſentio de Pontifice maximo. Hæc certe poſtrema ejus prorogatio, rogantibus & contendentibus ambobus principibus, facta eſt. Quare ego quoque ad id temporis, quo auſpicandum concilium eſt, in Italia eſſe cogito. Albertum Pighium, hominem meo quoque judicio doctiſſimum, audio ex te libros edidiſſe de Eccleſiæ Principatu (a):

C 3. quos

(a) Lege not. in Epiſt. CCCXIX, hujus partis pag. 68.

quos equidem habere cuperem, libenter enim lego ejus hominis scripta. Quod vero in quibusdam sibi videatur nimis ille exaggerare summi Pontificis authoritatem idque tametsi vere fiat, tamen in hoc tempore nonnihil periculosum esse, noli ægre ferre. Utinam tam mores nostri probati essent hominibus, quam est Pontificis potestas sine ulla dubitatione maxima. Neque hoc nocere publicæ causæ (ut ego arbitror) potest. Reliquum est, ut a te petam, ut ad me frequenter scribas, faciasque me de istis rebus Germaniæ quam sæpissime certiorem: quo nihil gratius expectare a te possum. Mea & benevolentia & opera semper est tibi, & erit parata. Vale & Georgium Ducem præstantissimum omnium, meis verbis jube salvere quam plurimum. Carpentoracti Pridie Cal. Decemb. M. D. XXXVIII.

EPISTOLA CCCXIII.

JACOBUS SADOLETUS CARDINALIS

Alexandro Farnesio S.R.E. Card. S.P.D. *Rom.*

De aucta Farnesiæ familiæ dignitate gratulatur.

SUperioribus his diebus tuis literis, quibus me Romam evocabas, respondi: reddidique rationem meæ hic non modo justæ, verum etiam necessariæ usque ad certum tempus commorationis. Quod item adversus summum Pontificem feci, cui mea acta atque consilia imprimis cupio esse probata. An vero mea excusatio in bonam accepta partem a vobis fuerit, nondum equidem sciebam: nullas enim ea de re acceperam literas. Sed tamen confidebam,

bam, vestræ naturæ clementia & bonitate fretus, non frustra vobis oblatas fuisse preces & obtestationes meas. Itaque sedato eram animo, totusque ad literas & studia conversus, nescio quid excudebam, quod in hac perturbatione temporum alicui fortasse usui esse possit. Postea venerunt ad me ex Urbe literæ, omnia de vobis læta nuntiantes, qua de nuptiis & affinitate Cæsaris: qua de vestræ familiæ aucta & amplificata dignitate: quod utrumque mihi jucundissimum auditu fuit (a). Cum enim habeam summum Pontificem avum tuum omnis mei honoris, & dignitatis authorem, omnia ego vobis debeam necesse est. Itaque ex hac vestræ amplificatione fortunæ tantum lætitiæ capio, ac voluptatis, quantum ex mea aut meorum, si isto ego loco essem, profecto non caperem; Deumque supplex oro, ut ista vobis rata & perpetua esse statuat. Et tamen, ut timidus est amor, cogitanti mihi rerum vicissitudines, & temporum, atque in secundis & prosperis varia & dubia semper pertimescenti, videbantur vestra hæc sive fortunæ sive etiam humanæ prudentiæ præmia, clavo ut dicitur trabali firmiter ad diuturnitatem temporum figi posse, si quam sapientiam hoc tempore in amplificanda generis ac familiæ suæ dignitate summus Pontifex adhibuit

(a) Octavii Farnesii Parmæ Ducis nuptias intellige cum Margarita Caroli V. Imp. Filia, quum ipse Octavius annum ageret decimum quintum. Huic adolescenti antea Cæsar Novariam dono dederat, ejusque affinitatem Cosmi Florentiæ Principis affinitati prætulit. Vide Raynald. Annal. Eccl. ad an. 1538. n. 16.

eandem ad religionem Dei redintegrandam; sanctosque mores in Sacerdotum ordine revocandos, quemadmodum quidem initio agere aggressus est, usque ad præclarissimi operis effectum adhibuerit. Quod mihi sane videtur non diuturnæ consultationis, sed magni animi & parati fore negotium. Ut enim navis adversus vim & metum impendentis tempestatis duabus anchoris religari solet, quarum major altera dicitur, altera minor: sic vos majore anchora fortunarum vestrarum in ipso Deo jacta atque firmata, ab omnibus tempestatibus tuti atque muniti, secundos semper cursus tenebitis. Sed ego ineptus qui ad ista progrediar, quasi vero aut virtus vobis desit, aut consilium, quod utrumque in vobis cernitur abundare. Illud meum est, Farnesi amplissime, ut & vobis gratuler, quod equidem libentissime facio, & optem vestris secundis rebus perpetuitatem: quod semper animo amicissimo sum facturus. Vale. Carpentoracti Prid. Cal. Decemb. M. D. XXXVIII.

EPISTOLA CCCXIV.

JACOBUS SADOLETUS CARDINALIS

Ambrosio Catharino Polito S. P. D. (a)

Literarum officium ab eo petit, & quibus in studiis sit scribens, quid ipse agat, quidve moliatur requirit.

NOn potui perferre diutius desiderium tui, quin sciscitarem ex te per literas, quid

(a) Hic Senis ortus an. 1482. antequam Prædicatorum familiæ nom daret, jus civile professus est, ibique Joan. Ma-

quid ageres rerum, quomodove valeres: quod tamen æquius fuerat me cognoscere ex tuis literis: tuæque in illis erga me benevolentiæ habere testimonium: nec tamen puto me totum tibi ex animo effluxisse. Etsi enim habes patronum ejusmodi, præ cujus ingenio, virtute, elegantia, nos tibi forte sordere videamur: tamen ut ille præstantia & gravitate dignitatis suæ superbum te adversum nos reddere potuit: sic humanitate idem & comitate, qua singulari est præditus, docere te debuit, non esse absentium amicorum memoriam deponendam. Sed jam serio mi Catherine: cupio vehementer audire quid agas. In studiis te esse arbitror: quod enim jam aliud tibi est negotium? Veruntamen si mihi aliquando indicasses, quæ tibi opera nunc sint in manibus, valde mihi rem gratam mediusfidius fecisses. Ego hic quanquam familiaribus curis graviter implicatus, quod multa necesse habeo extricare, quæ antea contraxi: tamen scribendi & elucubrandi curam non desero; volumenque contexo quod

C 5 si

Mariam de Monte habuit auditorem. Eo ad summi Pontificatus fastigium perveсto Julii III. nomine adscito, Minorensis primum Episcopus, deinde Campanus Archiepiscop. in Regno Neapolitano factus, ac tandem Romam vocatus ut majori suarum virtutum præmio frueretur, Neapoli in itinere apoplexia correptus, vivere desiit VI. Id. Novemb. 1553. Porro priusquam honoribus a Julio Pont. Max. augeretur, in Gallia decem prope annos vixit, ac potissimum Lugduni, qua in Civitate fortasse erat eo tempore, quo hanc ad eum Sadoletus Epistolam dedit. S. Catharinam Senensem cujus vitam descripsit, ita coluit, ut quum ante *Lancellottus Politus* diceretur, ab ea se *Catharinum* voluerit appellari. Verum de ejus vita, moribus, scriptisque multa invenies apud Echardum in Biblioth. Prædicat. tom. 2. pag. 144.

si Deo bene juvante ex sententia processerit, nonnihil certe arbitrabor esse actum. Habeo autem propositum argumentum, ut scias, de ordinibus & constructione Catholicæ Ecclesiæ: reliqua jam tu nosti. Magna res est, meisque viribus longe superior: sed tamen quoniam semel suscepta est, non est per ignaviam abiicienda. In tanta re utar ope & consilio tuo cum opus fuerit. Nunc volui te fieri participem consilii mei, ut videres & animadverteres, me ne in otio quidem otiosum esse posse. Otium porro est, ubi Roma non est. Sed hæc hactenus. Tu me diligas, quemadmodum quidem soles, valetudinemque tuam diligenter tueare a te etiam atque etiam peto. Vale. Carpent. Idib. Decembr. M. D. XXXVIII.

ANNO M. D. XXXIX.

EPISTOLA CCCXV.

JACOBUS SADOLETUS CARDINALIS

Paulo III. Pont. Max. S. P. D. *Romam*

Pontificem rogat ut proximis comitiis Petrum Bembum in sacrum Cardinalium Senatum adsciscere velit.

CUM huc esset allatus nuntius de creatione Cardinalium, quos Sanctitas tua proxime in amplissimum Collegium cooptavit: equidem de cæteris nihil mihi ad judicandum assumens, quorum vitam moresque ignoro: satis confidens abs te omnia & sapienter, & optima ratione fuisse acta: de Scoto illo vehementer probavi consilium tuum. Perspexi enim penitus cum altitudinem animi tui, tum vim singula,

gularis prudentiæ, per quam pati non vis, impium Regem vacantem domesticis finitimisque periculorum suspicionibus, impune ac licenter in depopulanda Dei Ecclesia debacchari, quod consilium simul & factum Sanctitatis tuæ Deum immortalem fortunaturum esse non dubito: idque uti ita eveniat Deum eundem precor. Quod vero inter cæteros unum adhuc Venetum in ordinem legendum nostrum tibi reservasti, en Pater Sancte occasio & locus, quo Sanctitas tua potest, clarissimo viro & omni virtute, doctrina, eloquentiaque ornatissimo, hunc honorem si detulerit, non tam quidem sibi novam comparare gloriam præclari sui in hominibus diligendis judicii, quam veterem & jam partam confirmare: ut non solum ab his, qui abs te honestantur, sed præterea ab omnibus qui in toto orbe terrarum conjectos habent in te oculos, cum laudibus feratur in cœlum tua virtus, animi magnitudo, sapientia: tum maxima tibi & perennis gratia habeatur. Est enim omnium commune beneficium, quod confertur in hominem & bene de multis antea meritum, & paratum ad bene merendum. Qualis certe Petrus Bembus est, qui hoc etiam magis beneficentia tua videtur amplectendus, quod complures annos diligenter atque honorifice Romanæ Curiæ inservivit. Quam unam in me ipso rationem Sanctitas tua secuta est: cum me non aliis meis meritis, sed sua incredibili benignitate ac liberalitate adscivit in eum ordinem, unde mihi celebritas, & bona fama magis etiam ex judicio tuo, quam ex honore ipso acquisita est. Pro quo amplo insignique erga me beneficio, si me perpetuo adstrictum tibi, tuoque cuncto generi & no-

mini esse sentio: cupio etiam a Sanctitate tua intelligi, si Bembum summum virum pari quodammodo ejusdem beneficio collegam fuero nactus, non me uno & simplici vinculo, quanquam eo firmissimo & arctissimo, sed pluribus & nunquam extricabilibus laqueis, tibi obligatum fore. Deus omnipotens omnia & cœpta & consulta Sanctitatis tuæ ad optatum finem, & eundem sibi gratum acceptumque perducat. Carpentoracti Non. Januar. M. D. XXXIX.

EPISTOLA CCCXVI.

JACOBUS SADOLETUS CARDINALIS

Nicolao Rodulpho S. R. E. Card. S. P. D. (a) *Rom.*

Mutuæ ac veteris necessitudinis, acceptorumque ab eo beneficiorum numquam immemorem fore profitetur.

NOli putare me, quod ad te adhuc nil scripserim, tui immemorem factum esse: non sic virtus tua nec mea natura postulat. No-

(a) Nicolaus Rodulphus Florentinus Leonis X. Sororis filius, anno MDXVII. Kalend. Julii a patruo in Sacrum Cardinalium Senatum relatus, tanta prudentiæ doctrinæ, integritatis laude floruit, ut Clemens VII. & Paulus III. Pontifices Maximi in omni Christianæ Reip. procuratione eum præcipue authorem actoremque semper habuerint. Ac Paulus quidem III. adeo hominis virtutem fecit, ut dignum potissimum existimaverit, qui sibi in Pontificatu succederet. Ecclesiis Florentinæ, Urbevetanæ, Vicentinæ, Forolivienfi, Viterbiensi, Imolensi ac Salernitanæ multorum annorum spatio præfuit. Obiit enim anno M. D. L. Kal. Februarii vacante Apostolica Sede, sepultusque est ad D. Augustini nullo addito monumento, Vid. Ciacc. opus tom. 3. col. 408.

Nostra autem inter nos vetus necessitudo, cum summa mea erga te observantia conjuncta, etiam illud exigit, ut colam te cum præsens, tum absens, præcipuo quodam officio & insigni benevolentia: quod facturus semper sum, absteque vicissim peto, ut quem mihi amorem tuum multis in rebus præstitisti, eundem pro tua præstanti humanitate conserves: meque absentem omnibus rebus, quibus fuerit opus defendas & tueare. Ego si quid usu venerit, quod tuum patrocinium mihi sit expetendum, confugiam ad te, nisi tibi id molestum futurum sit: non propter naturam quidem sed propter occupationes tuas. Nam illa semper in te plenissima humanitatis fuit. Occupationes vero efficiunt interdum, ut non sit novis curis & cogitationibus locus. Sed tamen in tuis assiduis studiis procurationeque Reipub. nonnihil mihi loci vacare in tuo animo vehementissime cupio: quo sit mihi receptus ubi ad tuam fidem confugiendum erit: quod potest in dies singulos contingere. Non sum oblitus, nec vero unquam oblivifcar, quibus me officiis & benevolentiæ significationibus prosecutus fueris, cum proxime Romam veni; quo quidem tempore non prius pene pedem in Urbe, quam in tuis beneficiis posui. Cura enim potissimum ac diligentia tua domum egregie instructam atque ornatam ipso meo in ingressu statim sum nactus. Quæ tua bonitas ac liberalitas altius mihi tum hæsit, quam ut facile sit verbis explicare. Non enim ego is sum, qui meum commodum magis, quam ipsius commodi authorem amem. Fontem enim beneficiorum magis specto, quam ipsa beneficia: qui quidem fons amor est. Eundem igitur in me animum tuum si conservaveris,

ris, Rodulphe humanissime, gratissimo omnium & optatissimo beneficio me affeceris. Sed ne multis, totum me tibi & tuæ fidei benevolentiæque dedo atque commendo. Vale Idibus Januar. M. D. XXXIX. Carpentoracti.

EPISTOLA CCCXVII.

HIERONYMUS NIGER

Jacobo Sadoleto Cardinali S.P.D. *Carpent.*

De Sadoleti ab Urbe discessu variisque de eo hominum opinionibus multis agit.

SAne molestè tuli præreptam mihi fuisse facultatem te videndi, priusquam Italia excederes. Existimabam enim Pontificem maximum, quas ob causas te ex tam longinquis regionibus tanto tuo cum rei familiaris tum valitudinis detrimento evocarat ad se se ob easdem te retenturum, præsertim in tantis Reip. fluctibus, quos & si compescere sola Dei clementia potest, proborum tamen & sapientum virorum communicata consilia, non usquequaquam arbitror esse negligenda. Sed quando magis e republica tibi visum fuit recedere (non enim puto te privati tui commodi ullam in ea re habuisse rationem) propositum tuum improbare non audeo. Quin omnia te & recte cogitasse & sapienter fecisse judico. Tantum oro, ut pro tua modestia æquo animo feras, quid de profectione ista tua alii sentiant, a me paucis explicari. Non ignoras usu venire tibi, quod & cæteris fere hominibus evenire solet, ut ex omni mortalium genere alii tibi amici sint, alii invidi, nonnulli medio modo se habentes, ut nec ament, nec invideant. Amico-

corum ſane varia fuerunt de tuo receſſu judicia, ſed horum plerique (quod partim ex eorum ſermonibus, qui ad nos venerunt, partim ex amicorum literis cognovi) libenter te Romæ apud Pont. Max. videre voluiſſent, excuſationem inopiæ & anguſtiæ rei familiaris non recipiunt, quum & alii ſint ejuſdem ordinis antiſtites eodem incommodo laborantes, qui tamen a latere Pontificis Max. non deſcedunt, & qualemcumque poſſunt operam reip. præſtant. Addunt etiam te tuis virtutibus comitatum multo honeſtius, quam alios complures longa ſerie ante ambulonum, & poſt ambulonum ſtipatos conſpici potuiſſe; nec eſſe tempora ejuſmodi, quæ pompam requirant, neque te ita inſtitutum vel diſciplina, vel moribus, ut haſce umbras conſecteris, quum ſolida nitaris gloria. Invidorum autem voces quæ nam eſſe poſſunt, niſi mordacitatis, & calumniarum plenæ: gaudent enim ii ſe occaſionem detrectandi ex amicorum tuorum judiciis inveniſſe, ſimul addunt te parum illuſtri gratia excepiſſe dignitatem, qua auctus es, quum ipſam præ tuo commodo & quiete contemnas, cæteri vero, qui nec amant, nec oderunt in plurimorum ſententia ſunt, & facile aſſentiuntur iis, quæ viri boni, & amantes tui ſentiunt, & loquuntur. Illud potiſſimum in ore habent, te in ſummorum antiſtitum collegium cooptatum fuiſſe, non ut procul ab Urbe, & a Pont. Max. qui te cooptavit, tandiu abeſſes, ſed ut ejus lateri aſſideres a quo liberaliter es ornatus. Scripſi hæc ad te incitatus amore, & vetere mea in te obſervantia, non quo hæc aut ignota tibi, aut improviſa putarem. Sic enim mihi perſuadeo te antequam pedem ex

Ita-

Italia movisses, omnia quæ de te futura essent amicorum, & alienorum judicia prospexisse. Atque ego in hunc ferme modum eis omnibus quibuscum de hac re mihi sermo habetur dicere soleo. Esse te ea ætate, eo rerum usu, ea sapientia præditum, ut quid tibi, & Reip. expediat optime intelligas, ea vero probitate, ac pietate, ut Remp., & Christiani nominis dignitatem omnibus semper tuis commodis, & honoribus anteponendam censeas. Quod ad me attinet solabor ipse me aliqua specula te aliquando videndi opportuniore tempore. Quod quando futurum sit nescio, utinam id sit salva Rep. quam tenuissimo filo pendere vides. Interea pergratum mihi feceris si tuas interdum ad nos dederis literas librarii saltem manu scriptas, aut Pauli Nepotis, quem valere cupio cum familia omni tua. Vale.

EPISTOLA CCCXVIII.

JACOBUS SADOLETUS CARDINALIS

Gaspari Contareno S.R.E. Card. S.P.D. (a) *Romi*

Reginaldi Card. Poli adventu & calamitatibus enarratis, Contareno ob susceptas Bavariæ Ducum causas gratias agit.

POlus collega noster, optimus atque amplissimus vir, dignissimus illa fortuna in qua erat natus, non hac quæ nunc illi obstat, graviterque infesta est, iter faciens in Hispaniam, Carpentoracte ad me divertit, suoque mihi adventu cum non mediocrem dolorem, tum

---

(a) Vide notas ad Epist. CCCXXXIV. hujus part. II.

magnam etiam attulit voluptatem (a). Videre enim & aspicere hominem eum, quem summe diligo, & affari præsentem, quem absentem desiderare sum solitus, insigni quadam lætitia me affecit. Audire autem ex eodem acerbos familiæ suæ casus, & nobilissimam immanitate teterrimi tyramni pene extinctam domum intelligere, sane usque eo mihi miserum & crudele visum est, ut nisi ejusdem Poli, cui erat illa calamitas inflicta, virtute & sapientia lenitus essem, modum meo dolori facturus non fuerim. Verum ille, qua suis in rebus omnibus animi constantia & moderatione est, quum Deo semper se subjiciens, atque illius voluntati obtemperare paratus, de suis acerbissimis rebus, tanquam de alienis loqueretur, suum domesticum quidem incommodum fortiter ferebat (b): de publico vero Christiani nominis incommodo gravius commovebatur. Cui certe communi Christiano nomini ab impio Rege (si Rex est appellandus is, qui feri-

(a) Legatus proficiscebatur Polus ad Carolum V. qui tunc Toleti erat, ut illius animum adversus Henricum VIII. incitaret. Sed Cæsar ob veteres cum Galliæ rege inimicitias, ab Angli fœdere non abhorrebat. Itaque commutata voluntate Poli legationem sic audivit, ut alienum esse illud tempus exequendis Pontificis postulatis diceret. Polus intelligens quorsum ista evaderent, abeundi venia a Cæsare impetrata, eodem quo venerat itinere, Avenionem revertit, atque illinc Carpentoractem ad Sadoletum abiit; qua in urbe sex menses commoratum fuisse magna cum sua & Sadoleti ac populi ipsius voluptate scribit Dudit ius Sbardellatus in ejusdem Poli vita p. 17.

(b) Poli consanguineos Henricus VIII. partim morti, partim perpetuis carceribus addixit. Ipse autem Polus perduellionis reum se haud multo ante ab impio rege decla-

feritate animi & magnitudine crudelitatis jam ne hominis quidem appellationem retinet) nova atque, inaudita omnibus seculis injuria allata est (a). Quod tamen ego divina providentia fretus non diu illi multum futurum esse confido. Sed cum Polo nostro reliqui sermones habiti, qui sunt partim de Republica rebusque urbanis, partim de amicorum & familiarium nostrorum statu, gratia, authoritate, perjucundi nobis fuerunt. In quibus nimirum de te plurima mentio. Nam nec mihi percontandi, neque illi commemorandi de tuis dictis factisque omnibus satietas erat ulla: tanta est utriusque nostrum virtutis tuæ opinio, jure illa quidem a nobis suscepta. Quid enim tua prudentia, integritate, sanctitate, est illustrius? Sed quo ista in te majora præstantioraque sunt, hoc noster amor in eundem te ardentior, disjunctionem a te meam (de me enim præcipue loquar) molestiorem mihi facit videri. Itaque quanquam hic multa sunt, quæ me non invitum detineant: locorum amœnitas, cœli salubritas, earum rerum omnium &

---

claratum fuisse intellexerat, ac publice quoque eo nomine proscriptionem in se esse latam: ac non id tantum, verum etiam si quis eum interemisset, ei quinquaginta millia aureorum nummum necis præmium esse constitutum.

(a) Non modo enim Henricus Rex a Sanctæ Matris Ecclesiæ unitate atque obedientia discessit, sed tantum scelus novo atque ad eam diem inaudito scelere cumulavit. Nam supremi Anglicanæ Ecclesiæ capitis nomen auctoritatemque sibi arrogans, pœnam læsæ majestatis, qua gravior nulla est, in eos constituit qui id approbare nollent.

& quidem optimarum copia, quæ ad vitam victumque pertinent: tum autem vel imprimis amor horum populorum, qui ut a me diliguntur, ita me vicissim diligunt ipsi; omnesque in meo vultu atque in excubiis quodammodo meis acquiescunt: tamen ut Romam interdum desiderem, vos vos amici mei facitis; & imprimis tu optime Contarene, cui omnes mei sensus ita valde sunt consentientes, ut nulla nostram, non fortuna sed judicio contractam familiaritatem atque amicitiam, labefactura ætas sit. Sed nimio longe progredior in his rebus, quæ nec modum ullum nec finem habent. Quæ enim meæ erga te benevolentiæ simul & observantiæ par inveniri possit oratio? Quare, ut in pauciora conferam, scito, me tui absentis memoriam summa cum fide & benevolentia retinere. Heri vesperi accepi ab Urbe literas, in quibus mihi illud jucundissimum, quod mei certiorem me faciunt, te libenter meo rogatu recepisse causas Ducum Bavariæ summo Pontifici commendandas: quo nil mihi gratius efficere potuisti: neque item (ut arbitror) tui virtuti, authoritatique, convenientius. Illi enim fortissimi ac nobilissimi Principes & in causa Dei religionisque firmissimi, dignissimi profecto sunt, quorum ab omnibus nobis, quibus Christiana Respub. est curæ, honoris ac dignitatis ratio vel maxima habeatur. Quapropter abs te peto, ut & pro amicitia nostra, & pro constantissima fide tua, quod jam susceptum abs te est, in eo naviter persistas: remque ita geras, ut Duces illi intelligant, me etiam absente sibi non deesse in urbe Roma optimorum & diligentissimorum Cardinalium patrocinium. Iisdem de rebus scri-

scripsi ad Ambrosium Gupembergum, hominem usu multarum rerum præditum, ad te uti adiret, communicaretque tecum cogitationes quasdam suas & consilia, quibus commodissime rationibus obviam iri Lutheranis & consuli ejus nationis populis ac principibus possit. Quem tu pro tua singulari humanitate diligenter audies: reliquaque ages apud Pontificem Maximum, quæ tibi Reipub. utilia esse videbuntur: imprimisque ipsum Ambrosium in fidem tuam uti recipias, & quoad honeste facere poteris, faveas illi tua authoritate, & gratia in eis rebus consequendis quas in se optat, te amplissime Contarene rogo atque oro. Vale. Calend. Febr. MDXXXIX. Carpentoracti.

EPISTOLA CCCXIX.

JACOBUS SADOLETUS CARDINALIS

Alberto Pighio Campensi S. P. D. (a).

Pighii libros de Ecclesiasticæ Hierarchiæ principatu magnopere laudat.

TUos libros de Hierarchiæ ecclesiasticæ principatu cum legerem, plurimaque in illis

(a) Albertus Pighius Campis Transilvaniæ oppido honesto loco natus, Lovanii in gymnasio Falconensi politioribus literis eruditus est. Ad graviores deinde disciplinas conversus, tantos brevi tempore in utriusque Philosophiæ studiis progressus fecit, ut adolescens de ratione Paschatis celebrandi, de restitutione Kalendarii, de Æquinoctiis, de Solstitiis, deque aliis rebus ad Astronomiam præsertim pertinentibus scite scripserit atque eleganter. Ad

illis invenirem, quæ tua cura & diligentia in lucem e tenebris quasi vetustatis prolata sunt: scatereque ibidem omnia optimis & sententiis & authoritatibus cernerem: equidem ingenium & doctrinam & notitiam tuam rerum antiquarum sum admiratus. Probitatem autem & religionem illa mihi res etiam in te ostendit, quod vidi & cognovi te optimo animo & consilio adductum, quo Christianæ Reipub. tot malis

---

Ad hanc ingenii præstantiam (qua ejus oris deformitatem natura abunde compensaverat) accessit rara quædam & singularis peritia in æneis instrumentis ad syderum cursus deprehendendos accomodatis, exactissime fabricandis. Sed in divinarum rerum tractatione Pighii ingenium, eruditio, ac pietas præcipue enituit. Nam cum multis operibus Catholicam veritatem adversus impios Lutheri, Melancthonis, Buceri, Calvini, aliorumque hæreticorum errores egregie vindicavit propugnavitque, tum illo præsertim quod *de Ecclesiasticæ Hierarchiæ principatu* inscribitur. Quo quidem in opere etsi in iis quæ ad Dei gratiam pertinent a D. Augustini doctrina, quam Catholica hoc est Romana sequitur Ecclesia nonnihil recessisse videatur, tanta nihilominus rationum ubertate tantoque argumentorum pondere summi Pontificis dignitatem auctoritatemque defendit, ut nihil supra possit. Neque solum scriptis, sed etiam publicis Ecclesiæ negotiis tractandis, variisque Legationibus per Italiam ac Germaniam maximis de rebus obeundis egregiam ac fidelem Apostolicæ sedi operam præstitit. Adrianus enim VI. (a quo primum in Italiam est accersitus) Clemens VII. & Paulus III. Pontifices Maximi eximia hominis prudentia atque doctrina maxime usi sunt. Obiit Ultrajacti anno M. D. LXIII. ætate jam laboribusque confectus, ubi amplissimum Sacerdotium vulgo *Præposituram* ad S. Joannis Baptistæ obtinuerat, quum nondum Apologiam adversus Martini Buceri calumnias confecisset. Pighii opera recensentur a Joan. Molano in Bibliotheca & a Possevino in Apparatu Sacro.

lis detrimentisque affectæ, opem pro tua parte ferres, tantum negotii & laboris suscepisse. Quæ res, & mea simul propensa in doctos probosque homines voluntas effecit, ut has ad te instituerem darè literas, quibus tibi indicarem, cum mihi vehementer tua scripta probentur, pietatem tamen & voluntatem tuam, multo etiam magis probari. Itaque quod solet sequi necessario, ut cum de quopiam bene existimamus, illum etiam diligamus; scito me tantum suscepisse benevolentiæ erga te, ut si quid extiterit, quod tibi ex me commodum aut honorificum possit accedere, neminem qui me vincat in amore & studio tibi gratificandi sis habiturus. Ego Romæ non eram cum has scribebam literas, sed in Ecclesia mea Carpentoracti, quo Nicæa veneram ut ex longo & difficili morbo perditam prope valetudinem recrearem: quibus in locis hyems me oppressit. Nunc in Italiam & ad Urbem cogitabam: quo cum his paucis mensibus, ut spero, pervenero, (si mihi id Dei benignitate salvo facere licuerit) ita memoriam tui & meritorum tuorum apud summum Pontificem, collegasque meos Sanctæ Rom. Ecclesiæ Cardinales, excitabo, & calefaciam: ut & ipsi & cæteri omnes intelligant, doctis & excellentibus viris, quanquam alienigenis & absentibus magnos tamen fautores in urbe Roma non deesse. Nec tamen prætermittam, quin interea dem ad Pontificem Max. literas, debitumque impertiam tibi & virtuti tuæ apud illum testimonium: quod hoc triduo omnino sum facturus. Sed quod ad privatas meas cogitationes attinet: scito Alberte doctissime, me ex tuis libris in maximas angustias & solicitudines animi conjectum esse.

Versa-

Versabar enim in eisdem plane studiis & in eodem argumento elaborabam; jamque confeceram bonam partem lucubrationis meæ, cum tui ecce libri mihi inopinanti advenerunt. Nunc quo me vertam nescio; si pergo atque insisto, videbor omnia abs te esse mutuatus. Quid enim tu cuiquam reliquisti, quod is tanquam novum aut inexpectatum possit dicere? Si desino, durum erit frustra a me susceptos fuisse tot labores. Quid igitur agam? quid? opinor id, quod veres etiam philosophi & jureconsulti faciebant, eisdem de rebus, alio modo. In quo hauriam de fontibus quoque tuis: nec me tantum scriptorum tuorum excellentia deterrebit (quanquam deterret illa quidem, & ut quiescam suadet) quantum adjuvabit copia: quæ facit, ut majore etiam animo, quam antea, & minore meo cum labore, confidam, spatium me curriculi mei, in quod ingressus sum, bene & celeriter esse confecturum. Vale & nos tui amantissimos dilige Carpent. III. Cal. Martii M. D. XXXIX.

EPISTOLA CCCXX.

JACOBUS SADOLETUS CARDINALIS

Joanni Mariæ Montio S. R. E. Cardinali (a)

Reginaldi Poli Card. statum describit, Montiique litteris amice ac familiariter respondet.

ADventus huc Poli amplissimi collegæ nostri & magnum mihi dolorem attulit, ut tu quo-

(a) Joan. Maria Montius hic est qui quum Concilio Tridentino Pauli III. nomine præfuisset, an. 1550. VI. Id.

tu quoque futurum videras, & non minorem etiam voluptatem. Videre enim hominem amicissimum utrique nostrum, summa ipsum virtute, summa temperantia, modestia, sanctitate vitæ præditum sane jucundissimum mihi fuit. Eundem autem videre tot appetitum injuriis, atque alienæ impietatis & crudelitatis scelere, in tantas & tam graves conjectum calamitates, certe non mediocriter mihi molestum accidit: cum præsertim non amici solum in eo incommoda, sed Christianæ etiam Reipub. vulnera uno & eodem tempore, dolere & miserari cogerer. Atque ipse quidem, quo animi robore, & qua erga Deum pietate munitus est, ferebat res adversas fortiter atque constanter. Ego vero qui nequaquam simili virtute præditus sum, cum me afflictarem in ejus acerbis casibus, illo ipso consolatore sublevatus sum, cui me afferre solatium magis oportebat. Atque is unum diem apud me cum fuisset, ita a me discessit, ut præter pristinam meam de illo opinionem, novam etiam admirationem suæ spectatissimæ virtutis in animo meo relinqueret (a). Sed quo mea tamen in ejus adventu lætitia foret uberior, tuæ suavissimæ & mihi jucundissimæ literæ fecerunt, quas cum avide legerem sic familiariter scriptas, ita mihi Deum propitium esse opto, ut omnes meos sensus intimos incredibilis quædam

Id. Februarii eidem in Pontificatu Maximo successit Julii III. nomine adscito. Ortus in Urbe Aretina an. 1488. obiit Romæ X. Kal. Aprilis an. 1555. quum vixisset annos amplius septem & sexaginta.

(a) Eadem de Poli calamitatibus scripsit Cardinali Contareno Epist. CCCXVIII. pag. 64.

dam voluptas pertentabat. Videbar enim mihi tecum tunc esse, & in tuo illo familiari vultu requiescere; cujus si mihi præsentis facultatem fortuna tribuerit, crede mihi, eos exigam fructus, qui nescio quo pacto olim a me prætermissi sunt, cum tua ista dulcis amabilisque natura nondum se mihi totam patefecisset. Illud nollem, quod in epistola tua mihi nimis magnum imponis onus judicii & testimonii tui. Et si verum audire vis, is mihi visus est in tua simplici, & aperta scribendi comitate, quasi quidam nævus intervenire, quod a nostris familiaribus epistolis abesse debet. Nam si de eo, in quo me laudas, respondendum a me tibi sit, nihil ego video esse in me, quod non idem in te multo sit præstantius. Alia præterea multa tibi egregia adsunt, quæ ego commemoraturus impræsentia non sum, nec commissurus, ut a quo te genere scribendi abstinere cupio, in id ipse genus incidam. Quare agamus inter nos, ut cœpimus, cum libere, tum amanter: ad quod (ut mihi intelligere videor) uterque nostrum natura propensus est, quanquam aguntur a te omnia venustius. Ego meum in Italiam reditum, nisi Pontifex isthuc, aut ad concilium venerit, usque in mensem Septembrem differre cogito, deque ea re dedi ad summum Pontificem literas. Hic non desino & legere, & scribere: quid effecturus operis sim, nescio: meditor certe præclara. Sed non ut volumus (inquiunt) verum ut quimus. Quicquid egero, utar tuo quoque judicio. Tu ut valeas mi Monti suavissime atque amplissime, totumque me tibi addictum esse persuasum tibi habeas, amoremque istum tuum erga me mihi perpetuum conserves, te etiam

atque etiam rogo. X. Cal. Apr. M. D. XXXIX Carpentoracti.

EPISTOLA CCCXXI. (a)

JACOBUS SAD. SENATUI P. Q. GENEVENSI

Genevensem populum in Catholicæ Ecclesiæ sinum unitatemque reducere conatur.

ARbitror, Fratres chariſſimi, aliquibus veſtrum eſſe notum, me nunc degere Carpentoracti: quo veni ab Nicæa ſummum illuc Pontificem, ad pacificandos Reges ex urbe Roma proficiſcentem, prius proſecutus. Amo enim eccleſiam & civitatem hanc, quam mihi ſpiritualem & ſponſam & patriam Deus eſſe voluit; populoſque hoſce meos vere paterna charitate complector, diſjungique me ab illis valde ægre fero. Quod ſi honos iſte Cardinalatus, qui mihi inopinanti & inſcio delatus eſt, Romam me coegerit redire, ut certe coget, quo in ea vocatione, in qua ſum vocatus ibidem Deo ſerviam; non is tamen meum animum atque amorem ab his populis avocabit, quos habiturus ſum in mediis cordis mei penetralibus ſemper infixos. Igitur Carpentoracti cum eſſem, audiremque multa quo-

(a) Extat hæc Epiſtola inter cætera Sadoleti opera editionum Moguntinæ ac Veronenſis, hac inſcriptione præfixa: *Jacobus Sadoletus Epiſcopus Carpentoracti S.R.E. tituli Sancti Calixti Presbyter Cardinalis, ſuis deſideraderatis fratribus, Magiſtratui, Concilio, & Civibus Gebenenſibus. Chariſſimi in Chriſto fratres, pax vobis & nobiſcum, hoc eſt cum Catholica Eccleſia Matre omnium noſtrum atque veſtrum, amor atque concordia a Deo Patre Omnipotente & unico ejus Filio D. N. Jeſu Chriſto, ſanctoque ſimul Spiritu, quæ eſt unitas in tribus perfecta, cui laus eſt & imperium in omne ſæculorum ævum, Amen.*

quotidie de vobis, quæ partim quidem mihi dolorem, partim etiam spem nonnullam excitarent, ut non diffiderem, nos & vos, qui fuimus quondam in recta erga Deum religione unanimes, eodem Deo benignius nos respiciente, ad eundem consensum cordium esse redituros: visum est Spiritui Sancto & mihi (sic enim scriptura loquitur) & certe quæcunque integro & pio erga Deum geruntur animo ex Spiritu Sancto omnia sunt; visum est mihi inquam, scribere aliquid ad vos, & eam animi curam ac solicitudinem, quam pro vobis capio, literis vobis declarare. Non enim, charissimi, nova est hæc mea erga vos suscepta & benevolentia & voluntas. Sed cum ab eo tempore quo ego Dei voluntate Episcopus Carpentoractensium factus sum, annis ab hinc tribus fere & viginti, propter commercium, quod vobis cum meis his populis frequens est, multa de vobis absens & de moribus vestris cognovissem: amare jam tum cœpi nobilitatem urbis vestræ, ordinem formamque reip., dignitatem civium, & illam imprimis vestram laudatam ac probatam apud omnes, erga externos homines & advenas, humanitatem. Et quoniam vicinitas quoque non exiguam sæpe partem ad diligendum affert, sicut in urbe propinquæ domus, sic in orbe finitimæ provinciæ amoris inter vicinos conciliatrices sunt. Non contigit ante hoc tempus, scilicet, ut vos hujus mei erga vos animi aut fructum perciperetis, aut aliquod signum indiciumque haberetis: non enim opera uspiam eguistis mea, quæ vobis profecto paratissima fuisset: verum nulla sese adhuc nobis obtulit occasio. At nunc quidem certe non contigit solum mihi, verum

etiam necesse est, ut quo in vos animo sim affectus, vobis demonstrare adnitar: si fidem meam erga summum Deum, & Christianam illam in proximum charitatem retinere mihi cupio. Etenim postquam fuit ad aures meas delatum, homines quosdam astutos, inimicos Christianæ unitatis & pacis, id quod in aliis antea nonnullis fortissimæ gentis Helvetiorum oppidis & pagis jam fecissent, item in vobis & civitate vestra malæ discordiæ semina jecisse: Christique fidelem populum a via patrum majorumque suorum, & a perpetua Catholicæ Ecclesiæ avertisse sententia, omniaque dissidiis & seditionibus implesse: (qui tamen mos proprius eorum semper est, qui auctoritate Ecclesiæ oppugnanda, novas sibi potentias & novos honores quærunt) testor Deum omnipotentem, eum ipsum qui nunc intimis meis cogitationibus præsens adest, me & indoluisse graviter, & duplici quadam misericordia affectum fuisse: cum ex una parte viderer mihi audire gemitum plorantis matris nostræ Ecclesiæ & lamentantis, quæ tot & tam dilectis filiis uno tempore esset orbata: ex altera, vestris, o charissimi, incommodis & periculis commoverer, Sciebam enim ego, tales viros novatores veterum & bene constitutarum rerum, tales turbas, talia dissidia, non solum animabus hominum pestifera (quod tamen malum omnium maximum malorum est) sed rebus etiam & privatis & publicis perniciosa existere. Id quod vos quoque ipso eventu rerum edocti, cognoscere potuistis. Quid ergo est? cum meus erga vos amor, & mea in Deum pietas me cogat, ut tanquam frater fratribus, & amicus amicis, intimum

omnem

omnem animi mei sensum vobis libere exponam: vos plurimum rogatos volo, ut bonitatem illam vestram, qua semper uti consuevistis, mihi quoque in præsentia, meis non ingrate accipiendis & legendis literis præbeatis. Spero enim, si æquis modo mentibus hæc quæ scribo attendere volueritis, vos, si non consilium meum, at animum certe rectum & simplicem, & vestræ imprimis salutis cupientem, non minimum probaturos: neque me quæ mea sunt, sed quæ vestra commoda atque bona, quærere intellecturos. Neque ego tamen spinosas & subtiles ordiar disputationes; quas philosophiam beatus Paulus vocat, & fideles Christi semper monet, ne se per eam patiantur decipi: per quam isti quidem vos circumduxerunt, cum inter imperitos obscuram quandam jactarent scripturæ interpretationem, fraudemque & malitiam, præclaro illo quidem, sed falso atque alieno doctrinæ & sapientiæ nomine honestarent. Ego ea proponam, quæ clara sint atque illustria, quæ nullam in se erroris latebram, nullum fraudis & fallaciæ habeant diverticulum: cujusmodi tamen semper est veritas. Ea enim & in tenebris lucet, & nemini non perspicua est, & a doctis juxta atque indoctis facillime percipitur: præcipueque in Christiano genere doctrinæ, non syllogismis, nec verborum captionibus: sed humilitate, sed religione, sed erga Deum obedientia est subnixa. Vividus est enim sermo Dei & efficax, & concidentior omni acuto utrinque gladio, penetratque ad juncturas spiritus atque animæ, & ad intima compaginum ac medullarum, neque animos illaqueat impeditis argumentationibus: sed cœlesti quodam in-

interveniente cordis affectu, planum sese & patentem mentibus nostris offert: ut non tam humana intus ad intelligendum ratio, quam ipse ad se qui nos vocat, operetur in nobis Deus. Quem ego Deum patrem omnis rectæ intelligentiæ supplex precor, ut & mihi ad dicendum & vobis ad percipiendum, ea adjumenta suæ benignitatis præbeat, per quæ possimus iterum in uno corde erga ipsum & in una mente consentire. Atque ut inde initium capiamus, unde maxime opportunum esse ducimus; Ego, fratres charissimi, sic existimo, me & vos, & reliquos præterea omnes, qui in Christo spem & fidem suam posuerunt: id ea una de causa ita facere & fecisse, quo salutem sibi atque animabus suis, non hanc mortalem & cito interituram, sed illam sempiternam & immortalem quærerent, quæ in cœlo solum vere obtineri, in terris autem nullo modo potest. Est quidem ita dispartitum hoc officium nostrum, ut jacto primum fidei fundamento, heic deinde laboremus, quo illic quiescamus: in terra semen jaciamus, quod in cœlo postea possimus demetere: & quibus hic in operibus, quibusve in studiis nosmetipsos exercuerimus, similes deinde atque dignos operum & laborum nostrorum fructus in altera vita adipiscamur. Cumque via Christi ardua, & ratio degendæ nobis secundum ejus leges & præcepta vitæ perdifficilis sit: propterea quod animos nostros ab omni terrenarum jucunditatum contagione avocare, & in eo ipso uno figere: despicere præsentia bona quæ in manibus habemus, & futura quæ non cernimus, appetere jubemur: tanti est tamen unicuique nostrum sua & suæ animæ salus, ut nihil recusa-

cusare asperum, nihil laboriosum non pati, animum inducamus, quo tandem aliquando una nobis spe salutis nostræ proposita, per ærumnas multas, & per solicitudines, (præeunte semper actionibus nostris Dei clementia & misericordia) stabilem salutem illam & perpetuam consequamur. Hac spe Christus annunciator veri boni,, quondam ab orbe terrarum tanto consensu & studio omnium acceptus fuit: hac ratione a nobis adoratur & colitur vereque agnoscitur Deus esse,& Dei vere filius: quod unus ipse ab initio omnium seculorum animos hominum Deo omnipotenti, in quo solo vita est, mortuos, ac hujus quidem mundi fallacibus & caducis blandiciis paulum temporis viventes, mox prorsus & ex omni sui parte ad interitum condemnatos, a mortuis, hoc est, ab hoc maxime pernitioso mortis genere excitavit: primusque ipse semet, salutem & liberationem & doctrinam nostram esse volens, morte carnis accepta, & paulo post vita non jam amplius mortali recuperata: suo exemplo nos instruxit & docuit: ut contraria longe ac prius consueveramus via, mundo huic & carni, hoc est peccato mortui, Deo deinde viveremus; spesque in eo nostras bene ac beate perpetuo vivendi poneremus: quæ est propria, & vere digna Dei omnipotentis gloria & majestate, nostrorum omnium a mortuis suscitatio: qua non unus aut alter homo, sed cunctum hominum genus a terra & funesta animæ morte, ad veram & cœlestem ejusdem animæ vitam revocatum est. Hanc hujusmodi a mortuis suscitationem sibi proponens Paulus, maximumque in ea intuens divinitatis Christi argumentum atque indicium: *Separatus ego*

in Evangelium Dei (inquit) *quod promiserat per Prophetas in scripturis sanctis de Filio suo, genito quidem ex semine David, secundum carnem, determinato autem & declarato filio Dei in potentia per Spiritum sanctitatis*: hoc est, in potentia spirituali, quæ propria Dei potentia est: quòd non corpore Deus, sed spiritu mirabilia sua agit. Imperare enim ventis, & cæcis verbo lumen reddere, & mortuos excitare: non corporea, sed spirituali, quæ eadem & divina est, fiebat potestate. Declarabatur igitur Christus Dei filius ex hac spirituali potentia, quæ sola divina est. Et quod subjungit Paulus, ex suscitatione a mortuis: non tam ea quidem qua corpus Lazari, aut filium viduæ, aut principis Synagogæ filiam (quanquam ista quoque opera Dei erant) verum ea etiam suscitatione magis, qua Mariam Magdalenæ a dæmoniis septem, Matthæum a telonio, multos a terrena & moribunda vita, omne denique genus humanum a peccato & peccati morte, & a potestate hujus mundi tenebrarum, ad cœlestem appetendam atque sperandam & cognationem & lucem excitavit: demersósque in luto terræ hominum animos, erexit ad cœlum, atque extulit. At hoc maximum Jesu Christi erga nos beneficium, præcipuumque in eo ipso divinitatis argumentum, idcirco & institutum a Deo in missione filii sui, & ab ipso filio susceptum, & suo nobis tempore per eum datum tributumque est: ut omnibus & divinis & humanis in uno Christo consiliis, auxiliis, virtutibusque adjuti, nos animas Deo nostras salvas sistere possemus. Tanta est nobilitas, tam insigne precium, tam grandis æstimatio hujusce rei, quæ anima hominis

minis est: ut quo ne ea perderetur, sed & Deo ipsi & nobis lucrifieret, conturbatis penitus totius naturæ legibus, atque ordine rerum permutato, & Deus descenderet in terras, ut fieret homo, & homo erigeretur in cœlum, ut esset Deus. Credimus ergo in Christum (ut dicebam) omnes, quo salutem animabus nostris, id est, nobismetipsis vitam inveniamus. Quo nullum optatum vehementius, nullum bonum interius, nec magis conjunctum ac familiare nobis adesse potest. Quantum enim sese diligit unusquisque, tantum ipsi salus chara est sua: quæ si negligatur, & abiiciatur, quod tandem erit præmium quod possit par acquiri? Quam enim dignam accipiet homo compensationem pro anima sua, inquit Dominus; aut quid proderit homini, vel si universum mundum lucretur; animæ autem suæ jacturam patiatur? Hæc igitur tam ampla, tam chara, tam preciosa possessio, quæ nostræ animæ salus unicuique nostrum est: omni vi & conatu nobis retinenda est. Siquidem cætera bona omnia quæ appetimus, externa atque aliena nobis sunt: hoc unum bonum conservatæ animæ nostræ, non solum nostrum, sed vere nosmetipsi istud ipsum bonum sumus. Quod qui neglexerit atque amiserit, is ne bonum quidem aliud habere ullum poterit, quo fruatur: quippe cum ipse ille qui debuisset frui, jam se primum perdiderit. Assequimur porro bonum hoc nostræ perpetuæ universæque salutis, fide in Deum sola & in Jesum Christum. Cum dico fide sola, non ita intelligo, quemadmodum isti novarum rerum repertores intelligunt: ut seclusa charitate, & cæteris Christianæ mentis officiis, solam in Deo credulitatem & fiduciam

 illam,

illam, qua persuasus sum in Christi cruce & sanguine mea mihi delicta omnia esse ignota. est hoc quidem etiam nobis necessarium, primusque hic nobis patet ad Deum introitus: sed is tamen non est satis. Mentem enim praeterea afferamus oportet, pietatis plenam erga summum Deum, cupidamque efficiendi quaecunque illi grata sint: in quo praecipue Spiritus sancti vis inest. Quae mens, etiam si interdum ad exteriora opera non progreditur: ipsa tamen ex sese ad bene operandum jam intus parata est, promptumque gerit studium, ut Deo in cunctis rebus obsequatur: qui verus divinae justitiae in nobis est abitus. Etenim, quid aliud significat; aut quam aliam nobis offert intelligentiam & notionem nomen hoc ipsum justitiae; si non respectus in ea ad bona opera habeatur? Dicit enim scriptura, *Quod misit Deus filium suum, ut faceret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum*. Et alio loco, *Ut aedificemur* (inquit) *in Christo ad bona opera*. Si ergo missus est Christus, ut bene operantes, per eum accepti Deo simus, atque ut in eo aedificemur ad bona opera, certe fides quae in Deum nostra per Jesum Christum est, non solum ut confidamus in Christo, sed bene in illo operantes, operarive instituentes, ut confidamus, imperat nobis ac praescribit. Est enim amplum & plenum vocabulum fides, nec solum in se credulitatem & fiduciam continet, sed spem etiam & studium obediendi Deo, & illam, quae in Christo maxime perspicua nobis facta est, principem & dominam Christianarum omnium virtutum charitatem; qua in charitate proprie & peculiariter Spiritus Sanctus inest, vel potius ipse est charitas. Siquidem

quidem Deus charitas est. Quamobrem sicuti sine Spiritu sancto nihil nostrum, neque gratum, neque acceptum Deo est: ita neque esse sine charitate potest. Cum ergo dicimus fide sola in Deum & Jesum Christum salvos nos esse posse, in hac ipsa fide charitatem vel in primis comprehendendam esse ducimus, quæ princeps & potissima nostræ salutis est causa. Sed ut abeamus a disputatione, & revertamur eo unde sumus digressi: ostendimus vobis, fratres charissimi, vel ostendere potius conati sumus (non enim æquat magnitudinem rei oratio nostra); quanti momenti sit, quantopere ad nos pertineat, nostræ nobis animæ ejusque salutis procuratio, qua nostra in anima nosmetipsi toti sumus: bonumque hoc proprie & unicum nostrum est, cætera bona, aliena nobis omnia atque disjuncta: quibus ne ipsis quidem frui ullis possumus, si ex hoc principe & vere nostro excidamus. Pro quo sibi tuendo & conservando animæ bono, tot quondam Christi gloriosissimi martyres, mortalem hanc vitam prompto animo posuerunt; tot sanctissimi doctores nocturnis diurnisque sudoribus ac vigiliis, quo nos in viam rectam inducerent & constituerent; sibi elaborandum esse statuerunt: tota olim tam multas & tam graves ab impiis tyramnis & præsidibus gentium injurias & calamitates pertulit Ecclesia. Quæ ideo omnia & a præpotente Deo permissa, & a fortibus illis viris, Christi vere cultoribus suscepta, tolerata, decertataque sunt: ut per omne experimentorum & probationum genus, plurimis veluti malleis excusa, multo igni purgata, tantis sanctorum ærumnis atque laboribus conflata, consolidata, expressa, & maximam

apud Deum gratiam fidelitatis suæ Ecclesia obtineret, & summam apud homines auctoritatem. Hæc nos Deo Ecclesia in Christo regeneravit, hæc nos aluit, confirmavit, instruxit, quid nos sentire, quid credere, in quo spem ponere, qua via in cœlum tendere nos oporteat, ipsa eadem edocuit. Nos in hac communi Ecclesiæ fide incedimus, nos illius leges & præcepta retinemus: & si quando fragilitate & incontinentia victi ad peccandum prolabimur (quod utinam saltem raro ac non nimium sæpe in nobis accideret) in eadem tamen fide Ecclesiæ exurgimus, quibusque illa expiationibus & pœnitentiis & satisfactionibus peccatum nostrum ablui, & ad integritatem pristinam, clemente erga nos semper & misericorde Deo, nos restitui docet: eas expiandi & satisfaciendi rationes suscipimus & adhibemus. Idque ita cum facimus, confidimus nos veniæ & misericordiæ locum apud Deum invenire. Non enim præter sententiam & auctoritatem Ecclesiæ arrogamus nobis quicquam, non plus nos sapere, quam oporteat sapere nobis ipsis persuademus: non superbiam afferimus ad contemnendum Ecclesiæ decreta, non animi elationem, neque ingenium inter populos nostrum, aut novam quandam sapientiam ostentamus: sed (de probis & rectis Christianis loquor) in humilitate ingredimur atque in obedientia: & ea quæ per majorum nostrorum sanctissimorum hominum sapientissimorumque auctoritates tradita nobis, & constituta sunt, tanquam per Spiritum vere Sanctum dictata atque præcepta, omni cum fide suscipimus. Etenim novimus & scimus quantum habeat virium, quanti sit momenti, quanti ponderis

deris apud Deum humilitas, quæ una virtus imprimis Christiana est, eamque semper maxime Christus Dominus noster & monitis, & præceptis, & factis atque operibus suis præ se tulit, parvulisque solis, id est humilibus propositum dixit esse regnum cœlorum. Non enim refert, corpore ne parvi an magni simus: sed illud plurimum refert, utrum animo simus humili, an ne superbo: superbia quæ angelos dejecit de cœlo, hominibus eadem iter in cœlum impedit. Unde cœleste animal Angelus, propter superbiam expulsum est, eo terrenum animal homo, propter humilitatem extollitur: ut appareat plane, constitutum esse nobis in humilitate potissimum, & adjumentum perpetuæ salutis nostræ, & hujus beatæ ac jucundæ spei, qua ad cœlum tendimus, firmamentum. Quæ cum ita sint, charissimi fratres, cum nostra salus nobis, cum vera vita, cum æterna felicitas, cum nosmetipsi denique nobis ipsis imprimis & maxime cæterarum rerum omnium chari esse debeamus; cum si nosmetipsos perdiderimus, nihil uspiam nostrum, id est quod juvet, aut quod pertineat ad nos, simus amplius reperturi: cum nullum gravius damnum, nullum exitiosius malum, nulla acerbior calamitas amissione & jactura animarum nostrarum accidere nobis possit: quanto, obsecro, studio, qua animi cura & solicitudine providere debemus, ne in hoc tantum periculum salus & vita nostra conjiciatur? Dabitis vos profecto mihi & concedetis, nihil perniciosius neque funestum magis evenire nobis posse, quam amissionem animæ unicuique suæ. Dabitis ergo etiam illud, opinor, nihil esse a nobis majore diligentia & studio, quam ne id acci-

accidat, præcavendum. Cujus enim mali sors, si ea in nos incidat, omnium malorum est deterrima: ejusdem mali periculum maxime omnium nobis esse formidolosum debet. Etenim quanta est in malo moles, tantus in periculo mali, necesse est ut sit timor. Atque ut qui horrent & metuunt in pelagum præcipitari, hi ne ad præruptam quidem & imminentem pelago rupem audent accedere: sic qui terribile illud Dei & damnatorium judicium perhorrescunt, ab eo fugiunt imprimis periculo, quod sempiternæ illi miseriæ maxime finitimum proximeque adjunctum est. Neque ego hoc in hoc dico nunc loco, non omnes peccare homines, non omnes nos quoad hanc vivimus vitam, in periculo semper esse (sumus enim plane, & aberramus, & offendimus, & labimur, interdum omnes, sæpius, rarius, prout cuique sua & ex Deo insita ad se cohibendum virtus inest) verumtamen peccata cætera, præsertim quæ non judicio stabili, sed per fragilitatem admissa patrataque sunt, ad summi Dei misericordiam facilem reditum habent. Illud autem peccatum horribile & pertimescendum, quo prave colitur Deus, qui rectissime debet coli, & quo falsa de illo sentiuntur, qui est summa solus veritas. Illud, illud inquam est peccatum, quod non solum in proximo periculo æterni mali nos constituit: sed spem prope etiam & conatum declinandi & fugiendi ejusmodi periculi nobis aufert. Nam reliquis nostris in peccatis tanquam in vitæ fluctibus, illa tamen anchora nostræ navis salva est, quæ nos prohibet a scopulo & naufragio: quod cogitationes interdum nostras in Deum conjicientes, & stimulis dolorum propter

pter peccata compuncti: tacitis suspiriis, & confessione iniquitatis nostræ, illius misericordiam imploramus. Atque ipse, ut bonitatis & clementiæ plenus est, flectitur statim ad ignoscendum: moreque pii patris filiorum suorum preces placatus admittit. At in hoc truci, horribilique peccato præposteræ falsæque religionis, nec Deum nobis, nec anchoram amplius relinquimus. Quapropter hoc præcipue periculum, fratres charissimi, si salvi esse volumus, accuratissime & studiosissime vitandum nobis est. Potest hic dici, cum vel corruptæ vel integræ religionis varia sint judicia, & diversæ hominum, in hoc præsertim tempore, sententiæ, aliusque hoc modo, illo alius interpretetur: satis videri debere, si unusquisque ad id quod primum occurrerit credendum, sincero animo accedat, suumque judicium submittat hominum se doctiorum & peritiorum judiciis. Fateor, fratres charissimi, has esse voces hominum simpliciorum, & quorum ingenia natura hebetiora sunt: quos qui detorquent & abstrahunt a via recta, majus illi multo in se peccatum habent: nam peritis quidem, & callidis, oratio ista non convenit. Sed ut nunc temporis causa confitear, omnibus ista & doctis & indoctis incerta esse (quod tamen est secus) habet enim Catholica Ecclesia certam regulam, qua a veris falsa discernat. Verum esto, concedamus dubia esse: nonne quoniam de periculo nostræ salutis agitur, quoniam animas nostras, hoc est, nosmetipsos plurimi facimus: nec nunc in discrimen aut fortunarum, aut valetudinis, aut etiam corporis & mortalis hujus vitæ venimus (quorum omnium jacturam viri fortes pro Christo

& pro-

& pro sua anima constanter sæpe pertulerunt) sed de nobis id decernitur, utrum sempiterne miserrimi, an beatissimi simus victuri: circumspicere, considerare, perpendere diligenter nos oportet, ut eo nos constituamus in loco (de re loquor veluti dubia, quæ tamen non est) ut ibi inquam consistamus, ubi minus multo nobis timoris atque periculi, longeque plus spei & alacritatis ostenditur. Nemo hoc, credo, negaturus mihi est, quin in re ancipiti & dubia (in qua præsertim summa agitur vitæ & salutis nostræ) id potius capere & sequi consilii debeamus, quod ratio nobis suaserit, quam quod fortuita obtulerit temeritas. Videamus igitur utra in parte, & in utra secta majus sit, a Deo longius nos removendi, & ad perpetuum exitium propius nos admovendi periculum. Quam rem ita agam & proponam, quasi habeam vos adhuc deliberantes, nec dum animi certos: quorum potius aut voluntatibus obsequi, aut consiliis credere debeatis. Disceptatio est, utrum vestræ saluti magis expediat, gratiusque Deo vos facturos existemitis, si ea credideritis eritisque sequuti, quæ Ecclesia Catholica cunctum per orbem terrarum annos jam mille & quingentos amplius, aut (si claram certamque rerum gestarum memoriam & notitiam quærimus) annos jam amplius mille & trecentos, magno consensu comprobat: an hæc quæ vafri homines, atque, ut sibi ipsi videntur acuti adversus tot seculorum usum & contra perpetuam Ecclesiæ authoritatem, his annis quinque & viginti innovaverunt: qui certe ipsi Catholica non sunt Ecclesia. Est enim Catholica Ecclesia (ut breviter definiamus) quæ in omni anteacto & hodierno tempore, omni

omni in regione terrarum, in Christo una & consentiens, uno Christi spiritu ubique & semper directa est, in qua nullum potest dissidium existere: omnis enim ea inter se connexa & conspirans est: quod si quid accidat dissentionis & dissidii, magnum quidem corpus Ecclesiæ idem permanet: fit autem apostema, quo corrupta aliqua caro, ab animante corpus cunctum spiritu divulsa fecernitur, nec de substantia ulterius corporis Ecclesiastici est. Non ego hic deveniam ad singulas rerum disputationes, neque aures vestras copia verborum atque argumentorum onerabo; Tacebitur a me nunc de Eucharistia, in qua nos verissimum Christi corpus adoramus. Isti sane parum gnari quemadmodum in unoquoque genere doctrinæ adhibere argumenta & rationes oporteat: ex alienis & longe diversis dialecticæ inanisque philosophiæ rationibus, Dominum ipsum universi, & divinam in eo spiritualemque potentiam (quæ prorsus libera & infinita est) in angulos corporeæ naturæ, quæ suis cancellis circumscripta est, conantur includere. Non loquar de confessione ad sacerdotem peccatorum: in qua, quod maximum est nostræ salutis fundamentum, vera Christiana humilitas, & a scriptura demonstrata, & ab Ecclesia præcepta ac constituta est: quam isti humilitatem, & per calumnias eludere, & per arrogantiam abjicere studuerunt. Silebo de precibus, aut sanctorum pro nobis apud Deum, aut nostris, pro mortuis: quas iidem isti cum aspernantur & irrident, easque nullius penitus esse momenti dicunt: quid tandem sibi volunt? num-nam animas arbitrantur una cum corporibus suis interire? & nimirum id videntur

tur

tur innuere, quod agunt etiam manifestius, cum libertatem sibi vitæ ab omnibus Ecclesiasticis solutam legibus, & licentiam cupiditatum comparare adnituntur. Si enim mortalis anima sit, edamus & bibamus, inquit Apostolus, paulo post enim moriemur: sin autem sit immortalis (ut certe est) unde, quæso, tantum & tam repente factum est corporis morte dissidium, ut & viventium & mortuorum animæ inter se nihil congruant; nihil communicent; omnis sint cognationis nobiscum, & communis humanæ societatis oblitæ? Cum præsertim charitas, quæ præcipuum Spiritus sancti in Christiano genere est donum: quæ nunquam non benigna, nunquam non fructuosa est, & in eo in quo inest, nunquam inutiliter consistit, salva semper & efficax in utraque vita permaneat. Sed ut relinquam controversias, easque ad sua tempora reservem, excutiamus id quod prius est propositum: ut videatur & quæratur, quid nobis magis conducat, factuque rectius sit; quid ad gratiam summi Dei obtinendam magis sit accomodatum; sentire ne cum universa Ecclesia; ejusque decretis & legibus & sacramentis cum fide obtemperare; an assentiri hominibus dissidia & res novas quærentibus? Hic locus est, charissimi fratres, hoc illud est bivium quod diversa duo in itinera scinditur; quorum iter alterum ad vitam, alterum ad perpetuam mortem nos deducat. In hoc discrimine & delectu agitur salus animæ cuique suæ, aguntur pignora futuræ vitæ: utrum videlicet nos æternæ felicitatis, an miseriæ infinitæ simus futuri compotes? Quid ergo dicemus? Pingamus hic duos, qui ex utroque genere, hoc est,

utro-

que ex itinere, ante illud terribile summi judicis tribunal sint constituti: quorum causa cognoscatur & expendatur, quo vel damnatoria in eos sententia vel salutaris jure ferri possit. Interrogabuntur fuerintne Christiani? Fuisse se ambo dicent. Rectene crediderint in Christum? utrique pariter respondebunt, Næ. Quid autem crediderint, aut quo modo crediderint cum explorabuntur (nam hæc de fide recta cognitio, illam quæ est de vita & moribus antecedit) cum igitur ab eis exigetur rectæ fidei confessio: dicet ille quidem qui in Catholicæ Ecclesiæ gremio & disciplina fuerit educatus: Ego cum institutus essem a parentibus meis, qui & ipsi a patribus suis & avis acceperant, ut cunctis in rebus Catholicæ Ecclesiæ essem obsequens, ejusque leges, & monita, & decreta, tanquam a teipso, Domine Deus, lata, observarem & colerem: cumque omnes eos fere, qui in Christiano nomine censerentur, quique & nobiscum, & ante nos, longe & late per orbem terrarum tua signa essent secuti; in eadem sententia esse & fuisse animadverterem; ut cuncti matrem fidei suæ hanc ipsam Ecclesiam agnoscerent & venerarentur, & ab ejus præceptis constitutisque discedere sacrilegii instar putarent: in hac eadem fide, quam Catholica servat docetque Ecclesia, probare tibi me studui. Et quanquam venerant homines novi, scripturas multum in ore & manibus habentes, qui nova quædam commovere, vetera labefactare, Ecclesiam redarguere, obedientiam quam illi nos omnes præbebamus, eripere nobis & extorquere conarentur: in eo tamen constanter manere volui, quod a patribus meis, & a communi sanctissimorum doctissimo-

ſimorumque patrum conſenſu, jam inde antiquitus in eccleſia fuiſſet & obſervatum & traditum: etſi multorum quidem præſidum hominumque Eccleſiaſticorum, præſentes mores eſſent ii, qui mihi ſtomachum movere poſſent, quibus tamen non ſum a ſententia deductus. Ita enim conſtitui, eorum præceptis, quæ certe ſancta erant; obtemperare me debere (ſicuti tu Deus in tuo Evangelio præceperas) vitæ autem & geſtorum te unum judicem eſſe oportere. Præſertim cum ego quoque, his tot peccatis, quæ in hac mea fronte en tibi manifeſta ſunt, commaculatus atque infectus, aliorum dignus judex eſſe non poſſem. Pro quibus nunc adſto ante tribunal tuum, non ſeveritatem tuam, clementiſſime Deus, ſed miſericordiam potius & placabilitatem implorans. Dixerit hoc modo iſte cauſam ſuam: Citabitur alter, comparebit. Imperabitur illi ut dicat. Hunc habebit exorſum orationis ſuæ (fingatur enim de illis unus eſſe qui ſunt aut fuerunt diſſenſionum authores: melius enim credo tutabitur iſte cauſam ſuam, qui ſe doctorem cæteris ad deficiendum ab Eccleſia fuerit profeſſus). Mihi, inquiet, o ſumme Deus, intuenti mores hominum Eccleſiaſticorum ubique fere corruptos, & ſacerdotes nihilominus religionis gratia, in honore omnibus eſſe cernenti, opeſque illorum iniquo animo ferenti: juſta (ut puto) iracundia animum inflammavit, ut me illis adverſarium conſtituerem: cumque reſpicerem meipſum, qui tot annos operam literis & Theologiæ dediſſem, non tamen habere eum in Eccleſia locum, quem labores mei meriti eſſent, multos autem indignos ad honores & ſacerdotia extolli perſpicerem:
ad

ad eos (fateor) insectandos me contuli, quos tibi quoque ipsi minime placere & satisfacere sum ratus. Et quoniam eorum potentiam revellere non poteram, nisi obterrerem prius leges ab Ecclesia latas: populi magnam partem induxi, ut ea Ecclesiæ jura contemneret, quæ diu ante rata inviolataque fuissent. Quæ si in conciliis universalibus fuissent decreta: conciliorum auctoritati non concedendum esse dixi. Si instituta a priscis patribus & doctoribus, veteres patres ut imperitos & bonæ expertes intelligentiæ sum criminatus. Si per Romanos Pontifices, eos sibi astruxisse tyrannidem, & falso nomine vicarios se Christi dicere affirmavi: omnibus denique modis contendi, ut hoc tyrannicum Ecclesiæ jugum, quæ cibos interdum prohibet, quæ dies servat, quæ confiteri nos vult peccata nostra sacerdotibus, quæ vota impleri jubet, quæ homines in te Christe liberos tot servitutis vinculis alligat, a nobis cuncti qui te colimus, excuteremus: solamque fidem in te, non etiam bona opera, quæ maxime extolluntur & prædicantur in Ecclesia, justitiam nobis & salutem parere consideremus. Cum tu præsertim pœnam pro nobis pependisses, tuoque sancto sanguine cunctorum delicta & scelera delevisses: ut nos hac una fide in te freti, liberius deinde agere quæcunque nobis libuisset possemus. Scripturas etiam ingeniosius sum perscrutatus quam veteres illi: ac tum quidem maxime, cum aliquid quærebam in eis, quod contra istos detorquere possem, qua etiam doctrinæ & ingenii opinione, apud populos famam & existimationem nactus, totam quidem Ecclesiæ authoritatem evertere non potui: magnarum tamen seditionum in ea, & scissio-

ſciſſionum fui author. Hæc ubi iſte dixerit, & vere dixerit (neque enim mentiendi apud illum cœleſte judicem eſt locus) tametſi multa idem de ambitione ſua, de avaritia, de ſtudio popularis gloriæ, de fraudibus & malitiis inteſtinis, quæ intus ipſe agnoſcat, in ſeſe reticuerit, quæ tamen illi, prima ipſa in fronte apparebunt inſcripta: quod tandem, o Gebennenſes fratres mei, quos ego in Chriſto, & in Chriſti Eccleſia unanimes mecum habere opto, non ſolum de his, ſed comitibus aſſectatoribuſque eorum, judicium fore exiſtimatis? Nonne hic certe qui Catholicam Eccleſiam fuerit ſecutus, nullum ſuum erratum in hac re afferet? Primum, quia non errat, neque adeo errare poteſt Eccleſia, cujus illa publica & univerſalia decreta atque concilia Spiritus ſanctus aſſidue gubernat. Deinde etiam ſi erraſſet ea, aut erraret (quod tamen creditu & memoratu eſt nefas) nullus huic quidem ſuus exprobaretur error, qui ſincero animo, & propter Deum humili, majorum fidem ſuorum & authoritatem eſſet perſecutus. At iſte alter ſuo innitens capite, neminem habens veterum ſanctorum patrum, ac ne generalium quidem ex omnibus Epiſcopis conventuum, quem honore dignum putet, cui inducat animum cedere & obtemperare, omnia ſibi arrogans, ad obtrectandum magis, quam ad diſcendum, docendumve paratus: cum a communi Eccleſia deſciſcit, quem reſpicit portum fortunarum ſuarum? quo propugnaculo confidit? quibus apud Deum advocatis fretus eſt? ut non graviter debeat metuere, ejectum ſe iri in tenebras exteriores, ubi erit fletus & ſtridor dentium, hoc eſt, ubi in miſerias ſuas perpetuo defle-

defleturus, & contra semetipsum dentibus increpiturus sit: quod cum posset, si id studuisset, illam acerbissimam vitare calamitatem, id facere neglexisset. Quam porro infausti & incommodi comites traducendæ vitæ sint mœror & furor, unus per sese quisque satis potest intelligere: præsertim cum illiusmodi mali atque damni nullus futurus unquam finis sit, nulla determinatio, nunquam ibi plorare, nunquam desinatur irasci. Atqui si reliqua istorum omnia aliquo tamen pacto perferri & tolerari possent, hoc quemadmodum ferretur (in quo mihi videtur ne ad ignoscendum quidem illis, locum ullum veniæ & misericordiæ apud Deum dari posse) quod sponsam hi Christi unicam discerpere sunt conati; quod tunicam illam Domini, quam prophani milites dividere noluerunt, isti ausi sunt, non dividere solum, sed lacerare? Quot enim jam, istis initium facientibus, sectæ Ecclesiam discidederunt; neque cum istis congruentes, & ipsæ inter se discordes? quod manifestum esse falsitatis indicium, omnis doctrina confirmat. Veritas enim unica semper est, varia autem & multiformis est falsitas: & simplex quod rectum est, multifidum quod obliquum. Sed hujusmodi scissionem, hujusmodi sanctæ Ecclesiæ dilaniationem, potestne quisquam Christum agnoscens & confitens; & cujus aliquando menti atque cordi Spiritus sanctus illuxerit; non intelligere, Satanæ, & non Dei propriam operationem esse? Quid imperat nobis Deus? quid præcipit Christus? Nempe ut unum omnes in ipso simus. Quo datum est nobis e cœlo atque Deo illud singulare & præcellens charitatis donum; quod Christiano duntaxat generi,

neri, non cæteris gentibus divinitus infusum est? Nonne ut omnes uno corde & ore Dominum confiteamur? An arbitrantur isti Christianam religionem aliud omnino esse, quam pacem cum Deo, & cum proximo concordiam? Videamus quid ipsemet loquatur in Joanne Dominus, patrem suum pro discipulis deprecans. Pater sancte, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut sint unum sicut & nos: non pro his autem rogo solum, sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu pater in me & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint, ut credat mundus, quod tu me misisti: & ego gloriam, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut & nos unum sumus, ego in eis & tu in me, ut sint perfecti in unum. Videtis, fratres charissimi, & in clara Evangelii luce discernitis, quid sit vere esse Christianum, cum fides in Deum nostra, cum Dei omnis gloria, quæ & ipsius apud nos, & nostra apud eum esse possit, in hac sola inter nos unitate consistat: cum hoc unum requirat & postulet a patre de nobis Christus, isque suos in hoc labores, suas ærumnas, suam susceptam pro nobis humani corporis fragilitatem, suam crucem, suam mortem; sic fructum allaturam sibi putet, & ad gloriam patris, quam maxime expetebat, & ad salutem nostram, pro qua erat moriturus: si nos inter nos, & in ipso fuerimus unum. Atqui hoc semper laborat, hoc adnititur Ecclesia Catholica, ut sit consensio nobis, & in eodem spiritu unitas: quosque homines aut spatia disjungunt terrarum, aut intervalla temporum, quod coire in unum corpus omnes non possunt: eos unus tamen spi-

ſpiritus, qui ubique idem ſemper eſt, & foveat & regat. Cui quidem Eccleſiæ Catholicæ & Spiritui Sancto, hi ſe adverſarios e regione profitentur, qui unitatem frangere, qui varios ſpiritus immittere, qui conſenſionem ſolvere, qui tollere concordiam de Chriſtiana religione conantur, tanta cupiditate, tanto ſtudio, tot machinationibus & artibus; ut eorum ſolicitudinem & anxietatem nulla ſatis digne exprimere oratio poſſit. In quos ego quidem id non imprecabor, ut diſperdat Dominus univerſa labia doloſa, & linguam magniloquam; neque item, ut addat iniquitatem ſuper eorum iniquitatem; ſed ut convertat eos, & ad ſpiritum bonum deducat, Dominum Deum meum ſupplex rogabo, ſicuti rogo. Voſque & oro, & hortor fratres mei Gebennenſes, ut diſcuſſis aliquando ab oculis mentis veſtræ erroris nebulis, & patefacta luce, ad cœlum illud oculos attollentes, quod perpetuam patriam veſtram, ſi in unitate Eccleſiæ manſeritis, propoſuit vobis Deus, redire in concordiam nobiſcum, & fidele obſequium præſtare matri noſtræ Eccleſiæ, colereque Deum in uno nobiſcum ſpiritu jam velitis. Nec ſi mores noſtri vobis fortaſſe diſplicent, ſi quorumdam culpa ſplendor ille Eccleſiæ, qui perpetuus & incontaminatus eſſe debuit, aliquando fit obtuſior; veſtros id animos moveat, aut in diverſam & contrariam trahat partem. Odiſſe forſitan perſonas noſtras poteſtis (ſi id ab Evangelio conceditur) doctrinam certe & fidem habere odio non debetis, ſcriptum eſt enim: quæ dicunt, facite. Neque vero nos aliud dicimus, quam quod noſtram veſtræ ſalutis cupiditatem vobis indicamus. Quæ ſi a vobis, Gebennenſes cha-

 riſſi-

rissimi, in bonam partem fuerit accepta: si me amantissimum vestri gratis animis audieritis: non pœnitebit vos profecto, & apud Deum recuperatæ pristinæ gratiæ vestræ, & apud homines laudis. Ego quæ meæ partes sunt, & quod benevolentia erga vos mea mihi præscribit, assiduus ero ad Deum pro vobis deprecator: meo quidem ipse indignus vitio, sed forsitan charitas efficiet me dignum. Tum autem quicquid valeo, possumque, etsi id quoque parvum admodum est, sed si quid est in me ingenii, consilii, authoritatis, diligentiæ, id ita vobis totum & vestris opportunitatibus defero, ut pro magno meo commodo habiturus sim, si vos aliquod ex me commodum fructumque meæ operæ & laboris & in divinis rebus & in humanis percipere potueritis. Extremum est, ut vos orem, ut eum nuntium quem ad vos cum his literis misi, ea comitate ac benignitate accipiatis, quam & humanitas vestra, & jus gentium, & in primis Christiana mansuetudo postulat & requirit: quod vobis honestum, mihi autem vehementer futurum est gratum. Deus vos dirigat, & propitius tueatur, fratres charissimi. Carpent. XV. Cal. Aprilis, M.D.XXXIX.

EPISTOLA CCCXXII.

JAC. SAD. ALEX. FARNESIO S.R.E. CARD. (a)

Lectis ejus literis, de amplificata P. Bembi dignitate majorem in modum gratulatur.

Etsi aliquanto ante idem cognoveram ex literis meorum, quod tu ad amplissimum nostrum

(a) Consule quæ de Farnesio diximus in notis ad Epist. CCXXXII. Parte II. pag. 350.

nostrum collegam Polum de amplificata Bembi summi viri dignitate & præstantissimo erga eum Pontificis Max. beneficio scripsisti; tamen omnia illa tuæ literæ mihi uberiora, lætioraque fecerunt, cum essent abs te ipso scriptæ, qui auctor etiam tam præclari operis extitisses. Scito enim nos certiores esse factos, maxime insignem atque egregiam in illo ornando, operam tuam authoritatemque fuisse. Quod etsi tu liberalitati, nobilitati, virtutique tuæ præcipue tribuisti, quo his initiis, & veluti fundamentis, tua in posterum præcellens dignitas in immensum quasi cresceret; tamen quoniam ejus beneficii magna quoque pars ad me ipsum pervenit, qui pro homine amicissimo, & fraterna mihi necessitudine conjuncto, amplius etiam quam pro me ipso egissem, & vehementius laboravi; sic habeto, maximas me tibi pro eo & agere, & debere gratias, neque ex multis officiis, quæ tua mihi insita in animo, & in memoria sunt, ullum me habere, cui justius & libentius me obligatum esse confitear, quam istud ipsum, per quod in Bembi mei honore, me non mediocriter a te esse ornatum intelligo. Verum in his tua tibi virtus & liberale ingenium, etiam si minus gratiam nos referre poterimus, qui animo quidem sumus alacres, sed parum valemus operibus, maximum fructum & verissimæ animi voluptatis & singularis laudis afferet: nos certe id agemus quod est gratorum hominum, ut beneficia vestra, memoria & prædicatione nostra pioque animo semper prosequamur. In quo cum ego neque erga summum Pontificem facere satis animo & cupiditati meæ possim, rogo te amplissime atque ornatissime Farnesi, atque omnibus preci-

bus vehementer oro, ut tu meam vicem Pontifici agas gratias: quantumque me ille sibi hoc novo munere devinxerit, quem tot jam vinculis habuerat ante obstrictum, explices & exponas facundia tua: quando ad magnitudinem rei mea vox satis virium non habet. Quod abs te gratissimum mihi & simile futurum est tuorum omnium. Polus tuus vir fortissimi animi virtutisque non eximiæ solum, verum etiam admirabilis, (quod ipse & alias sæpe, & nunc cum maxime, in hac iniquitate fortunæ, acerbisque suorum eventibus declaravit) summa mea cum voluptate nunc est Carpentoracti. Itaque ab omnibus colitur & in honore habetur, ut non hominem nostri temporis, sed quasi e cœlo demissum, aut ab antiquitate nobis redditum, videantur intueri. Tanta est is sapientia, modestia, humanitate, religione: quod quidem etiam in gloriam vestri nominis cedit: cum videant hæ nationes, cujusmodi vos viros ad Sedis Apostolicæ gubernacula acciendos esse putaveritis. Sed hæc notiora sunt, quam ut nova commemoratione indigeant. Tu valebis Farnesi optime, & nos gratia ac præsidio tuo tuebere. Vale. Carpentoracti, Calend. Maii, M. D. XXXIX.

EPISTOLA CCCXXIII.

JAC. SAD. GASPARO CONTARENO CARD. (a)

Explicat sententiam suam in quosdam locos epistolæ ad Genevates, quæ est ordine CCC XXI.

TE & amici & optimi atque integerrimi hominis officio apud summum Pontificem

cem

(a) De Contareno, vide notas inferius in epistolam CCCXXXV.

cem, & reliquos nostros collegas functum esse gaudeo. Id certe egisti, quod ab uno te potissimum & a tua præstantissima virtute potuit expectari: cum idem tu & gravissimus testis, & verus amicus, & maxime peritus earum rerum, de quibus agebatur, existeres. Quare hoc quoque sit in magno numero tuorum erga me meritorum. In epistola mea ad Genevates, ea, quæ notas legi perdiligenter, totamque rem cum eruditissimo Polo communicavi. Quod in ea scripsi, visum esse Spiritui Sancto & mihi, in eo nihil sum equidem elatum neque arrogans meditatus: quin etiam me deprimere volui, ne si tantummodo mihi visum id fuisse dicerem, plus mihi ipse tribuerem quam ferri posse videretur. Atque illud dictum tamen dupliciter sum interpretatus: nam & scripturæ sacræ morem loquendi imitari me dixi, & re vera ita esse, ut quæcumque recto & pio erga Deum aguntur animo, ex Spiritu Sancto cuncta sint. De justificatione & justitia, placet mihi vehementer tuarum rationum contextus & distinctio ex Aristotele sumpta. Sequitur enim certe charitas cursum illum antecedentem, quo ad justitiam pervenitur: non tamen sequitur eadem charitas (meo quidem animo opinioneque) justitiam, sed eam ipsa constituit; vel potius charitas ipsa est justitia. Habet enim formæ vim charitas, forma autem est id quod ipsa res. Cum ergo acceditur præeunte illa præparatione ad justitiam, acceditur una & ad charitatem, ad quam cum est perventum, tum justitia per ipsam charitatem constituitur. Justitiam voco, non vulgari neque Aristotelico nomine, sed Christiano more & modo, eam quæ omnes virtutes complexa continet: neque id hu-

manitus sed instinctu influxuque divino. Quam ipsam justitiam quod talis ea & hujusmodi sit, hoc est Christiana atque divina, charitas sola efficit. Hæc orationem fortasse longiorem requirerent, nec mihi fuit in aliis scriptis occasio ista explicandi. Sed quod ad rem nunc pertinet, scito me sentire tecum: ita tamen ut charitas non jam partam justitiam subsequatur, sed formet ipsa & constituat justitiam. Qua tamen in sententia tu quoque videris esse. Sed (ut dixi) pluribus hæc fortasse verbis essent exponenda, nec facile committi epistolæ possunt: præsertim his qui jam flagrare incipiunt caloribus. In quibus mei suburbani horti hoc mihi amoeniores jucundioresque sunt, quod eos interdum amplissimus vir Polus noster visere humanissime & mihi cupientissimo suavitatis suæ copiam facere non gravatur. Utinam, iterum dico utinam, te nobiscum una optime Contarene haberemus; disceremus profecto simul vivendo & lætando, quibus in rebus beata vere consistat vita. Sed hæc alias. Vale XIII. Cal. Junii M. D. XXXIX.

EPISTOLA CCCXXIV. (a)

PAULUS PP. III.

Jac. Sadoleto S. R. E. Cardinali, *Carpentoract.*

Mandat ei Censoris fidei munus, ut Avenionem & Comitatum Venaissinum ab Lutheranæ hæresis peste vindicet.

Dilecte fili noster &c. Gravi animi nostri perturbatione venena Lutheranæ hæresis in nostra civitate Avenionis & comitatu Venaissino

(a) Vide Raynald. Annal. ad an. 1539. n. 33.

ſino in dies diſſeminari audivimus, ſatoreſque eorum eo confidentius agere quod ætatem invaletudinemque Legati noſtri forſan credant minus aptam ac deſpiciant. Quamobrem cupientes ea ſemina antequam convaleſcant extingui, habenteſque opportunam in iſtis locis tuæ circumſpectionis præſentiam, quæ etiam ſuam Eccleſiam & Diæceſim Carpentoractenſem in dicto comitatu ſitam pro ſuo officio ac pietate ab his labibus tueri debet; & celebribus ſuis ſcriptis religionem Catholicam adverſus hujuſmodi hæreſes non ſemel defendit: eidem tuæ circumſpectioni, de cujus virtute, prudentia, ſingularique pietate & doctrina plenam in domino fiduciam obtinemus, hanc curam dictas hæreſes in civitate Avenionenſi & comitatu Venaiſino prædictis extinguendi & ab illis totam noſtram ditionem purgandi, authoritate Apoſtolica, tenore præſentium demandamus, dantes tibi pleniſſimam poteſtatem & facultatem, per te vel alium ſeu alios omnes dictam hæreſim ſeminantes, eiſque conſilium, auxilium, vel favorem quomodolibet præſtantes, inquirendi, repertoſque culpabiles puniendi, ſive punire faciendi &c. (a) Datum Romæ die V. Junii M. D. XXXIX. Anno V.

(a) Vide quæ de hac ſibi tributa a Paulo III. facultate ſcribit ipſe Sadoletus ad Alexandrum Farneſium Cardinalem epiſt. CCCXXVIII. pag. 116. hujus tertiæ partis.

EPISTOLA CCCXXV. (a)

JAC. SAD. JOAN. STURMIO S.D. (b) *Argentor.*

Eum lenire primum laudibus hominis ingenio ac eloquentiæ debitis conatur; deinde illius contumelias & convicia in romanos mores vituperans; in se gravissimas conjectas accusationes refellit.

LEgi librum tuum, quem in eos commentarios edidisti, quos corrigendis moribus rebusque Romanis, vos a me & a ceteris, qui hanc unam ab caussam tunc vocati convenimus conscriptos affirmantes, concilium appellatis. Qui quidem liber multa habere mihi visus est, qui sint homine libero & erudito digna. Nam & elegantia verborum inprimis refertus est, & copia sententiarum, liquidoque adparet in eo, te (id quod optimi judicii signum est) perstudiosum M. Ciceronis scriptorum esse. Ego vero

(a) Edita est hæc epistola primo seorsim; deinde cum epistola Jacob. Oenphalii ad Sturmium, & Sturmii ad eos responsionibus Argentorati anno 1539. Vide *Rich. Sim. in Biblioth. du Pin.* tom. II. pag. 39. seq.

(b) Joannes Sturmius Sleidensis ortus die X. Augusti anni 1489. Lovanii primum typographicam artem exercuit, deinde Lutetiæ Parisiorum docendi munus obtinuit; Sed cito ab ea urbe discedere coactus, propterea quod novatorum erroribus adhæserat, Argentoratum se contulit, ibique humanarum literarum ludum aperuit senatus authoritate, magnaque diserti eruditique viri fama. Fuit enim ingenio peracri ac perpolito, quo misere in re Catholica oppugnanda abusus est. Itaque inter pertinaciores sec. XVI. hæreticos adnumeratur, quorum nomine plures suscepit legationes. Docuit Argentorati annos LI. eique successit Melchior Junius, qui Sturmium habuerat præceptorem.

vero qui bonis ingeniis vehementer favere sum solitus, hoc te nomine mirifice diligo, quod liberalibus litteris institutus, genus scribendi ineptum & barbarum longe a te alienum esse voluisti. In quo similitudo quædam mihi tecum est conciliatrix benevolentiæ. Quamquam id quod ego dumtaxat cupio adsequi, tu jam es egregie consequutus; ut & copiose ac eleganter & latinissime loquare. Non enim si sententiis quibusdam de Sancta Catholica fide ac monumentis majorum nostrorum inter nos dissentimus; quod ego facile tot jam seculorum legibus decretisque acquiesco; vos nova quædam in Ecclesia commovistis, quæ ad æquos & peritos judices sustinere erit perdifficile; idcirco minus consentire in bonarum litterarum societate debemus, quo maxime vinculo hominum ingenuorum conjunctio continetur. Quapropter tibi nil simulans dico, quod palam etiam cum facultas datur soleo & commemorare & loqui, me tibi & Melanchthoni & Bucero hominibus doctissimis, plane benevolum & ex animo fautorem esse. Utinam omnibus sensibus una omnes consentiremus; in quo rectius, ut ego opinor, vos communi & perpetuo Ecclesiæ judicio hæreretis, quam novas interpretationes & sententias quæreretis. Sed quandoquidem se causa nunc habet, non possum hoc negare humanitati meæ, ut non eos plurimum diligam, quos in optimis artibus video plurimum esse versatos. Illud nollem, mi Sturmi, valdeque mihi id molestum accidit, quod vidi tantum nitorem orationis, quantus in te est, infinitis pene convitiis & contumeliarum asperitatibus inquinari. At ego arbitrabar, hoc unius Lutheri proprium es-

se, irruere in omnes homines videlicet cum impetu & clamore, a vobis autem hominibus liberalius eruditis, longe id abesse. Quonam igitur modo hæc labes in tuum tale ingenium incidit; aut quæ non sunt in tuo libro plena maledictis & acerbis objurgationibus loca? cum turpitudines nostras, conscelerata voluntates, crudelitatem nefariam, flagitia, scelera ubique inculcas & repetis; scilicet nos qui a vobis dissentimus uno nomine omnes in vituperationem vocans: cum tamen si de singulis judicium faciendum sit, & major sit copia bonorum virorum in urbe Roma, eorum, inquam, qui Sacerdotiis præsunt, quam malorum, & virtus ac religio in eadem urbe summo apud omnes in pretio atque honore sit. Quare, mi Sturmi, hoc loco requisivi nonnihil cum prudentiam, tum humanitatem etiam tuam. Nam quod me nominatim gravissime accusas, partim si forte recordor, quod quibusdam meis in commentariis damnaverim caussam vestram, quam tu dicis mihi ignoratam fuisse, partim quod *falsum testimonium*, hoc enim uteris verbo sane quam atrociter, Clementi Pontifici bonitatis & religionis dederim; agitur annus jam XI. cum ego scribebam commentarios illos, neque quemquam ex vobis propositum mihi habebam, præter unum Lutherum: non enim tum vos satis noveram, Carpentoracti præsertim habitans, quo rarius talium & scriptorum & hominum fama perferebatur. Lutherus mihi erat notus, de quo ea quæ narro, viri boni facile judicabunt, utrum verius dicta a me in illius hominis more reprehendendo sint, an quæ tu profers in eodem laudando; neque tamen propterea te

falsum

falsum testem dixerim. Quod vero caussam incognitam condemnare fuerim ausus, quod quidem esset arrogantiæ crimen & temeritatis, tu me plane hoc crimine eodem tuo hoc in libello liberas. Proponis enim certo loco dogmata disciplinæ vestræ, in quibus illa perspicue reperiuntur; non enim omnia tum prosequutus sum, quæ ego in meis scriptis non probanda duxi, & tamen in tali & tempore & caussa moderate admodum, ut mihi videtur, & satis clementer in illis commentariis locutus sum. Nam quod ad Clementem Pontificem attinet, ego laudem tribuo homini mihi cognito; tu quem habes incognitum falso a me laudari insimulas. Utri igitur nostrum major fides adjungenda est? Utinam ille quidem quemadmodum instituerat, probitatem & modestiam, qua mirifice a natura erat præditus perferre ad extremum & similis sui semper permanere potuisset: crede mihi pauca admodum in Pontifice illo desideraremus. Sed bellis odiisque distractus, quæ non tam suo quidem & proprio judicio, quam ministrorum sibi non Domino servientium, factionibus susceperat, descivit non minimum a more pristino bonitateque naturæ. Litteris quidem tam humanis quam etiam sacris ita erat instructus, ut, quod mirabile nobis omnibus videbatur, postquam Pontifex factus esset, ita didicerit latine loqui, ut & longa & gravis facile illi suppeteret oratio, neque sacrum unquam codicem deponeret e manibus. Habeo iterum meum testimonium de Clemente, neque id tamen falsum. Sed etsi tu acerbius multo & immitius, quam conveniebat ei, quæ a te expectabatur humanitati, gravissimorum criminum

rerum me facere voluisti, in quo ego curavi ut humaniter tibi a me esset responsum, poteratque forsan nonnulla in animo meo ex ea re oriri offensio, tum autem eadem arma mihi sunt in promptu, quibus tu multum te proficere posse arbitratus es; tamen omnia condonans ingenio & eloquentiæ tuæ, meumque in eo morem conservans; (non enim soleo irasci conviciatoribus meis, quum præsertim, id quod Christiano homine dignum est, *patientia nostra probationem habeat*, ut Paulus inquit, neque videam ex tuis maledictis, quid aut veritati, aut existimationi meæ detrahatur) tibi rursus confirmo etiam atque etiam, me tibi valde ex animo bene velle, lætarique plurimum quod tale ingenium ad litteras bonas se dederit. Non enim diffido fore, ut ad majorem quoque modestiam ac mansuetudinem & mens aliquando tua & oratio convertatur. Equidem quod ad me attinet, si quid forte accideret, quod tibi & Malanchthoni & Bucero commodum aut gratum facere possim, reperietis me profecto factis etiam paratiorem, quam verbis, ut nullum a me officium benevoli erga vos hominis desiderari sim passurus. Carpentoracti . . . Julii M. D. XXXIX.

EPISTOLA CCCXXVI.

JAC. SAD. CARD. JOANNI COCHLAEO S. P. D. (a)

Georgii Saxoniæ Ducis obitum deplorat, suamque Cochlæo opem auxiliumque pollicetur.

BInas a te uno fere tempore accepi literas, quæ utinam ad me nunquam fuissent allatæ.

(a) Consule quæ de Cochlæo diximus in notis ad Epist. CCCV. p. 32.

tæ. Tristissimum enim mihi nuntium attulerunt de Georgii morte optimi & sapientissimi Principis. Quem ego propter præclarissimas illius virtutes, æquitatem, religionem, integritatem, prudentiam summo in honore habebam: eumque ita amabam, ut si fuissemus eodem ex utero geniti, neque major meus erga illum, neque justior potuerit esse amor. Itaque tanto dolore sum affectus, ut moderari mihi ipse non queam. Quid enim est quod me amantissimum & talium virorum & rei Christianæ publicæ, majore vulnere conficere potuerit, quam tanti Principis mors? quo, ut ipsi forsitan matura, rei quidem publicæ extitit peracerba. Mihi vero tantum mœroris, tantumque luctus attulit, ut pene mihi solus in hac calamitosa conditione temporum videar esse relictus. Qui cum diu noctuque de Repub. cogitans, in eo curas consumerem omnes meas, ut aliquando reconciliata Ecclesiæ unitate, in pace & otio debitum cultum Deo tribueremus; maximam ejus rei spem in illo sapientissimo Principe repositam habebam. Quo nunc sublato, quod est quod sperare amplius, aut quod nostris conatibus & consiliis confidere debeamus? Quanquam solet Deus, cum ad desperationem pene res ipsa nos deduxerit, subitas interdum spes & improvisa auxilia fidelibus suis ostendere. Quem equidem supplex omnibus precibus obtestor primum, ut animæ illius præstantissimi viri clementiam & misericordiam suam tribuat; deinde nobiscum ita agi permittat, ut ne cogamur eum nimis sæpe, nimisque acriter & dolenter desiderare. Etenim video pericula, quæ impendent: tuque satis plane ad me omnia perscribis. Sed tibi mi Co-
chlæe,

chlææ, quantum in me eſt, quodque meæ exiguæ fortunæ mihi concedunt ita benevolentiam meam polliceor, ut nulla ſim unquam in re tibi defuturus. Cum hæc ad te ſcriberem, aberam ab Urbe, deque meo illuc reditu nondum quippiam certi conſtitueram: ut te non poſſem Pont. Maximo præſens commendare. Sed quod abſens efficere poſſum, ſcribam ad ampliſſimum virum Gaſparem Contarenum, ut is & ſuam & meam vicem in te commendando ſuſcipiat: addatque ad amorem eum quo te ipſe diligit, aliquid præterea mea honoris & meæ erga te voluntatis cauſa. Quod facturum illum non dubito, tanta eſt virtus hominis, & in omnes bonos beneficentia. Ego quæ meæ erunt partes, nomen & memoriam ſanctiſſimi Principis mortui, chariſſime ſemper diligentiſſimeque cuſtodiam (a). Tibi autem & Julio (b) ita ero affectus, ut plus quidem vos in me facultatis ad vos ornandos, amoris autem & ſtudii nequaquam plus ſitis deſideraturi. Tu cura ut valeas, & in omni fortuna eam patientiam præſta, quam chriſtiana virtus poſtulat. Carpent. VII. Idus Julii M. D.XXXIX.

(a) Georgio huic Saxoniæ duci ejuſque filio qui paullo ante præcipitem mortem obierat, veneno a Lutheranis vitam ſublatam fuiſſe, conſtans ſuſpicio fuit. Vid. hac de rè Cochlæi literas de Contarenum Card. a Raynaldo relatas in Annalib. ad an. 1539. n. 18.

(b) Julio Peflugo ſcilicet de quo vid. not. in Epiſt. CCCIV. pag. 30.

EPI-

EPISTOLA CCCXXVII.

JACOBUS SADOLETUS CARDINALIS

Franc. Fregepani Ungharo Ep. Agriensi (a) S.

Primum de dilata transactaque Ecclesiarum confirmatione scribit, deinde propensam suam adversus illum voluntatem ostendit.

ACcepi tuas literas mihi gratissimas, in quibus illud perhumanum, quod mea erga te officia plurimi facere videris. Quasi vero non ego ita agere debeam, aut sit quicquam, quod a me tuæ eximiæ virtuti & amori erga me non debeatur. Imo vero, quæcunque mihi dabitur tibi commodandi, & rem gratam faciendi occasio, sic ea utar, ut eodem tempore beneficium me abs te accipere sim arbitraturus. Quid enim est, quod potius agamus, quam ut faveamus bonis, & virorum insignium virtutes, cujusmodi tu profecto es, justis honoribus afficiamus? præsertim tanto amicitiæ fundamento inter nos jacto, quod non solum benevolentia mutua, sed jure etiam hospitii sancitum sit. Noli enim putare me oblivisci posse illius humanitatis, qua tu adductus, Carpentora-

---

(a) Franciscum hunc Fregepanium in Hungariam a Clemente VII. Pont. Max. ad Lutheranorum hæresim compescendam profligandamque, missum fuisse, patet ex *Actis Consistorialibus* a Raynaldo relatis Annal. Eccl. ad an. 1534. n. 7. in quibus hæc leguntur. *XIII. Julii* 1534. *lectæ literæ Fratris Francisci de Frangepan ex Buda, qui a sanctissimo Domino contra hæresim Lutheranorum, quæ in Hungariam acriter irrepserat missus, aliquod remedium mature petebat &c.* Vid. Epistolas CCCXXXIX. & CCCLXI. hujus partis eidem Fregepanio a Sadoleto scriptas.

toracte ut me inviseres divertere voluisti. Quo quidem tempore cœpi fructum permagnum e conspectu & sermonibus tuis. De quibus scripsi ad Pontificem ea quæ mihi videbantur: illud præcipue spectans, ut si quid antea ille forte in tua natura fuisset offensus, animadverteret & sciret, inter elationem animi & libertatem plurimum interesse. Quod de Ecclesiarum dilatione confirmationis scribis, cum mihi tuæ literæ sunt redditæ, una item Roma scriptum a Joanne Marsupino tuo est, omnia esse jam transacta: præsertimque quod ad te attinet, fuisse perfectum. Quo equidem nuntio valde gavisus sum. Illud tantum dolui, me non fuisse in senatu, cum mentio de te facta est: justis enim & debitis laudibus dignitas & virtus tua non caruisset. Quanquam illa quidem sine cujusquam nostrum testimonio per sese splendida ipsa est. Ego illa verba in literis tuis maximopere probo, tibique imprimis convenientia esse duco; quibus te confirmas nullis unquam injuriis ab honore & cultu sanctæ Sedis Apostolicæ esse discessurum. Certe sic facere decet eos, qui Deum, non qui homines intuentur: quique, ut tu gravissime & sapientissime scribis, spectant ea quæ non videntur, non ea quæ oculis & sensibus subjecta sunt, in quibus homines falli & errare jam quotidianum est. Sed de his satis. Tuæ epistolæ longissimæ mihi forent suavissimæ. Nam quas accepi, perbreves visæ mihi sunt, tanta a me cum voluptate sunt lectæ. Qui si Romæ essem, lacesserem te crebro meis scriptis. Nunc longe gentium absum: neque sane mihi constat, quod ad tempus sim in Urbem reversurus: namque neque quicquam adhuc video quod me illuc attrahat, & multa

sunt

sunt heic quæ me detineant. Proinde scito, labare meum illud primum consilium Romam redeundi. Quicquid tamen egero, faciam te certiorem. Tu me uti diligas, Regique tuo meam & fidem offeras & observantiam, Brodericumque plurimum meis verbis salutes, valde te rogo (a). Carp. VII. Idus Jul. M.D.XXXIX.

EPISTOLA CCCXXVIII.

JAC. SAD. ALEX. FARNESIO CARD. (b) *Rom.*

Primum Farnesii videndi desiderium, suæque ab Urbe absentiæ causas exponit; postremo ad compescendam Judæorum audaciam eum fortiter impellit.

TUus subitus discessus, & festinatio Romam perveniendi fecit, ut quod maxime cupiebam atque optabam videre te & alloqui, id mihi fuerit ereptum: nec tamen judico te quicquam nisi bona adductum ratione fecisse: quod vel pietas tua erga tuos, vel desiderium rerum urbanarum, quod sæpe ætate jam provectis, nedum adolescentibus, magnum calcar affert: vel forte Pontificis imperium & voluntas approperare te coegit. Tamen in expectatione maxima tui videndi & complectendi cum essem, quod mea me spes frustrata est, non possum non dolere. Qui si tuo inductus nuntio non fuissem, quo me Carpentoracti subsistere & tibi hospitium parare jussisti; obviam certe tibi Avenionem processissem, & si non omnem, at aliquam tamen partem cepissem spe-

ratæ

(a) Brodericus hic obiit A. 1540. ut colligitur ex epist. ad eumdem Fregepanium data die X. Aug. ejusd. an. 1540.

(b) Vid. not. in epist. CCXXXII. parte II. pag. 350.

ratæ voluptatis. Nam & conspectus tuus mihi jucundissimus & mea tibi observantia (ut arbitror) non ingrata extitisset. Nunc cum neque heic, neque alibi conspicere te potuerim, measque tecum rationes familiariter conferre, cumque cives mei, pene popularitet, summa cum alacritate & lætitia obviam tibi prodire festumque diem agere adventus tui constituissent; potes pro tuo ingenio existimare, fuisse nobis molestum, quod tu in alium repente sensum, & aliud iter te converteris. Sed si hoc quod nobis cecidit perincommode, tibi idem commodum atque opportunum accidit: & si iter totum sic ex sententia confecisti, ut ad tuos salvus incolumisque redieris (quod ego & spero, & Deum quæso ut ita sit) vincat sane utilitas tua cupiditates nostras: sitque nobis potior tua salus & voluntas, quam omnes eæ rationes, quibus nos speravimus ex congressu tuo gaudium nobis & lætitiam posse comparari. Nam quæ ego coram tecum eram acturus, parum sane interest utrum ea voce an per literas exponam. Quod vero summæ voluptatis & lætitiæ ex tuo adventu ad nos percipere potui, id amissum, sic animo æquo fero, si tibi id fuit gratius atque optatius. Dabitur enim mihi (opinor) aliud tempus, meam tibi observantiam & gratam in omnes tuos voluntatem declarandi. Nunc ut veniam ad id quod egi tecum cum fuisti Avenione, de diuturniore mea mansione in his locis; id te oro atque rogo Farnesi amplissime, ut in memoria habeas, excusesque me apud summum Pontificem, totumque me denique, & tuendum tibi & defendendum suscipias. Ego nec ullo patrono possum esse munitior, quam

te,

te, si modo dignus a te fuero judicatus, qui in fide & clientela tua sim; nec tu opinor, dedecus ullum ex tua erga me humanitate suscipies. Ita enim me geram, & eam operam dabo, ut te mihi præsidio adjumentoque fuisse ne unquam pœniteat. Cur autem istuc venire non possim, causæ partim necessariæ sunt, partim habent in se honestatem & laudem. Necessitas in confitendo nonnihil pudoris affert, ingenuis præsertim animis: quam tamen necessitatem vos intelligere, etiam tacente me, potestis. Nec tamen propterea ambio a vobis quidquam aut flagito. Sed si ego ea natura præditus sum, ut nemini velim sumptui esse & oneri: decet vos quoque ea esse benignitate, ut me commodum meum sequi, & vestræ liberalitatis insignibus ornatum, ubicunque sim, duplicem vobis habere gratiam patiamini, & maximi honoris ac beneficii, quod in me contulistis, & summæ benignitatis, qua me morem mihi gerere, & meo obsequi animo indulgentissime permittitis. Sed (ut dixi) necessitas verecundiam quandam habet; honestas est prædicabilior. Dico igitur me heic manere non invitum: quod & inter amantissimos mei versor & multa quotidie ex me commoda atque adjumenta his populis proveniunt: quod diurnis nocturnisque meis cogitationibus hoc consequor, ut & pace atque concordia eos contineam, & propulsem hinc impios, qui veritatem catholicæ religionis conantur evertere, quorum nisi ego huc venissem, magna jam copia in his locis existeret. Nunc meis vigiliis atque curis fit, ut illi non modo ad nos, sed ne ad vicinos quidem nostros se audeant conferre. Contingit enim peropportune, ut cum apud populos etiam alie-
niores

niores fides mihi non parva sit; tum vero senatoria consilia quæ Gallicanis præsunt provinciis, ut Aquense, ut Tholosanum, ut Gratianopolitanum meo non minimum testimonio moveantur. Itaque cum his paucis diebus diploma ad me pontificium esset allatum, quo datur mihi in Lutheranos inquirendi atque animadvertendi potestas (a); accepi equidem illum venerabundus & gratulans; gratiasque de eo summo Pontifici egi, qui tantum mihi honoris suo judicio detulerit: quas etiam a te Farnesi optime meis illis verbis agi cupio, idque ut facias rogo. Sed quod ad usum istius potestatis pertinet, equidem si necesse erit, utar: dabo operam tamen ne sit necesse. Nam quibus ego armis libentius utor, ea ut leniora sunt ad opinionem atque aspectum, ita ad convincendos improborum animos longe sunt validiora: cum non terror ab illis, neque supplicium, sed veritas ipsa, & Christiana imprimis mansuetudo, confessionem erroris, corde magis quam ore prolatam, exprimit. Est autem hoc loco quod vobis a me aperte indicandum sit; de quo tecum habui si recordaris, mentionem, cum in Hispaniam iter haberes, deque eadem re tecum postea, me absente amplissimus Polus collocutus est, cui tu & mihi benignissime es pollicitus: de Judæorum negotio videlicet: quibus aliquando frænum aliquod imponi profecto est necesse, si non illorum avaritiæ infamiam, qua gens illa præter cæteras laborat, transferre ad nos totam volumus. Agam fortiter, utarque libertate, quam tribuit

(a) Vide epist. CCCXXIV. pag. 102, & Raynal. Annal. Ecclesiast. ad an. 1539. n. 34.

buit mihi Deus, neque eum Principem, cui omnia debeo, cujus eximiam laudem virtutis, probitatis, sapientiæ, ullis hominum sermonibus infringi aut imminui iniquissimo animo patior, falsis assentationibus in errorem inducam. Sed dicam aperte ut se res habet. Qui potest videri amore religionis in suis provinciis Lutheranos persequi, qui in eisdem provinciis tantopere sustinet Judæos? Sustinet autem? Imo vero auget, condecorat, honestat? Nulli enim unquam ullo a Pontifice Christiani tot gratiis, privilegiis, concessionibusque donati sunt, quot per hosce annos Paulo Tertio Pont. honoribus, prærogativis, beneficiis non aucti solum, sed armati sunt Judæi. Ac cæteris quidem fidelibus & optime meritis, nova juris beneficia, ad propulsandam, si qua illata sit, injuriam conceduntur. Judæis solum ad inferendam. Quanquam non est ista Pontificis culpa, sed eorum qui ad suum ex Judæis quæstum, Pontificis nomine abutuntur, de quibus honestius est vos existimare, quam me scribere. Judæi quidem opibus referti, fautoribus insolentes, inter has plebes, tanquam inter pecudes lupi grassantur. Oppida jamdudum pleraque vastata sunt, familiæ plurimæ exturbatæ laribus suis & extorres factæ, dispersæ inter finitimas nationes, queruntur horum conditionem temporum & miseras fortunas suas: cum tamen quotidie Judæi istinc ex Urbe a præfectis ærarii nova ad nos privilegia deferant. Et in his nuper duo, quæ maxime valentia sunt ad evertendos Christianos, scilicet nutu ibi quod volunt consequuntur, nec est quicquam jam sanctius & ad reconciliandam ecclesiasticam dignitatem, quæ prope omnis jam-

jampridem amissa est, utilius, quam fovere Judæos: quibus (quod omnibus seculis inauditum est) licitum sit solis tanta frui apud magistratus authoritate & gratia, ut ad impetrandum omnia quæ possunt, eorum accusatio audiatur sine reo, causa cognoscatur sine teste, sententia feratur sine judicio. Et hæc vos tandem quomodo ab his trans alpes nationibus accipi existimatis, quarum in oculis & in conspectu posita sunt? Quæ nationes carent omnes hac Judæorum peste, nec abominantur pejus quidquam, quam Judæorum nomen, quos tantopere vident istic in deliciis esse.. In tantane defectione animorum omnium jam a nobis gentium (plane enim dico omnium quod ego ita esse intelligo: vos haud ita sentitis, propterea quod auribus vestris vulgo homines blandiuntur) in tantane inquam defectione omnium & prope execratione authoritatis ecclesiasticæ, magno Reipub. præsidio futurum putatis, si sic alueritis, sic extuleritis Judæos? fideles autem & pauperes populos vestros sic lacerari ab illis & diripi neglexeritis? Porro in hæc loca, quod tu transiens nosse potuisti, provinciæ maxime concurrunt, Italia, Hispania, Gallia, atque Anglia: e quibus qui hac iter faciunt homines, conscios eos esse hujusmodi querelarum, easque domum ad suos referre, sane existimationi vestræ & communi saluti non expedit. Sed ego hæc ad te vere quidem & libere, forsitan autem dolentius, quam necesse erat, scripsi. In quo ignosce mihi optime Farnesi. Pastor sum populorum horum non mercenerius. Moveor si quisquam alius, in improbos stomacho, erga pauperes misericordia. Fungor officio meo & fungar. Si potero opem ferre & consu-

consulere meis, habebo Deo omnipotenti & optimo maximoque Pontifici gratiam: sin minus, totum hoc onus reiiciam in vos, qui principes Pastorum estis. Vos & meam vicem & vestram eidem summo Deo rationem reddetis, quando vestra, non mea, omnium rerum est potestas. Unum, quod ad te ipsum proprie pertinet, (dat enim mihi ætas mea, non authoritas quidem neque prudentia, apud te loquendi veniam) unum inquam, te admonebo: cum tu istis initiis nobilitatis, fortunæ, honoris, ingenii, ad summam omnium hominum commendationem & spem præstantissimæ virtutis productus sis: si tales causas & hujusmodi patrocinia susceperis, ostenderisque tibi curæ esse (id quod tamen facis, in quo nos admodum lætamur) æquitatem, justitiam, pacem populorum, & erga Deum religionem: quæ quidem res sanctissimæ, ac præclarissimæ, nulla re alia magis quam cupiditate lucri, avaritiaque fœdantur, quam isti palam præ se ferunt, qui Judæis tantopere studere se non dissimulant, stabile (mihi crede) & firmum fundamentum in omnem posteritatem tibi subjeceris ad dignitatem, & gloriam nominis tui quotidie magis augendam, altiusque extruendam. Quam nunc & magnam admodum, amplamque esse vehementer lætor & majorem indies futuram esse confido. Vale. Carpent. IV. Cal. Augusti M. D. XXXIX.



EPISTOLA CCCXXIX.

J. SAD. THOMÆ CAMPEGIO EP. FELTREN. (a)

Eum in obitu Laurentii fratris Cardinalis amice consolatur.

VEllem posse ad te hilariore animo scribere, cujus mihi amor hæsit in intimis sensibus: longo ille quidem tempore ante jam conceptus, sed ex eo amplificatus, & auctus, cum tu mihi a summo Pontifice Romam accersito, disciplinæ publicæ corrigendæ, & meorum imprimis urbanorum causa amicissimo ac fidelissimo animo præsto fuisti, & qui in Urbe assiduus fuisses, me post annos decem tanquam postliminio in eam redeuntem, diligenter & studiose, pro tua in Christianam Rempub. voluntate, docuisti, quæ tibi vel soluta a vetere disciplina, vel a bonis moribus detorta, vel mala consuetudine depravata, contaminata, cor-

(a) Hic Feltrensem Pontificatum a Leone X. obtinuit an. 1520. a quo ad Parmæ Placentiæque tumultus compescendos missus fuerat. Leone e vivis erepto, in ejusque locum Adriano VI. in Hispania commorante suffecto, ad novum Pontificem Max. Cardinalium Senatus nomine est profectus, cumque in Italiam reversus, Pontificii ad Remp. Venetam Oratoris munus summa prudentiæ laude gessit. Tridentino quoque Concilio interfuit. Obiit Romæ an. 1564. ac in templo Aracælitano conditus est. Hujus Commentarium *de annatis* ms. apud se habere testatur vir cl. Hier. Lagomarsinius S. J. in not. ad Pogiani epistolas tom. IV. pag. 225. eumque multo copiosiorem illo ipsius Campegii *de annatis* tractatu qui in part. II. tom. XV. pag. 537. illatus est operis inscripti: *Tractatus illustrium in utraque tum Pontificii, tum Cæsarei juris facultate jurisconsultorum*, Venetiis an. 1584. editi.

corrupta, egere novis remediis, aut restitutis antiquis legibus videbantur. Qua ego tua tum admonitione factus sum ad dicendas illis de rebus sententias paratior. Noli enim existimare, mi optime Campegi, tuum id studium atque officium non mihi in animo hærere; cujus quidem officii, quoad ego vivam nulla unquam oblivio me capiet. Sed quominus ad te familiariter & jucunde (ut cuperem) scribam, mors Laurentii fratris tui viri clarissimi facit (a). Quæ me quidem ita conturbavit, ut vobis, qui illi sanguine eratis conjuncti, in deplorando tanto communi incommodo non cedam. Etsi nulla quidem major potuit esse conjunctio, quam ea, quæ inter me atque illum fuit, qui amicitia primum, post collegio, deinde consensione animorum & voluntatum, in capiendis de Repub. consiliis, sic copulati eramus, ut videremur ad salutem & utilitatem Reipub. uno prope sensu & eodem spiritu duci. Quare pro me quidem ego tristi illo nuntio ita sum affectus, ut consolari ipse me non queam. Quo etiam minus sum ad vos consolandum accomodatus. Difficile enim est, eum qui sibi mœreat aliorum opitulari mœroribus: & qui animo ipse perturbato sit, ex aliorum animis turbidos motus eiicere. Sed cum meo ipso in dolore, amor item ille meus emineret, quo te, quo Alexandrum Episcopum Bononiensem (b), quo reliquam omnem Campegiorum familiam sem-

(a) De Laurentio Campegio Cardinale, vid. notas in epist. CLXXXII. par. II. pag. 134.

(b) De Alexandro Campegio Laurentii filio, vid. not. ad epist. CLIV. part. II, pag. 37.

per complexus sum ; non duxi alienum a necessitudine nostra , pauca ad vos verba facere : quæ si non solatium vobis , at mihi certe aliquam a dolore aberrationem , & si non prudentiæ meæ judicium ad vos , at significationem optimæ voluntatis afferrent . Dico ergo , vos qui non minus similitudine virtutum , quam cognationis vinculo , summo illi viro adjuncti eratis , debere illius quoque fortitudinem , & patientiam imitari : qui in tanta imbecillitate corporis , tam gravi morbo , tam asperis omnium artuum doloribus , nihil unquam egit , neque dixit , quod indignum esset illa gloria , quam ex multis & maximis virtutibus sibi comparaverat . Qui si est a vobis ereptus , magnumque in eo ornamentum vestræ familiæ ablatum, tamen id amisistis, quod perpetuum vobis esse non potuit . Quod vero neque ipsi illi mors , neque etiam vobis potuit adimere , id semper retinebitis : ut illius honores , magistratus , publica munera , legationes, summam in jure civili & Pontificio scientiam , summam integritatem , summam authoritatem , præterea animum in Christiana religione præstantem & integrum , nulla ex animis hominum deletura sit oblivio . Et quoniam quæ voluntate & numine præpotentis Dei fiunt , commutabilia non sunt , estque hic eventus omnibus propositus, qui in hanc lucem nascimur, & ad vitam non stabilem sed caducam producti sumus : non est graviter dolendum de eo , quod omnibus communiter accidit . In quo vero singularis atque eximia vestræ familiæ laus posita est, quod talis vir potissimum in vestro genere sit natus , id cum vobis , tum mihi , qui mirabiliter faveo vestris orna-

ornamentis & laudibus etiam cum aliqua animi lætitia sæpius recolendum & commemoratione usurpandum est. Et nunc is quidem sublatus in eas cœli regiones, quæ piis & probis mentibus propositæ sunt, fruitur præmiis pietatis & integritatis suæ, quibus per Dei præcipue clementiam & benignitatem, dignus effectus est. Ego vero, qui hoc animo sum erga collegas meos, ut quoniam in eadem tempora incidimus, & in eodem orbe Christianæ Reipub. versando & moderando, sub optimo & prudentissimo Pontifice una exercemur, arcto me omnibus illis vinculo amoris atque observantiæ esse obstrictum sentiam: non possum non affici dolore & desiderio, quod talem atque tantum non collegam solum, verum etiam amicum & defensorem veterem amiserim. Cujus interitu, non orbus quidem senatus, multis summis viris ordinem eum ornantibus, sed res certe publica non mediocre detrimentum passa est. At nobis privata forsitan res vestra nunc quidem curæ est: quod ego non reprehendo: est enim humanitatis domesticis suis incommodis angi. Sed tamen ex eo consolari vos potestis, quod tibi in fratre, ceteris qui ex familia vestra sunt, in suo cujusque aut patre, aut patruo humanis rebus exempto qnicquid contigit damni, id commune omnibus etiam alienioribus contigit: tanti autem viri fama laudisque perpetuitas, propria ac perennis vestra futura est. Sed ego longius provehor, amore videlicet impulsus; nec satis animadverto, me ad viros fortes & artibus optimis disciplinisque instructos, nec consolationis a quopiam egentes, orationem habere. Quare finem faciam. Tantum te admonebo mi Thoma, id quod meæ erga te bene-

nevolentiæ est proprium, amisisse te quidem in fratre tuo, quod maximum in eo fuit, & quo nos aspirare non possumus, summam virtutem nimirum summamque authoritatem, quæ in illo utraque peregregia fuerunt. Amorem autem & charitatem erga te nequaquam amisisse, quandoquidem ego illi in te amando par, & in reliquos omnes tuos, qui genere ex eodem sunt, simili animo atque erat ille, & eadem voluntate affectus sum. Quod tu illis & denunciabis a me omnibus, & mea fide pollicebere. Studium tuum & cura quam suscepisti, quo pars illa ædium Vaticanarum, quam frater obtinebat tuus, mihi assignaretur, gratissima mihi fuit: sicuti cætera omnia, quæ pro me facis, aut dicis. Sed ego habita ratione temporum, non duxi esse tentandum, quod non confidebam posse obtinere. Quem tamen morem omnibus in rebus teneo. Si enim mihi mea dignitas, & pudor meus non prodest, extorquere & eripere Principis beneficia non postulo. Quæ si minus crebra ad me perveniunt idque mihi a nonnullis tribuitur inertiæ, quam mitiore vocabulo nimiam illi modestiam appellant, scio ego quid agam. Nam & extra competitorum certamina, atque contentiones quæ molestiarum plenæ & gravium offensionum sunt, extraque periculum repulsæ, qua ingenuis & liberis animis nihil accidere potest acerbius, placatus interim, atque tranquillus vitam ago. Quique meæ fidei & gubernationi populi commissi sunt, & quarum mihi rerum administratio est tradita, in ea ita me gero studiisque præterea in talibus artium optimarum & præstantissimarum versor, ut alia quadam via, & quidem certiore ea multo, ac magnif

gnificentiore, in hominum benevolentiam & bonam existimationem me vindicem. Vale IIII. Cal. Septemb. M.D.XXXIX. Carpentoracti.

EPISTOLA CCCXXX.

J. SAD. JO. PETRO CARAFÆ CARD. (a) Rom.

Ejus dolorem ex Christianæ Reipublicæ calamitatibus susceptum lenire curat, eique pro officiis in se collatis gratias agit.

MAxima cum animi mei lætitia legissem tuas literas (significabant enim humanitatem & benevolentiam erga me tuam, quam in allevando fidei meæ onere adhibuisses, quod ego tuum imprimis erga me officium a tua virtute & prudentia postulaveram) nisi eædem ad me literæ detulissent querelam quandam multarum molestiarum, quas sustines, & non obscurum indicium doloris tui, quem video tibi in animo exortum propter temporum calamitates, quibus & intus & extra sic premimur & urgemur, ut consolationem ullam vix possit quisquam, quamvis sapiens, invenire. Sed ego qui ad dandum tibi consilium aptus non sum, tamen confido te, cum temetipsum respexeris, nec ex iis quæ extra te, sed quæ in te ipso sunt, expenderis, multas reperturum ad te consolandum vias. Omnino cuncta & ab impetu hostium infesta, & seditionibus ac sectis, quæ inter nos ipsos ardent, graviter vexata sunt, animis præsertim hominum, qui ubique sunt; his temporibus ac moribus vehementer infensis. Sed tamen in quo culpa nostra non est, id animo æquo omnes ferre debemus.

(a) Vide not. in epist. CCIV. part. 2. pag. 233.

rare constitui, ex quibus nosse posses, valere me, hærereque mihi in animo perpetuam memoriam tui absentis; nihilque mihi magis in optatis esse, quam ut te florentem beneque valentem in omnes partes audiam saltem, si minus tam mature quam ego cupiissem congredi, & de rebus nostris coram alloqui contigerit. Nam ego quidem partim charitate & penuria earum rerum omnium, quæ ad victum pertineant, quo incommodo audio Italiam & ipsam præcipue Urbem premi, partim domesticis meis difficultatibus impeditus, (ut ea tantum commemorem impræsentia, quæ necessitatem mihi in his locis consistendi afferunt) in Italiam hoc anno transire non cogito. Quod hactenus quidem mihi molestum est, quod multorum amicissimorum & suavissimorum hominum familiaritate atque convictu, mihi carendum

---

familiari, Romam postea rediit. Sed haud multo post in gravissimum incidit morbum. Itaque iterum in patriam atque in otium secedere coactus est an. 1521., vixitque in ea vitæ tranquillitate usque ad an. 1539. quo eum licet absentem Paulus III. Sadoleti commendatione in Cardinalium ordinem cooptavit. Tali modo cum VII. & LXX. fere annos complesset, atque ad extremam senectutem non minus dignitate, quam gratia fortunaque crevisset, decessit Romæ XIII. Kal. Februarii an. 1547. sepultusque est ad D. Mariæ supra Minervam. Epitaphium Sadoleti in ejus obitum in notis ad epistolas eodem an. 1547. datas a nobis editum, legitur quoque inter carmina illustrium poetarum Italorum a Joan. Matthæo Toscano collecta tom. 1. p. 185. ubi licet Sadoleti nomen non appareat, ei tamen tribuendum esse, patet ex Lud. Beccatello in Bembi vita, quam vir cl. Apostolus Zenus publici juris fecit in *Collect. Hist. Venet.* Consule etiam Bembi vitam a Joan. Casa descriptam, & ab eodem Zeno notis auctam ac illustratam.

dum erit, atque imprimis tuo. Nuntiatum enim mihi est, te primo quoque tempore ad Urbem profecturum esse, atque ibi aliquandiu mansurum. Qui certe si adessem & tua dulcissima consuetudine ipse fruerer, & tibi quoque ex me aliquas voluptates darem. Nunc hanc ægritudinem animi eis leniam commodis, quæ mihi heic multa nec injucunda suppetunt, præsertim his quæ capio ex optimarum artium studiis, quæ me sola adhuc detinent; delectationibus cæteris aut consenescentibus omnibus, ut penitus jam extinctis. Quanquam quod ad suavitatem amicitiæ & familiaritatis attinet, multorum mihi amicorum vicem præstat vir clarissimus Polus, qui apud nos complures jam est menses, quo homine cave mi Bembe quenquam existimes aut dulciorem in congressibus, aut fideliorem in consiliis, aut sanctiorem in omni parte vitæ optimisque moribus existere, præterea summæ ipsum doctrinæ, summique judicii. Sed quid ago? tibine ego eum laudo, qui tibi ipsi melius notus est, quam mihi? illud affirmare possum, hoc illius sermones mihi etiam gratiores esse & jucundiores, quod in magna copia & varietate rerum, de quibus colloquimur, sæpe nobis de te in loquendo incidit mentio, in qua diutius commorari solemus, Priulo præsertim tuo materiam & copiam sermonibus suppedditante. Florebellum meum (a) tam humane a te, tamque liberaliter tractari, gratissimum mihi est. Ego illum juvenem non mediocriter diligo, summaque in spe sum, fore eum huic seculo & suis temporibus

F 5 orna-

(b) Vide Florebelli vitam a nobis descriptam editamque ad calcem Pontificiarum Sadoleti epistolarum.

ornamento. In quo tua quoque laus non minima futura est, quod ex domo tua atque ex disciplina, tale ingenium prodeat. Is maximas tibi sæpe numero apud me per literas agit gratias. Quare eum tibi ne commendo quidem, video enim minime esse id necesse. Hoc te scire volo, quicquid in eum comitatis & benevolentiæ tuæ contuleris, id me existimaturum in me abs te collatum esse. Vale mi charissime Bembe. Carpent. VI. Idus Septemb. M.D.XXXIX.

EPISTOLA CCCXXXII.

P. B. JAC. SAD. CARD. S. P. D. *Carpent.*

Superiori epistolæ respondet.

Epistolæ tuæ VI. Idus Septembris datæ, quam mihi Romæ appropinquanti Carolus noster reddidit (a), nunc demum respondeo, serius omnino, quam debueram, propter eas occupationes, quas quidem nostri ordinis hominibus primo ad Urbem venientibus consuetudo ipsa ingerit. Tametsi primis diebus vernaculo sermone scriptas literas ad te dederam, quæ me negligentiorem fecerunt. Quod te excusas non statim, ut dignitate auctus sum, te ad me scripsisse, quid vero mihi opus fuit ea de re tuis literis, cùm scirem, te ad Paulum ipsum Pont. Max. tum, cum a nonnullis magnis viris honos meus oppugnabatur, honorificentissime de me scripsisse, meamque illi dignitatem diligentissime commendavisse (b)? Quod mihi gratulandum esse non existimas, agnos-

(a) Carol. Gualterutius Fanen. scilicet Bembi famil.

(b) Vide has Sadoleti ad Paulum III. litteras superius n. CCCXV. pag. 38.

agnosco in eo naturæ morem & probitatem tuæ, qui cum illo ipso fere die quo es Cardinalis creatus, me de ea re literis manu tua scriptis certiorem faceres, subdubitare te ostendisti, ne improbarem judicium tuum, quod in eum te ordinem cooptari permiseras, qui quidem ordo tuis illis jucundissimis, & suavissimis prioris vitæ studiis impedimento potius, quam ulli usui esset futurus. Idem si de me nunc sentis gaudeo. Sic enim se res habet, ut sæpius peccasse me existimem, qui meum pristinum vivendi morem, libertatemque abjecerim, quam læter hæc me honoris, & dignitatis insignia suscepisse, præsertim cum qua maxime re me gavisum iri putabam, quod Romam venissem, ea destituar, facultate scilicet te videndi, atque amplectendi, & absentiam multorum annorum utriusque nostrum consuetudine, ac victu prope quotidiano farciendi. Nam tu quidem, ut video nihil minus, quam ad Urbem cogitas, quod eo isthic ocio ad scribendum, iis ad victum commoditatibus abundes, ut te Carpentoracti esse non pœniteat, quibus sane rebus aut omnibus, aut certe plurimis careres, si heic esses. Ea te a sententia, & consilio abducere conarer, incredibile est enim, quam te videre cupiam, quamque me omnibus ab hominibus esse destitutum putem, qui te uno careo, nisi te summa prudentia statuere, quæcumque statuis, existimarem. Sed omnino nullus esse locus potest nostro ordini nec honestior, nec aptior hoc theatro, in quo maxime omnium actiones, virtutesque recitandæ, ac concelebrandæ essent tuæ. Itaque si mihi hoc concedis, ut te rogare possim, etiam te rogo, ne te a tuis, qui Romæ sumus, desi-

derari diutius sinas, eoque maxime, quod collega noster Polus heri ad Urbem rediit, quem virum non tu quidem plus tuis in literis laudas, atque in coelum fers, quam ille tulerit te eo in sermone, quem cum apud Contarenum coenaremus, mecum, & cum illo multum de te habuit. Qua in coena si affuisses, quis me esset fortunatior? Sed haec quanti facienda tibi sint, tu pro tua sapientia judicabis. Interea si ad me interdum scripseris, levabo ea re plurimum aegritudinem meam. Cave enim putes suaviores, amantioresque ullas esse literas epistolis tuis, ita in illis aliqua semper est vel meae in te benevolentiae jucunda commemoratio, vel declaratio gravis, & constans amoris erga me tui. Florebellum tuum valde mehercule amo. Egregiam enim doctrinam, & scriptionis candorem sane mirificum, cum optimis, mitissimisque moribus & naturae probitate conjunxit. Illum proficiscens domi reliqui, una cum Cola meo studiosissimo, & observantissimo tui. Procurator tuus crebro me invisit, officiosus sane vir, & modestus, & prudens. Paulo Fratris tui filio, quem quidem in oculis fero, multam salutem. Sacrato etiam & Renerio. Vale mi optime optatissimeque Sadolete. Tertio Non. Dec. M.D.XXXIX. Roma.



EPI-

EPISTOLA CCCXXXIII.

R. S. MARCELLO CERVINO EP. NEOCASTR. (a)

Adeptum Neocastriensium episcopatum gratulatur.

SCriptum mihi a meis est, te Pontificis Max. beneficio omnium bonorum consentiente lætitia, collegis meis amplissimis patribus libenter prompteque sententias dicentibus, in eum

(a) Hic postea Julio III. incredibili bonorum omnium lætitia ac gratulatione in Pontificatu Maximo successit die 9. Aprilis 1555. & Marcellus II. est dictus. Natus in agro Piceno oppido Montis Fani prid. Non. Maii 1501. patre Ricardo illius provinciæ quæstore, matre Cassandra Bencia, Senis gravioribus disciplinis operam dedit. Anno 1524. Romam primum demigravit una cum Florentinæ Reip. Legatis, & Clementi VII. P.M. innotuit. Scriptor Apostolicus factus, Alexandrum Farnesium Cardinalium senatus principem præcipue coluit. Eo ad summæ dignitatis fastigium evecto an. 1534. Pauli III. nomine adscito, Marcelli ingenium ac virtus magis magisque elucescere cœpit. Alexandro enim Cardinali tunc admodum adolescenti ab avo Pontifice Maximo moderator datus atque minister, ad Cæsarem semel atque iterum & ad Galliæ regem maximis de rebus cum ornatissimo juvene missus est. Quibus in actionibus ita se gessit, ut nullum negotium, nulla Christianæ reipubl. pars Cervini consilio & viribus non digna videretur. Itaque Neocastriensium primo Episcopatum, postea Cardinalitiam dignitatem ab eodem Paulo obtinuit mense Decembris ejusdem an. 1539. Tridentino Concilio Pontificis Maximi nomine interfuit, & S. R. E. Bibliothecarii munus gessit. Obiit Kal. Maii an. 1555. altero & vigesimo die a Pontificatus renuntiatione. Laudavit eum Julius Pogianus funebri oratione, quam vir. cl. Hieron. Lagomarsinius Soc. Jes. cum ejusdem Pogiani epistolis edidit tom. I. pag.

eum ordinem cooptatum esse, qui maxime istam virtutem, prudentiam, integritatem, quae in te est, requirit & postulat. Quo ego nuntio ita gavisus sum, ut si germanum fratrem meum eodem honore esse affectum cognovissem, non majus ad me gaudium pervenire potuerit. Faveo enim virtuti, & si quisquam est, qui probos & doctos viros ad honores & publica munera provehi laetetur, eum ego me esse confiteor. Habeo enim arctam & habui semper cum bonis necessitudinem, nec plus valere apud me sentio sanguinis conjunctionem, quam virtutis. Qua cum tu ex mei animi judicio egregie sis praeditus; cumque tui mores, pudor, ingenium, gravitas, semper mihi summe placuerint, quae hoc etiam illustriora sunt, quod artium liberalissimarum cognitione & scientia sunt ornata, non potui non magnopere, & episcoporum ordini gratulari, & Pontifici Max. Farnesioque nostro clarissimo & spectatissimo juveni agere gratias, qui talem virum ad christianae religionis gubernacula induxerint, cujus similes quam multos si haberet nostra aetas, non tam gravi infamia atque odio apud omnes fere nationes Sacerdotum nomen laboraret. Vides ipse profecto (potuisti enim iter faciens multa cognoscere) quanta in invidia simus apud omnes, quam male quisque de nostris moribus sentiat. Cui quidem incommodo

pag. 103. Cervini de vita & moribus plura sunt in eo libro exposita, quem de ejus vita Petrus Pollidorius emisit in manus hominum Romae an. 1744. quo in libro pag. 26. Sadoletum nostrum hac epistola de recenti hominis Cardinalatu gratulari, falso memoriae prodidit, quum nondum Marcellus ea dignitate auctus esset,

modo remedium est opportunissimum, si præficiantur hi ecclesiarum administrationi, qui ad eas gerendas non cupiditatem quæstus, non popularem pompam & jactationem, sed fidem, sed justitiam, sed religionem afferant. Quod quidem Paulus III. Pont. maximè omnium, quos ego noverim, Pontificum effecit. Est enim semper in cœlum tollenda justissimis laudibus præstantissimi Pontificis virtus & voluntas. Tantum cuperem, ut quod ipse per sese facit, cæteros quoque, qui habent nominandi facultatem, agere idem, atque observare cogeret. Sed ego in hæc paulisper digressus sum, ut intelligas Marcelle mihi charissime, quod in negotium, & quam in curam sis vocatus, quam splendidam, quam amplam, quam difficilem (hoc quidem tempore) & pene inusitatam: etsi non eges tu quidem cujusquam admonitione, veruntamen amor in te meus suscipere me partes benevoli certe si minus necessarii monitoris coegit. Sed quod extremum est, ego & tibi quoque isti honori, quem jampridem meritus, nunc demum adeptus es, & Ecclesiæ tuæ Neocastrensi, quæ tam spectatum præsidem sit nacta, valde ex animo gratulor; Deumque oro, ut ista res vobis bene feliciterque eveniat; tuque majoribus quotidie honoribus dignus existimere. Quod quidem factu perfacile tibi erit qui & probitate & prudentia instructus es, nosque qui te amamus, tuæ nunquam laudi dignitatique deerimus; quandoquidem sanctis honestisque consiliis, cujusmodi tua confidimus semper futura, Deus, & fortuna & bonorum amor assidue suffragatur. Vale, Carpentoracti X. Cal. Octobris M. D. XXXIX.

EPI-

EPISTOLA CCCXXXIV.

J. SAD. JAC. SIMONETÆ CARD. (a) S. D. *Rom.*

Signandorum libellorum dandorumque judiciorum munere illi delato gaudet; populumque suum Judæorum perfidia vexatum eidem commendat.

JUcundissimæ mihi literæ tuæ: Jucundissimæ solum? immo etiam salutares. Quod enim te salvum mihi & sospitem nuntiarunt, per eas mihi quoque incolumitas est restituta: de quare, & tibi gratulor & mihi gaudeo, Deumque supplex oro, ut te in optimo statu diutissime valere jubeat. In iis quod tuam mihi opem & benevolentiam paratam semper ostendis, jamdiu est cum ego ita judico, neminem me habere neque amicum nec patronum, ad quem fidentius omni meo in negotio, quam ad te ipsum confugere possim. Quanquam facis tu quidem secus, quam cæteri omnes. Alii enim prius pollicentur, quam quicquam præstant; tua benefica liberalisque natura bene mereri ante incipit, deinde etiam verbis benignitatis officia prosequitur. Sed hæc & mihi alias dicta sunt & suis dicentur locis. Curam quam adhibes in convalescendo laudo atque probo, teque vehementer hortor, ut nullum tibi studium sit salute tua potius: quæ ipsa quoque nobis tui amantissimis communis tecum est: & in ea tamen est fons studiorum officiorumque omnium. Signandorum libellorum jus, dandorumque judiciorum, quod ultro tibi a Pontifice Max. delatum sit, non ego miror in hoc factum optimi

(a) V. not. in epist. C. part. I. pag. 391.

optimi Pontificis ; cum ita facere, si suæ sapientiæ constare voluit, fuit necesse. Quis enim te peritior in eo munere sustinendo? quis justior? quis jurisconsultior? Nec tuo commodo gaudeo, res enim plena est solicitudinis & laboris: sed communi hominum utilitati & commoditati gratulor. Ad eum enim hominem ea collata est potestas, qui & sciat & velit jus unicuique suum tribuere. Quare tu quidem eadem & integritate & prudentia hoc munus tractabis, qua cætera solitus es. Sed mihi accidit peropportune, ut quod facturus fueram omnino, nunc propensius faciam: quando & pro amicitia & pro æquitatis patrocinio, quod tibi cum semper antea, tum nunc maxime susceptum est, (siquidem factus es magister æquitatis, qui eras antea fautor) confido fore, ut mei hi abs te populi facilius & melius, quæcumque æqua postularint, consequantur. Quos notum tibi esse arbitror, quanta benevolentia, & quo amoris studio, jam inde ab initio cum Deî voluntate meæ fidei & curæ concrediti fuerunt, amplexus sim, vere ut parentum in liberos charitati mea in illos benevolentia non cedat. Hî ergo nonnullis incommodis publice oppressi, maximeque iniquitate & perfidia vexati Judæorum, quos nimium molestis istinc honoribus privilegiisque insolentes, eorum callida crudelisque avaritia huic hominum generi perniciosos reddit; mittunt legatum ad Urbem a summoque Pontifice & a sede apostolica remedîa suis sanandîs vulneribus quærunt. Quos ego tibî quibus verbis commendem nescio, cum illud te scire velim, multo plus, in eos si beneficia tua contuleris, & si eorum causas ut cognoscas & defendas fueris ad-

ris adductus, quam si in me ipsum eadem contulisses, me tibi devinctum obligatumque futurum, quanquam fortasse non est novæ jam in me obligationi locus. Sed tamen sic habeto. Ex omnibus tuis in me meritis, quæ plurima sunt, hoc me vel imprimis magnum existimaturum. De rebus suis ipsi te edocebunt, meque ita monente, tua imprimis ope auxilioque nitentur. Eos ego tuæ justitiæ fideique commendo. Dedi etiam ad sacrum collegium nostrum super hac re literas, quas tu leges & perpendes, & tuo omnia arbitrio sapientiaque moderabere. Polus amplissimus vir, certe incredibili quadam virtute animi & sanctitate vitæ præstans, totus tibi deditus est, plurimamque tibi reddit salutem. Is in viam se daturus est hodie, aut cras, ut proficiscatur ad vos, cujus ego abeuntis desiderium non sine magna molestia perferam. Vale & me, quod facis, dilige. Carpent. V. Cal. Octobr. M. D. XXXIX.

EPISTOLA CCCXXXV.

J. SAD. GASP. CONTARENO CARD. (a) *Rom.*

Ejus integritati & fidei Avenionensis provinciæ causam contra Judæos commendat.

POlus noster, qui a nobis hinc discessit, ita magnum sui mihi reliquit desiderium, ut a cogitatione & dolore avocare animum non possim.

(a) Vide quæ de eo diximus part. II. in not. ad epist. CCXIX. & CCXXX. pag. 289. & 339. Natus est autem Contarenus Venetiis clara & nobili in primis gente anno 1483. patre Aloysio, Polyxena Maripetria matre. Puerilibus disciplinis domi instructus, ad graviores scientias Pata-

possim. Non solum enim benevolentia erga illum moveor, verùm etiam indignissimæ illius fortunæ misericordia, quæ talem virum tam acerbe opprimit, ut omnino virtuti inimicam se offerre videatur. Sed certe hos non illius tantum privatos, sed publicos Christianæ Reipub. casus, quos principes nostri tam lente ferunt, Deus sibi sumet & providendos & vindicandos, atque utinam non jam cœpisset ulcisci. Ego enim quantum humana ratione affe-

Patavii animum appulit, in quibus adeo excelluit, ut & diserti Oratoris, & eximii Philosophi, & Theologi summi nomen brevi tempore fuerit adeptus. Tantis doctrinæ ornamentis accessit rara quædam morum integritas atque suavitas, qua omnes facile pertrahebat in admirationem ac benevolentiam sui. Itaque statim ac ei Rempublicam capessere per ætatem licuit, ita hominis sapientissimi virtus enituit, ut nondum ætatis annum tertium ac trigesimum egressus, Orator ad Carolum Cæsarem a senatu missus fuerit. Erat tunc Cæsar Venetis iratus, quod Gallis ex fœdere inito suppetias præberent. Quem tamen Contarenus prudentia ac dexteritate sua sic sibi devinxit, ut non modo eo pacato & facili semper fuerit usus, verum etiam benevolo. Cæsarem sequutus, Germaniam, Belgium, Hispaniamque peragravit. In patriam reversus, Senatui primum adscriptus, mox in ordinem sapientum qui continenti Veneto præest cooptatus, anno demum 1527. Concilio principum Italorum Ferrariæ indicto, Reip. nomine interfuit, Venetiasque rediit. Ibi dum muneribus senatoriis obeundis egregiam ac laudabilem patriæ civibusque suis operam præstat, absens & nil tale cogitans, in sacrum Cardinalium ordinem a Paulo III. P.M. relatus est anno 1535. Romam quum venisset, ab eodem Pontifice an. 1541. *Legatus de latere* in Germaniam maximis de rebus missus est. Obiit annos natus LIX. Bononiæ Kal. Septemb. 1542. cui civitati Pont. Max. nomine summo cum imperio præerat. Ejus scripta recenset Papadop. Hist. gymnas. Patavini tom. I. pag. 47.

ne assequi possum, non video quem exitum Principum consilia sint habitura, a quibus utinam aliquando optimus Pontifex noster se emergat. Pro cujus honore & salute excubo animo, gratiamque me illi majorem habere judico, qui de me optime meritus est, si timeam ea quæ accidere multa possunt, quam si præsenti illius fortunæ sim gratulatus. Sed quoniam de his aliud erit loquendi tempus, id quod mihi fuit in scribendo propositum, nunc potius exequar: ut tibi optime & mei amantissime Contarene, meos hosce populos omni studio commendem, in quos ego sum tanta benevolentia affectus, ut parentum charitati erga filios non cedam. Ipsi legatos mittunt ad Urbem, qui de incommodis provinciæ summum Pontificem edoceant, petantque remedia suis rebus necessaria. Præcipue contra Judæos, quorum est dominatus in his locis non ferendus. Nam tot privilegiis istinc muniti sunt, ut plane domini Christianorum sint effecti cum maxima quidem pernicie & tanquam strage horum populorum, e quibus quotidie aliquos cedere bonis & suis laribus familiaribus emigrare cogunt. Quod nationibus finitimis omnibus, quæ carent prorsus hac Judæorum peste & mirabile videtur in Sedis apostolicæ imperio, & non sine gravi infamia nostra est divulgatum. Sed ego singula non colligam. Statum & salutem hujus provinciæ, tuæ fidei, integritati, justitiæque commendo, ut faveas, ut suffragere, ut te apud summum Pontificem interponas, quo ea quæ honeste petierint, facile etiam consequantur. In quo quam gratum mihi sis facturus, ne conabor quidem tibi exponere, cum tu id per te satis cognos-

cognosse queas. Tuum equidem amorem, studium, diligentiam, si alia ulla in re, in hac permaxime flagito. Verum pluribus apud te uti rebus, nostræ fortassis conjunctissimæ necessitudini non convenit. Quare heic finem faciam, de te id semper optans atque sperans, quod mihi ipsi sumo quantum possum, ut reposita omni in Deo nostrarum rerum spe, læto & jucundo animo vitam traducamus. Vale amplissime & mihi charissime Contarene etiam atque etiam vale. Carpent. Prid. Non. Octob. M. D. XXXIX.

EPISTOLA CCCXXXVI.

JAC. SAD. ASCANIO SFORTIÆ CARD.(a) *Rom.*

Idem argumentum.

Cum tantum in te habeam fidei, quantum & tua præsens probitas & ad omnem egregiam ac præstantem magni hominis facultatem

(a) Guido Ascanius Sfortia Romanus ortus an. 1518. VII. Kal. Decembr. patre Bosio S. Floræ comite, Constantia Farnesia matre, adolescens adhuc an. 1534. a Paulo III. Pont. Max. in sacrum purpuratorum patrum senatum relatus est, & *Cardinalis S. Floræ* vulgo dictus. Ac primum quidem Ecclesias Anglonensem, Montis Flasconis & Cornetanam, Clusinam ac Parmensem administrandas obtinuit, mox Patriarchæ Alexandrini dignitate auctus, ac Bononiæ Æmiliæque summo cum imperio præfectus, postea S. R. E. Camerarius electus, in Pannoniam demum ad bellum contra Turcas ab eodem Pontifice Paulo missus, in tot gravissimis muneribus obeundis ita se gessit, ut excitatam jam apud omnes prudentiæ ac integritatis opinionem non modo sustinuerit, sed etiam longe superaverit. Obiit in Cremonensi territorio nonis Octobris an. 1564. ætat. suæ XLV. ejus cineres Romam translatæ, eleganti marmoreo tumulo Alexandri fratris jussu conditæ sunt in Basilica Liberiana.

tem expectata virtus habere me hortatur, egoque pro amore & observantia qua te prosequor non me indignum ducam, cujus tu aliquam habeas & honoris & voluntatis rationem; his de causis adductus suscipio onus populos hosce meos tuæ amplitudini commendandi. Quos ego quidem vere paterna benevolentia complector, proque eorum salute & commodis laboro, etiam aliquanto acrius, quam pro meis. Sed sine vobis, hoc est, sine avo tuo optimo & sapientissimo Principe, & sine tua apud eum authoritate & gratia, parum ipse per me prodesse illis possum. Ita confugiam ad vos necesse est, quos tamen non dubito fore ad omnia quæ æqua postulabuntur paratissimos. Atque hi quidem populi legatos ad Urbem mittunt, qui advocatis sibi peritis isthic rerum, Pontificem edoceant, quibus maxime rebus nunc egeat provincia. Quæ quidem nullum gravius incommodum patitur, quam ex Judæis, qui maxime privilegiis, concessionibus, beneficiisque muniti, graviter heic vexant & populantur Christianos. Neque solum cladem & miseriam his populis afferunt, sed apud transalpinas etiam nationes ordini nostro & nomini infamiam non mediocrem, quod te ipsum ignorare certo scio. Non enim ingenua tua mens & voluntas bonitate prædita, hanc tantam iniquitatem ullo pacto ferret. Sed tamen quoniam tuum nomen in diplomatis præscribitur, tuque videris esse indignæ hujus rei author; non putavi alienum a fide mea, eoque officio quod tibi debere me intelligo, facere te de his rebus certiorem, teque vel monere pro ætate, vel rogare pro summa mea in te observantia, ut hæc animadverteres, haberesque

resque existimationis, & famæ ac dignitatis tuæ rationem, nec tuum nomen in re tam inhonesta interponi fineres. Nam quid est turpius, quam tantopere suffragari Judæis, idque contra Christianos; & eorum causa, jus, æquitatem, vinculum religionis, pauperum injurias, calamitatesque negligere? Cum præsertim pateat omnibus, & perspicuum sit, quid sit, quod Judæos efficiat tam valde gratiosos. Ego, qui tuæ laudi tantum faveo, ut non plus certe meæ, quique & spero ipse de te, & cæteris sum author eadem sperandi, nos te in nostro Collegio & amplissimo ordine, magnum & gravem virum & omni præstantem authoritate visuros esse, cupio ea abs te jaci juventæ tuæ fundamenta, super quibus postea ampla dignitatis moles extrui possit. Quapropter hoc animo fretus & liberius hæc ad te scripsi, & tamen non dubito te in optimam partem omnia accepturum esse. Extremum est, ut te orem, ut horum meorum populorum commodis & saluti tua benignitate & gratia faveas & suffragere, quod mihi a te futurum est rerum omnium gratissimum. Præstantissimæ omnium fœminarum matri tuæ, quam ego in summo honore habeo, ac mirifice colo, plurimam quæso dic meis verbis salutem. Vale Carpent. Prid. Non. Oct. M.D.XXXIX.



EPI-

EPISTOLA CCCXXXVII.

J. SAD. ALEXAN. CÆSARINO CARD. (a) *Rom.*

Idem argumentum.

NOn sum ausus dare ad te antehac quicquam literarum, quod cum res non esset ulla digna quæ scriberetur, inanem sermonem literarum tibi injucundum fore putavi Etsi me quidem ad scribendum sæpius stimulabant cum mea insignis erga te observantia simul & benevolentia, tum illud judicium quod

(a) Alexandrum Cæsarinum ab origine ultima nobilissimæ stirpis Romanæ generatum, adhuc adolescentem tum ob excellens ac præclarum ingenium, tum etiam ad familiæ optime de Rep. meritæ dignitatem augendam instaurandamque, in sacrum Purpuratorum Patrum senatum Leo X. cooptavit. Et sane multæ ab eo res memoria dignæ, gestæ narrantur. Nam & post obitum Leonis X. Hadriano VI. qui in Hispania morabatur, Pont. Maximo renunciato, a S. R. E. Cardinalium Collegio Cæsaraugustam missus est, ut illum sacri senatus & populi Romani nomine ad Romanum iter quam primum suscipiendum inflammaret, & direpta subsequentibus temporibus a Cæsarianis Urbe Clemente VII. P. M., iisdem datus est obses. Præcipue vero Cæsarinus Card. Paulo III. imperante egregiam Apostolicæ sedi operam navavit. Ab eo enim Pontifice Legatus ad Carolum Cæsarem semel atque iterum missus, atque una cum Campegio & Grimano Cardinalibus censuræ officialium, ut ajunt, ditionis Ecclesiasticæ præfectus, tantam suæ fidei, prudentiæ, dexteritatis, eruditionis opinionem apud sapientissimum illum Pontificem excitavit, ut instituto deinde ab eodem cœtu præstantissimorum Cardinalium pro rebus ad Concilium proxime Tridenti conventurum spectantibus, Cæsarinum interesse voluerit. Obiit die XIII. Februarii 1542. Vide Ciacconii opus tom. 3. col. 396.

quod ego de tuis eximiis virtutibus præclarum jampridem feci, posteaquam cognoscere cœpi in senatu tuis audiendis notandisque sententiis, quæ tua esset in Christiana Repub. mens, quam rectus sensus; ut prudens, & apta consiliis explicandis, ex tuo ore manaret oratio. Verum, ut dixi, veritus occupationem & gravitatem tuam, nihil adhuc ad te scripsi. Nunc cum & magna res mea agatur, (siquidem nihil mihi ab his populis qui in fide mea sunt, esse disjunctum potest) & in tua non solum authoritate & gratia, quam ego permagni facio, verum humanitate etiam & bonitate, magnam mihi spem habeam propositam ea consequendi, quæ huic provinciæ salutaria esse possint, constitui scribere ad te, & tibi vel imprimis causam populorum meorum commendare, omni te animi studio deprecans, ut quanquam mea erga te merita nulla admodum sint, quæ cuperem equidem permulta esse, quo meum erga te studium atque animum cognoscere potuisses, tu tamen nobilitate & liberalitate naturæ tuæ adductus, suscipias horum patrocinium populorum, atque in eis rebus obtinendis, quas ipsi justas honestasque petierint fautorem illis & patronum apud summum Pontificem præbeas. In quo non mihi solum rem gratissimam feceris, hancque tibi gentem in perpetuum obligaris, sed consules etiam officio & dignitati tuæ. Nam & nobilitatis est, plurimos homines beneficiis comprehendere, & horum populorum in istam sanctam apostolicam sedem ea est fides tamque insignis constansque obedientia, ut non videam qui illis in hoc genere virtutis & fidelitatis pares habendi sint. Itaque quicquid illis datur, id

sedi Apostolicæ & ecclesiasticæ authoritati datur. Quapropter eos tuæ etiam atque etiam fidei, benignitati, sapientiæque commendo. Quid postulent, & quas querimonias deferant, ipsi te per legatum & suarum rerum actorem edocebunt. Nec tamen graviore malo premuntur, quam Judæorum, qui, incredibile est, quantis & quam variis hanc totam provinciam damnis injuriisque afficiant. Quos ita ferre, vel ita fovere potius, non solum his plebibus perniciosum est, sed nomini etiam nostro apud transalpinas nationes turpe. Verum tu hæc melius pro tua summa prudentia considerabis. Ego pro officio meo, & quod hos populos vere paterna charitate complector, tantum capio de commodis & rebus eorum omnibus curam, ut majorem certe de meis capere non possim. Quo etiam majus tuum erga me hoc beneficium futurum est, quam si pro me ipso aliquid laborasses, cum horum hominum susceperis defensionem, quorum mihi salus & tranquillitas in intimo corde penitus infixa est. De hac eadem re dedi ad sacrum collegium nostrum literas, quas tecum jussi antea communicari, ut cum indicasses reddendas, tum redderentur. Vale amplissime Cæsarine, & mei absentis tibique deditissimi, res (ut quam præcipue decet nobilitatem) tibi habe commendatas. Iterum & sæpius vale. Carpentoracti, Pridie Non. Octob. M. D. XXXIX.

EPI-

EPISTOLA CCCXXXVIII.

JACOBUS SADOLETUS CARDINALIS Francisco Quignonio Card. S. Crucis (a) *Rom.*

Huic suadenti reditum ad Vrbem, absentiæ suæ causas exponit, illiusque fidei & æquitati populum suum a Judæis vexatum commendat.

QUas postremas accepi a te literas, eis non respondi, quoniam tu ex Urbe per æstatem in alia loca salubriora secesseras, quod mihi idem facere fuit necesse. Et sane ipsis in caloribus difficilis esse solet scribendi & quippiam accuratius agendi ratio. Nunc æstate

G 2 exa-

(a) Franciscus Quignonius Hispanus nobili genere natus, adolescens Franciscanæ familiæ nomen dedit. In ea ita vixit, ut non modo universis illius disciplinæ alumnis, sed ipso etiam Carolo Cæsari merito esset charissimus; cui præterea reatus confitenti, aures præbuisse dicitur. Nam præter summam morum comitatem vitæque innocentiam, qua omnes facile raperet in amorem sui, satis habebat eloquentiæ, magnam cum juris Pontificii, tum rerum divinarum prudentiam. Itaque celeriter ad honores pervenit. Primum supremus sui ordinis moderator Burgis renuntiatus est an. 1522. Inde Romam ab eodem Cæsare ad Clementem VII. maximis de rebus missus, sic Pontificis illius benevolentiam sibi conciliavit, ut eum paullo post Cardinalium senatui adscripserit: adeo vero Cæsar (ad quem Clementis nomine redierat) Quignonii probitate prudentiaque delectatus est, ut ei Canauriensis in Hisp. Ecclesiæ Episcopatum deferendum curaverit. His dignitatibus auctus, ad Breviarium Romanum recensendum contexendumque animum appulit: quod postea Pauli III. jussu Romæ typis editum est an. 1536. Obiit Verulis in Latio mense Octob. an. 1540. sepultusque est Romæ ad S. Crucis in Hierus. Vid. Oldoinium in Ciac. op. tom. 3, col. 496.

exacta, cum frigidiora tempora etiam maturius aliquanto advenerint, quam soleant, egoque ad intermissa mea studia reverti cogitem, nihil mihi prius faciendum putavi, quam ut ad te darem literas, primumque gratias agerem de omni significatione tuæ erga me voluntatis, quam ego mihi benevolam pluribus in rebus jam expertus sum: quas quidem tibi & habeo & ago maximas. Deinde etiam tibi amantissime suadenti, ut aliquando ad Urbem me referrem, eas dicerem caussas, quæ me heic retineant; ut neque tuo prudentissimo consilio, neque meæ tibi obtemperandi voluntati satisfacere tam cito possim. Nam cum mea istic præsentia aut nullius omnino, aut parvi certe momenti in rebus publicis sit; eadem heic his populis non solum commoda est, verum etiam salutaris. Quod enim vel ad veram religionis normam, vel ad pacem concordiamque inter ipsos pertinet, non leve habet pondus mea apud eos hortatio & authoritas. Deinde multa alia sunt pastoris boni officia, quæ heic præsens melius quam absens exequi possum, imprimisque hac charitate annonæ, cum impendere fames videatur, compluribus egenis ferre opem potero, quod si Romæ essem facere certe non possem. Vectigalia enim Ecclesiæ meæ, quæ per sese magna non sunt, dabunt tamen heic mihi aliquid ad aliis subveniendum facultatis, quæ, si in Urbe domicilium haberem, ne meæ quidem ipsius familiæ necessitati sufficerent. Quod etiam ipsum per se considerandum est, quomodo Romæ in hoc tanto honore, sine idoneis vitæ adjumentis, quæ in re familiari & vectigalibus annuis posita sunt, retineri dignitas possit, præsertim cum alienis opibus

bus vivere prorsus indignum ducam. Hæc me Pater amplissime, & optime adhuc heic detinent. Nec tamen hæc cum ego narro, ambio, aut flagito a quopiam quicquam, non enim meus hic mos, nec mea unquam flagitatrix fuit natura; sed ejus fortunis quæcunque ad manum sint, bene & liberaliter uti, semper magis proprium viri esse existimavi. Pontificem porro maximum, cui me totum & debeo, & jamdudum tradidi, video ipsum carere hac distribuendi ecclesiastica vectigalia facultate, principibus omnia ad suum arbitrium trahentibus, quibus me subiicere, & ad eorum accedere fores, consilium non est. Nec tamen ita urgeor cupiditate habendi, ut non hoc statu, in quo sum, possim esse contentus. Vivo enim inter hos populos & diligens eos patria châritate; & (ut videre mihi videor) ab eisdem etiam dilectus. Quæ amoris mutui consensio vitam beatam facit, præsertim cum est ad Deum, & ad summum bonum relata. Quos ego nunc populos tuæ commendem fidei, justitiæ, integritati est necesse. Illi enim ad Urbem nuntium mittunt, quo doceant summum Pontificem de incommodis provinciæ, quibus illa premitur. Eos igitur tuæ æquitati & sapientiæ ita trado atque commendo, ut majore animi studio commendare non possim. Quicquid certe in illos beneficii, patrocinii, auxilii, contuleris, id mihi sic futurum est gratum, ut ex tuis plurimis erga me meritis, hoc vel maximum semper omnium sim judicaturus. Vale. Carpentoracti, Prid. Non. Octob. M. D. XXXIX.

EPISTOLA CCCXXXIX.

JACOBUS SADOLETUS CARDINALIS Franc. Fregepani Ungharo Ep. Agriensi (a) S.

Accepto nuncio de confirmatione Ecclesiarum, ei comprobatum honorem denuo gratulatur: Marsupini in rebus urbanis scribendis diligentiam & humanitatem laudat. Postremo illi & Broderico, cum Romæ fuerit, suum auxilium pollicetur.

ACcepi tuas literas datas Vieñæ extremo mense Junio, ad me Septembri ineunte perlatas. Ex quibus cognovi quod mihi fuit jucundissimum, te recte valere & apud Regem Romanorum esse Reipub. causa, accepisseque optatum nuntium de confirmatione vestrarum Ecclesiarum. Quæ diu ante debita, aliquot de causis dilata, postremo tandem a summo Pontifice facta est. Qua etiam ego de re dederam ad te literas, quas te accepisse postea arbitror, & meam de omnibus tuis commodis lætitiam ex eis cognovisse. Etenim noli existimare optime Francisce, quicquam mihi posse evenire optatius, quam audire tales viros ad gubernacula Ecclesiarum deligi, & vocari; qui tantum onus & consilio regere & virtute tueri & religione ac pietate illustrare etiam possint. Cujus quidem generis hominum quæ sit penuria his afflictis temporibus, utinam potius privatis incommodis nostris, quam publicis calamitatibus sentiremus. Sed de his viderit Deus,

(a) De eo diximus in not. ad epist. CCCXXVII. pag. XVI. hujus tertiæ partis.

Deus, quem tantum orare atque obsecrare reliquum nobis factum est. Quid autem geratur, quid paretur, quo tantis damnis eatur obviam, nihil dum cernimus. Sed ut ad propositum redeam, ego honorem tibi delatum vel comprobatum, potius & tibi honestum & Reipub. Christianæ utilem esse foreque non dubito. Mihi quidem certe, qui te vehementer diligo, proboque, jucundissimum. Qua eadem in causa Broderico etiam nostro gratulor, a quo habeo literas, quibus ille a me quiddam petit, nimirum Romæ me nunc esse suspicans. At ego nondum de Ecclesia mea decessi, ubi multas habeo commorandi causas, nullam adhuc alio me conferendi. Quod si Romæ fuissem & vobis id significassem, & nullum meum officium, quod ad vos quidem pertineret, desiderari essem passus. Nunc absens, id quod queo, vos absentes amo. Ubi proficiscar ad Urbem, omnes meæ & operæ & diligentiæ fructus, vobis imprimis promptos atque expositos esse intelligetis. Joannes Marsupinus tuus plane mihi satisfacit, est enim in scribendis ad me rebus urbanis admodum diligens. Idem tibi apud me maximas sæpe agit gratias, tuæque erga se benevolentiæ & liberalitatis complura jam indicia non desinit prædicare. Quæ mihi quoque ipsi grata sunt, eaque ut persequare, a te vehementer peto. De rebus Turcicis nihil habeo quod placeat mihi ad te nunc scribere. Tu quo propior illis es, hoc melius nosse omnia potes. Nos illud timemus (in quo utinam fallamur) ne jam de nobis ac Christiano nomine actum pene sit, ita laboramus intestinis externisque malis, nec quicquam firmi auxilii paratum nobis esse ulla ex parte cernimus, nisi

quo in Deo uno sunt omnia. Sed hæc hactenus. Vina Gallicana te interdum optare, suave admodum mihi est intelligere ex tuis literis. Quod longe esset suavius, si te illorum possem facere participem. Non enim mihi bibere illa tam foret jucundum, quam tecum bibere. Quod forsitan Romæ aliquando licebit utrique nostrum. Regi tuo optimo, & clarissimo Principi plurimam meis verbis salutem dic. Vale. Carp. IIII. Id. Octob. M.D.XXXIX.

EPISTOLA CCCXL.

JAC. SAD. CARD. JOANNI COCHLAEO S.P.D. (a)

Cum literæ suæ ad illum non fuissent allatæ quibus Georgii Ducis obitum ploraverat, & Cochlæo facultates suas omnes obtulerat, de eadem re has accuratius scribit.

DOlore non parvo affectus ex tuis literis, quas abs te mense Augusto datas, ego VI. Idus Novemb. accepi, statim has ad te scripsi non sine aliqua adversus fortunam querela. Quod cum jam antea tibi & illi præstantissimo Duci Georgio de mea ad Germanos oratione non vulganda rescripsissem; deinde ex binis literis tuis primum de obitu filii, deinde de ipsius etiam morte certior factus, tibi quoque tum respondissem (b) illius religiosissimi Principis obitum, & simul Reip. Christianæ calamitatem deplorans, intelligo nihil mearum ad te literarum allatum fuisse, cum tamen absens adhuc & in Ecclesia mea manens Carpent., meis qui in Urbe sunt, præcepissem ut omnes meas de te literas

pen

(a) Vid. notas in epist. CCCV. p. 32.
(b) Epist. sc. CCCXXVI. p. 108. hujus partis.

per Ambrosium Theutonem, quem tu mihi nominas in literis, ad te mittendas curarent, quod ita factum esse ab illis non dubito. Sed fortuna profecto mihi mœrorem renovare voluit, quem ex Georgii optimi & sanctissimi Principis morte acceperam, cujus mihi mentio & nomen ita hæret in intimis sensibus, ut nunquam Deo pro mortuis supplicem, quin illum nominatim & imprimis divinæ misericordiæ commendem. Sed hæc quæ ad privatum officium pertinent, non tam nobis commemoranda, quam præstanda sunt. De te mi Cochlæe velim hoc tibi maxime persuadeas, eam me suscipere cogitationem, quam frater de fratre suscipere solitus est. Amo enim te, tum probitatis, religionis, doctrinæque tuæ causa, quam ego magnifacio, tum etiam quod intelligo me abs te amari. Itaque facultates meas, quantulæcunque eæ sunt, omnes tibi libenter defero. Si cætera te deficient, quæ aliunde majora & uberiora expectare potes, digna virtute & laboribus tuis, apud me quidem receptus tibi est, & communicatio fortunarum mearum, quæ etsi pertenues sunt, animis tamen a cupiditatibus liberis, & majoribus virtutis ac literarum subsidiis præditis, exiguæ opes ad bene vivendum sufficiunt. Si Romæ essem, plura polliceri tibi possem, nunc cum sim in his locis, neque illuc (ut nunc est) me conferre cogitem, causis & multis & necessariis adductus; ut Evangelii verbis utar, quod habeo, mi Cochlæe, hoc tibi do. Tu certe nunquam in me nec fidem, nec officium, nec amicitiæ memoriam, nec benevoli hominis animum desiderabis. Julium tuum quem singulariter diligo, cupio tecum omnia habere

prospera. Faveo certe utrique vestrum & vestro proprio & communis religionis nomine. Quæ scribis ad me de Ecclesiis istic desertis a cultu Dei; deque concionibus adversariorum nostrorum, periculisque omnibus quæ piis & probis hominibus impendent, ita mihi acerba & luctuosa visa sunt, ut non audeam ea, tanquam vulnera animi mei, verbis refricare. Deum supplex oro, ut aliquando ipse benignioribus oculis nos respiciat; non enim jam ullis nostris in consiliis, sed in eo uno sunt omnia, ad quem spes nostras penitus habere conversas debemus. Vale. Carpentoracti Pridie Idus Novemb. M. D. XXXIX.

EPISTOLA CCCXLI.

J. SAD. HIPPOLYTO ESTENSI CARD. (a) S.P.D.

Majorum suorum & suam in Estensem familiam observantiam commemorans, ei de adepta dignitate gratulatur.

Postequam nuntium accepi de amplificatione dignitatis tuæ, teque in ordinem amplissimum S.R.E. Cardinalium magno omnium con-

(a) Hic ex Alphonso Duce & Lucretia Borgia Ferrariæ ortus IX. Kal. Septembris an. 1509. Lutetiæ Parisiorum ab ineunte ætate versatus est apud Franciscum I. Galliarum regem affinem suum. Hujus precibus in Cardinalium Senatum a Paulo III. cooptatus an. 1538., Ecclesiis Aurelianensi, & Narbonensi in Galliis, Mediolanensi, ac Ferrariensi in Italia summa cum laude præfuit. Pio IV. Pont. Max. primum in Germaniam ad Romanorum regem pro pace, mox in Galliam ab hæreticis vexatam missus, functus est demum Legati Apostolici munere in patrimonio S. Petri. Decessit Romæ IV. Non. Decembris an. 1572. Consule Ciacconii opus tom. 3. col. 650.

consensu cooptatum esse cognovi, tantum cœpi ex isto honore tuo voluptatis, quantum & virtus tua, & mea perennis, ac meorum omnium, ab ultimis usque majoribus, pene nostris in familiam tuam observantia, & fratris tui clarissimi Principis adversus me benevolentia postulat, cujus ego ita multa signa amoris erga me habeo, ut ei me devinctum non mediocriter putem. Maximum porro illud meæ in te observantiæ & voluntatis vinculum, quod sub ditione familiæ vestræ omnes mei fere & nati & educati, neque solum hi qui nunc sunt, verum etiam antea qui fuerunt, & suam ipsi fidem constanter atque integre vobis præstiterunt, & a vobis civilibus sæpe honoribus & præmiis, virtutis causa sunt honestati. Quam ego necessitudinis memoriam & vetustatem sanctissime mihi conservandam esse judico. Atque hujus mei animi cum Alfonsus pater tuus optimus esset testis, si viveret, cujus ego temporibus, quantum salva fide mea mihi licuit, omni in varietate rerum nunquam defui, tum fratrem tuum arbitror non levia mea hujusce voluntatis signa indiciaque perspexisse. Sed hactenus præterita. Nunc quod hujus est temporis, cum tua virtus & nobilitas aditum tibi præstantissimo in honore, ad tuam declarandam animi magnitudinem, eamque voluntatem, quam erga Christianam Rempub. habes, aperuerit, quæ quidem Respub. si alias unquam, hoc cum maxime tempore talibus & viris & subsidiis eget; primum gaudeo, tibi oblatam occasionem, omnibus ostendendi, quo e genere, quaque ex disciplina, hoc est, quibus ex fontibus honoris, virtutis, nobilitatis, ad commendationem hominum famamque proces-

 seris,

feria, deque eo tibi & generi tuo nostræque communi patriæ vehementer gratulor. Deinde polliceor tibi atque confirmo me in tua colenda amplitudine ea semper officia tibi præstiturum, ut nunquam me non tui cupidissimum atque observantissimum sis judicaturus. Et quoniam divino quodam consilio in eandem Reipub. gerendæ societatem ambo vocati sumus, si tu ad capessendam Rempub. senatoriaque munera obeunda dare te volueris, quod tamen imprimis a virtute tua expectatur, estque in nostri ordinis hominibus ab Deo omnipotente præcipue propositum, ut sententiis in senatu dicendis recte & fortiter publicæ saluti consulamus, promitto me tibi in ea ratione gerendi honoris ita assiduum comitem futurum, ut præeunte semper prudentia & virtute tua, te mea quoque societatis & optimæ in Rempub. voluntatis nunquam pœniteat. Vale. Carpentoracti M. D. XXXIX.

EPISTOLA CCCXLII.

JAC. SAD. JOANNI SALVIATO CARD. (a) S.D.

Mittit ei operis sui de extructione catholicæ Ecclesiæ librum eumque orat ut illud postea Contareno legendum tradat.

NE me forte putes tui oblitum esse, & quoniam de gloria librum, quem tuo nomine scribendum susceperam, non sum persequutus, in alias me curas & cogitationes remotas a nostræ amicitiæ memoria adversum esse; accipe argumentum multo gravius (ut ego arbitror) & utriusque nostrum personæ acco-

(a) De eo vide not. in epist. LXXVIII. parte I. p. 217.

accomodatius, quod ego de extructione catholicæ Ecclesiæ exorsus sum (a), tuoque id nomini dicavi, ut quoquo modo possem, tuis erga me meritis gratiam aliquam referrem. Hujus ego operis duos jam libros confeci, sed cum prior liber aliquanto videretur esse limatior, non duxi procrastinandum, quin mitterem eum ad te, ut perspicere primo quoque tempore posses Salviate amplissime, quam in intimis meis sensibus fortiter inhæreres. Videbantur duo adhuc restare libri, quos ut absolvam atque perficiam, maximæ quidem mihi curæ est. Sed omnino magnitudine rerum impediebatur vis ingenii nostra, etsi animo quidem sumus alacres, sed copiis haud ita firmi. Est autem quod Deo habeatur a nobis gratia, quod hoc otium, quod oblatum fuit nobis quasi fortuito, ita fuit expetendum, ut nobis divina quadam forte donatum fuisse videatur, quo in hisce curis, & splendidissimis (ut ego judico) animi mentisque agitationibus, traducere tempus possemus. Quanquam non desunt in hac quoque licet exigua meæ ecclesiasticæ Diœcesis procuratione, occasiones honestissimæ, quæ virtutem, prudentiamque requirant, quam utinam nos præstare sic possemus, ut ea & sæpe a nobis & vehementer exquiritur. Sed tamen cum illam animi jucunditatem, quæ ex recte factis suavissima percipitur; præcipue nobis propositam habeamus, Deo bonis (ut scribitur) mentibus occurrente, nihil est quod non illius ope & auxilio freti in

(a) Consule quæ de hoc opere diximus in commentario ad Sadoleti vitam a Florebello descriptam ac Pontificiis epistolis præfixam pag. LXXXIII. & seq.

in nostro munere obeundo & suscipere posse & agere confidamus. Quod ad studia bonarum artium pertinet, quandoquidem nec mihi in otio consenescendi consilium est, & nihil nunc præstantius propositum est quod agamus, potes, existimare, Salviate, me & diurnis & nocturnis lucubrationibus ac vigiliis assiduam operam daturum esse, quo laboranti Chistianæ Reipub. si non subsidium per me, repugnantibus temporibus, at subveniendi tamen cupiditas & boni Sacerdotis officium præsto esse videatur. In quo duplicem assequar fructum. Nam & religioni præstabo pietatem quam debeo, & multorum a me insignium præstantiumque virorum, quorum mihi & virtus & dignitas est cordi, nomen ac memoria literis mandabitur. Verum hæc posterius. Illud te rogo, ut cum liber satis apud te fuisse videbitur, Romam postea ad Contarenum nostrum remittas, ad quem ego hac de re scribo, ut ibi quoque tanti viri gravitate & scientia & eorum quos ille adhibuerit judicio diutius perpendi & omni ex parte excuti diligenter possit. Quandoquidem quæ de religione scripta sunt non erratis solum, sed etiam omni vel minima errorum suspicione carere debent. In quo nos libenter doctorum hominum judicia reprehensionesque subire semper parati sumus. Tu valebis, optime Salviate, & nos quod facis diliges. Carpent. V. Idus Decembris M. D. XXXIX.

EPI-

EPISTOLA CCCXLIII.

REGINALDUS POLUS CARDINALIS (a)

Jac. Sadoleto S. R. E. Cardinali, *Carpentoract.*

Dolet de Simoneti Card. morte & a viginti diebus ait se Veronæ morari, suorumque erga Sadoletum officiorum memor, Paulum ceterosque illius nepotes salvere jubet.

CUM per se Cardinalis Simoneti mors dolorem omnibus afferre debet, nostri præsertim ordinis hominibus, cujus ille ornamen-

(a) Vide quæ de Reginaldo Polo Cardinale diximus in not. ad epist. CLXXIV. parte I. & ad epist. CCCXVIII. part. III. pag. 65. & 66. Natus est autem Londini an. 1500. mense Martio. Patrem habuit Richardum Henrici VIII. Britanniæ regis consobrinum, matrem Margaritam Georgii Clarentiæ Ducis filiam, neptem Eduardi IV. regis lectissimam fœminam. Optimis & disciplinis & moribus domi imbutus, eloquentiæ ac Philosophiæ in Oxoniensi Academia operam dedit. Adolescentulus in Italiam profectus, ac Patavii quinquennio commoratus, optimarum artium studiis Græcisque litteris impensius incubuit, usus contubernio ac familiaritate, hominum ea ætate doctissimorum, quo in numero fuerunt Christophorus Longolius, Petrus Bembus, Jac. Sadoletus, quos consuetudine sua sic sibi devinxit, ut nemo iis perpetuo fuerit carior. Revocatus a suis, in patriam remigravit, anno, opinor, 1526. Interea Henricus rex insano quodam amore abreptus, omnia divina ac humana jure pervertere cœpit, ut Catharina uxore repudiata, novis Bolonæ meretriculæ nuptiis domum vacuam faceret. Itaque imminentes Angliæ tempestates prospiciens Polus, neque facultatem sibi dari in patria vivendi quia regis animum offenderet, idoneum tempus ratus studiis obsequendi suis, in Galliam pri-

mentum quoddam singulare habebatur, & erat; tum vero mihi eo majorem attulit, quo magis ex tuis crebris sermonibus, cum libenter de illo amplissimo viro loqui soleres, & virtutes ejus certius videbar perspexisse, & præcipuo quodam amicitiæ vinculo tibi conjunctum esse. Quare partim collegii nostri causa, partim tua, habeo, quod magnopere doleam de talis viri obitu. Utriusque vero ea consolatio occurrit, quæ potissima semper est in hujusmodi virorum morte, præsertim, si non tam nostra, quam illos vere amamus, quoties scilicet id in mentem venit, quo tandem ex hac, non vita, sed miseria liberatum, eum anteactæ vitæ pietatisque cursus sit conducturus: de hoc vero

---

primum, mox Patavium se contulit. Ibi præclaros illos pro ecclesiastica unitate libros quum edidisset a Paulo III. Romam accersitus, XI. Kal. Jan. an. 1536. Cardinalis factus est. Eo honore cumulatus, primum Galliam, Belgium atque Hispaniam Pontificis nomine peragravit, mox Tridentino Concilio Apostolicæ Sedis Legatus interfuit. Paulo III. e vivis erepto, eum non Cardinalium discrepantia suffragia, sed sua ipsius moderatio Romano Pontificatu abstinuit. Tranquillatis Anglicis rebus, ac Maria Britanniæ regina Philippo Caroli Cæs. filio in matrimonium conjuncta, an. 1554. Legati Apostolici titulo, in patriam remigravit. Quid ibi Polus egerit, quave ratione florentissimum illud regnum ad Ecclesiæ Romanæ unitatem reduxerit, diximus in eo de vita Ant. Florebelli comment. quem Pontificiis Sadoleti epistolis adjunximus. Obiit Polus Londini XV. Kal. Decemb. an. 1558. hora XVI. postquam Maria regina e vita discesserat, sepultusque est Cantuariæ in ecclesia Archiepiscopali, quam paullo ante obtinuerat. Hujus de vita, moribus, scriptisque plura sunt in eo lib. exposita, quem separatim de illo fecit Lud. Beccatellus, ac latio donatum edidit Andreas Dudithius Venet. an. 1563.

vero vix quidem cogito, ut, non sedato protinus omnis doloris sensu, voluntas subeat potius gratulandi. Quid enim hic non gratulatione plenum, si illius bonum spectamus, & pietatem respicimus, cum ereptum nobis audimus? unde enim & a quibus ereptus? nisi ab illis, qui in hac vita miseriis referta, tamquam nautæ in tempestuoso mari a vento, & fluctibus agitato, periculose jactantur; quo autem delatus morte? nisi in eum portum, quo nos votis omnibus multo notiora esse scio, animo vero etiam magis infixa? Sed ignotum tibi meum sensum esse nolui de hujus viri, cum amplissimi, tum tibi amicissimi, morte. Tu vero ut de me scriberem, potius expectabas; hoc enim profecto amor in me tuus non potest non flagitare, non ille solum, quem tot tua officia, quibus me omni eo tempore, quo apud te versabar, pene obruebas, declarabant; sed quem in discessu meo vidi, cum lachrymas tuas vidi. Huic vero, qui curam, & solicitudinem illam patris erga filium præseferebat, fateor ante literis fuisse satisfaciendum. Sed dum eidem plenius satisfacere cupio, dum in dies expecto, ut certius aliquid haberem, quod de meo statu prerscribere possem, quem valde incertum reddiderat illius non satis explicata responsio ad mea postulata, ex cujus arbitrio res meæ pendent, eo factum est, ut meis literis diutius, quam vellem carueris. Quas tamen neque hoc tempore scribo, quasi aliquid certius de eodem allaturus, cum nunquam magis suspensum expectatione, quam hoc tempore, quid ad id respondebitur, quod de meo otio postulo; proximæ, quas Roma accepi, literæ reddidere. Scribo vero nunc ad te ne of-

ficio

ficio desim, si semper aliis de me scribendi negotium dedero, ut hactenus feci, & non ipse potius de me ipso, & statu meo scribam; de quo quidem hoc tempore hoc unum habeo, quod dicam, me in eadem statione manere, quam alteram post hæc naufragia inveni, ubi libenter reficere animum velim, tanquam naviculam tempestatibus conquassatam, cui rei viginti ipsos dies jam totus incubui, non sine magno quidem meo fructu, & voluptate, cum homine, ut scis mihi amicissimo, & tuæ certæ dignitatis observantissimo (a), qui sæpe mecum in suavissimos de te sermones divertit, nomenque tuum quod tibi pro veteri vestra amicitia ignotum esse non debet, ut in amore perpetuo, sic in ore, quod certe sum expertus, libenter habet: ex quo me quoque magis devinctum habet, qui ante ei videbar devinctissimus. Sic enim habeto, cum semper te unice observarem propter summas animi virtutes, & ingenii dotes, atque singularem literarum præstantiam, post suave illud tempus, quod in tua consuetudine traduxi, ita me conjunctum habes, ut nihil sane ad te pertinere possit, quod non ad me quoque pertinere judicem; ita quoties respicio ad illam tuam humanitatem, qua me præsentem es complexus, ad curam, & sollicitudinem de salute mea, ad patrem profecto meum prorsus respicere mihi videor, qui plusquam paternum in me amorem ostendisti. Tu vero, quanto tibi amore, vel pietate potius sim conjunctus, tum demum intelliges, quando aliquid, in quo filii erga patrem pietas elucesce-

(a) Joan. Matthæo Giberto scilicet Episcopo Veronensi., de quo part. I. pag. 170. in not. ad epist. LXV.

cescere possit, mihi oneris, & negotii impones. Sic vero tibi persuadeas, velim, nihil tam grave esse posse ullo in genere, in quo mea opera utilitatibus tuis servire possit, quod pro te susceptum non mihi sit futurum jucundissimum, cujus rei quo sæpius periculum es facturus, eo magis me abs te amari, quo summe delector, semper judicabo. Interim ne, quæso, graveris Paulum tuum sua, tuaque humanitate potius nostrum, alumnum non solum disciplinæ tuæ, sed meo judicio hæredem prorsus, cum doctrinæ, tum summarum virtutum tuarum meis verbis amplexari, qui non illum solum cupio, reliquosque dulcissimos nepotes tuos Sacratum, & Jo. Franciscum præclaræ spei adolescentes, sed universam familiam tuam, & universam, si fieri possit, istam tuam civitatem amplexari; qui quidem omnes mihi in visceribus hærent, quorum fane nunquam possum oblivisci, a quibus tristibus meis temporibus, tanta humanitate sum acceptus. Tum vero demum læta appellabo tempora, cum mihi occasio dabitur, quam maxime cupio, aliqua ex parte illis gratiam referendi, qua in re, si te apud illos pro me sponsorem dederis, & idem tibi de me persuadeas, ea profecto spes te nunquam fallet. Datum Veronæ, Idib. Novemb. M. D. XXXIX. (a)

(a) In cæteris editionibus tempus quo hæc epistola data fuerit desideratur. Nos ex iis, quæ Sadoletus rescripsit in epist. CCCXLV. collegimus, & apposuimus.

EPISTOLA CCCXLIV.

JAC. SAD. CARD. REG. CARD. POLO. *Veronam*

Proxima superiore epistola nondum accepta, de Poli familiarium literis ad Paulum Nepotem datis, deque studiis suis agit.

ERam in expectatione cognoscendi aliquid de te, diutiusque mihi diferri videbar in eo desiderio, quam par esset, quod etiam erat mihi non mediocriter molestum; cum ecce litteræ tuorum ad Paulum, omnem mihi animi metum & sollicitudinem absterserunt. Exhilaratus sum continuo, ubi cognovi, te, & confecisse iter ex sententia, & in eis locis consedisse, in quibus maxime cupiebas; mihi vero scriptum ex Urbe est, eam tibi veniam ut abesse possis usque ad Nataleis festos dies esse datam. Quod sive est ita, sive non est; confido tamen te omnia prudenter & considerate esse facturum. Si quæras quid ego malim, ego mea quidem causa, optarem te Romæ esse (a). Quid enim illic mihi, aut opera, aut patrocinio, aut benevolentia tua opportunius? Sed ego non is sum, qui me potissimum respiciam; amici causa non minus cupere soleo, quam mea. Quare te ibi malo esse, ubi maxime tu vis; erit tamen mihi pergratum, si me, quid statutum habeas, certiorem feceris, & si me diligere perseveraveris, quod ego duplici jure a te peto, vel quia mihi ostendisti te ita facturum, vel quia ego dignus certe sum, qui abs te diligar, qui & ipse in te amando,

---

(a) Et sane IV. non. Decembris hujus an. 1539. Romam Polus remigravit.

do; omnibusque mei cordis cogitationibus complectendo nemini concedo, qui me superior esse possit. Nos heic in studiis assidui sumus, urgemusque magnopere volumen illud, quod de Catholica Ecclesia sumus exorsi. Omnino res permagna, & difficilis est, continetque multas, & præclaras disceptationes. Sed nihil potius est quod agere debeamus. Cur enim si non adhibemur ad præsentem curandam, medicandamque Rempublicam (quæ quam graviter affecta sit, omnibus promptum est cognoscere) non saltem unguenta, & cataplasmata præparemus, quæ aliquibus aliquando curare illius vulnera cupientibus, usui esse possint? Cum etiamsi non eventum, at fructum tamen optatum nostri operis, & laboris apud eum, cui operam damus, & cui deservire cupimus, nostra habitura voluntas sit. Sed hæc hactenus. Ego te in omnes partes valere, incredibiliter cupio, idque ita fore, tua fretus diligentia simul, & temperantia, plane confido; in quo dabis operam, Reginalde optime, ut Reipublicæ & nobis te incolumem custodias. Veronensi nostro (a), cujus utinam Episcopos quam multos similes nostra haberet ætas, plurimam etiam atque etiam meis verbis dices salutem. Item Ludovico (b), & Priulo (c) tuis, qui ambo a me in fratrum loco diligun-

(a) Jo Matthæus Gibertus cujus amicissimi hominis erga se humanitatem & hospitalitatem Polus Veronæ expertus est. Vid. not. in epist. LXV. part. I. pag. 170.

(b) Ludovico Beccatello, de quo diximus in not. ad epist. CCLVII. parte II. pag. 431.

(c) Aloysio Priulo scilicet Patricio Veneto, viro pietate,

liguntur, quibus tu imperabis, si me diliges; ut persæpe ad me de te tuisque rebus omnibus, nec non etiam de suis, literas dare non postmittant, quod mihi gratissimum, & optatissimum, sunt facturi. Vale. Carpentoracti VI. Kal. Decembris M. D. XXXIX.

EPI-

---

tate, ingenio, ac litterarum cognitione præstanti, qui quum Patavii ab anno M. D. XXXII. in arctissimam Reginaldi Poli familiaritatem pervenisset, adeo ejus consuetudine captus est, ut neque ullis honoribus, nec dignitate quæ illi cum in patria sua, in qua summa est ejus familiæ nobilitas atque amplitudo, tum Romæ non semel proposita fuit, ab optimi Cardinalis contubernio potuerit avelli. Nam quum an. 1552. quo tempore senatus Venetus permissu Julii III. Pont. Max. quatuor ex omni civitatis nobilitate patricios nominarat, atque in his Priulum, quorum unum Pontifex Cardinali Durantio qui adhuc vivebat in Episcopatu Brixiensi post ejus mortem successorem futurum declararet; quum, inquam, Pontifex ipsum Priulum delegisset, & quidem summa cum voluntatis suæ ac studii erga illum significatione, maximo etiam virtutis ejus probitatisque testimonio dato; tamen amicorum & consanguineorum precibus ac cohortationibus vix adduci potuit ut assentiret, ob eam in primis caussam, quod si Durantio qui ætate jam prope exacta erat, humanitus aliquid accidisset, sibi Poli consuetudine carendum fore intelligebat, quam omnibus divitiis omnique dignitati facile anteponere solitus erat. Itaque nunquam a Poli latere discessit, sed omnium ejus itinerum, legationum, laborum comes ac socius; studiorum item consiliorom actionumque particeps semper extitit: adeoque viciſſim Polus hominis amicitiam virtutemque fecit, ut fratris semper loco habuerit, ac moriens an. 1558. suarum rerum omnium instituerit hæredem, ejusque arbitrio permiserit, ut cum alia quædam ipsius legata distribueret, tum iis qui se longinquis e partibus sequuti fuerant, id singulis dono daret, quod cujusque diligentiam atque

ANNO M. D. XL.

EPISTOLA CCCXLV.

JAC. SAD. REGINALDO POLO CARD. S. D. *Rom.*

Respondet epistolæ CCCXLIII. & de dilatione Judæorum debitoribus data, de Victoriæ Columnæ literis, & de sua & Pauli Sadoleti valetudine scribit.

QUanquam literæ tuæ, quas Idibus Novembris Verona dedisti, serius ad me allatæ sunt, easque ego ineunte Januario accepi, tamen quoniam in illis tuum nomen, & tua mihi perspecta, eademque semper dulcis, & insignis erga me benevolentia se ostendebat, non illæ semel a me, sed sæpius etiam atque etiam perlectæ sunt; cum te mecum quasi loquen-

---

atque operam promeritam judicaret. At Priulus quum hæreditatem recusasset, neque tamen propterea distribuendorum legatorum onus suscipere nolle dixisset, *rogavit eum Polus* (subdit Dudithius in ejusdem Poli vita) *quod etiam in ipso testamento perscribi voluit, ut aliquam saltem bonorum suorum partem sibi sumeret, quæ tanquam aliquod veteris ac perpetuæ inter ipsos conjunctionis pignus ac monumentum extaret. Hoc ille* (Priolus) *plane renuit, seque jam inde ab initio cum in ejus se familiaritatem contulerat, longe alterius generis bona sequutum esse respondit. Atque ita cum hæres scriptus esset, nihil ex hæreditate capere voluit, præter duos libellos, ex quibus Polus Deum precari solitus erat, Breviarium vocant, & Diurnale.* Reginaldo Polo e vivis erepto anno ut diximus 1558. XVII. Kal. Decembris, Priulus XX. totos menses quibus illi superstes vixit, in colligendis magno labore ejus rebus, quæ variis in locis disjectæ erant, & in illis summa cum fide distribuendis consumpsit. Obiit enim an. 1560. mense Julio.

quentem in illis viderer audire, tuamque illam mihi non ignotam virtutem, humanitatem comitatem, in eisdem recognoscerem. Qua dum frui mihi fuit licitum, quamdiu videlicet mecum in his locis commoratus es, nihil meæ felicitati deesse existimabam. Nunc absentem ita animo requiro, ut in magno dolore diremptæ suavissimæ consuetudinis nostræ, tui tamen nominis memoria & recordatio mutui nostri amoris, magnopere me sustentet. Atque ego quidem post discessum tuum cum sollicito diutius animo nuntium de te expectans, tandem aliquando literis tuorum, quas Paulus acceperat, certior factus essem, te in eum locum, quo maxime optaras, hoc est Veronam, & ad utriusque nostrum hominem amantissimum, ipsumque dignissimum qui ab omnibus nostris ametur, Episcopum Veronensem, tuto pervenisse, statim exhilaratus animo, literas ad te dedi, quas tardius suspicor ad te fuisse perlatas, aut ne perlatas quidem (a). Siquidem habeo Roma sat recentes, in quibus fasciculi nostri mentio nulla fit, cum tamen dierum ratio aperte indicat, literarum reddendarum tempus jam præteriisse. Sed quicquid acciderit de literis, non est in chartis, neque in atramento positus noster amor, sed in cordibus utriusque nostrum, non tam inscriptus ille quidem, quam inustus, ut deleri non possit. Quod quoniam neutri nostrum de altero potest esse dubium, hujus sane rei commemoratione omissa, ad ea quæ sunt hujus temporis veniamus. Quanquam quod Simonetæ nostri mortem in tuis literis defles, nihil facis alienum huma-

(a) Loquitur heic de epistola CCCXLIV.

humanitate tua, planeque ego agnosco quantum mihi in eo tribuas. Scio enim te mea imprimis causa, illius summi viri casum ægre ferre, quem mihi amicissimum & tu esse intellexeras, & ego re ipsa quotidie experiebar. Sed etsi tu rationes affers, quare minus dolendum nobis sit, egoque & sapientiæ & authoritati tuæ assentior, tamen illud efficere non possum, ut meo arbitratu dolori moderer. Non sum equidem ita institutus, sed ita sum natus, ut quos amare semel cœpi (quod multis de causis sæpe accidit, præcipue autem eam ob causam, cum me amari intelligo mutuò) eorum amissionem molestius feram, quam videatur hominis in rebus fortuitis multum exercitata ratio postulare. Quamobrem facere non possum, quin desiderem illum mortuum, multisque & magnis illius officiis virtutibusque privatus, non incommodum meum lugeo (est enim id degeneris animi) sed familiaritatem hominis, sed integritatem, sed fidem constantiamque amicitiæ, quam ille mihi cumulatissime præstabat, vehementius requiro: quod absque dolore animi fieri non potest. Ut enim illi nihil evenerit mali, quod quidem ita esse persuasus sum, cum audio eum cum sua pietate, tum Dei fretum bonitate & clementia, non solum alacriter, verum etiam libenter e vita excessisse, habet tamen amor aculeos quosdam, quos difficillime vitare viri boni possunt, qui me pungunt & stimulant, & in recordatione faciunt dolorem. Sed opinor his nos modum constituemus; Simonetæ memoriam & nobis ipsi servabimus, & in precationibus eam Deo subjiciemus, quod unicum jam est fidelis nostræ amicitiæ officium. De te ipso, mi Pole, quod Romam salvus per-

veneris, quod ipso primo in introitu in duc lumina nostri ordinis incideris Contarenum & Bembum, quod fueris ab optimis, amicissimis, præstantissimisque hominibus summa cum lætitia & hilaritate acceptus, & gratulor tib & mihi plurimum gaudeo. Videor enim mihi quasi vobiscum una adfuisse. Etenim quic tandem interest, utrum gaudeas ipse, ar lætantibus amicis simul gaudeas? quin majoi etiam (meo judicio) voluptas est, gauder gaudium amicorum, quam suum. Siquiden ubi plus officii sit, ibi major esse animi lætitia solet. Vos ergo inter vos congressu complexuque vestro, ego absens auditu vestræ jucundissimæ congressionis lætatus sum. Si tamen ego absens, qui & ipse per me suspicor, & ex tuorum literis intelligo, plurimum vobi inter vos sermonem de me fuisse, cum in or trium optimorum atque omnis pene memoriæ honore, ingenio, innocentia, doctrina ornatissimorum hominum, meum nomen versaretur Quos ego jure jamdudum tres elegi, in quibu mea studia omnia & officia collocarem, quo haberem in amore & in observantia omni eximios. Heic est tibi Pole videndum, ne quo in literis tuis facis, ut mea erga te officia verbis magis augeas, quam illa merita sunt, facias idem apud alios; ne ea in te, quæ cæteri in rebus abundat, in hac re una duntaxat prudentia requiratur. Quid enim ego egi, quod si vel minima laude dignum, aut quod non tib multo majus a me officiosiusque deberetur? S communia quædam officia, quæ in mediocre etiam homines conferri solita sunt, in unum omnium præstantissimum virtute, nobilitate, dignitate contuli; idcircone videbor magnum, qui egis

egisse, quodque tu tam gratis & amantibus verbis prosequaris? Imo ego qui te certe amo coloque mirabiliter, rusticitatis tamen me ipsum condemno, quod nescivi quemadmodum voluissem, & quemadmodum tua excellens dignitas postulabat, benevolentiam in te meam tibi declarare. Quare cum tua commemoratio meorum erga te officiorum ruborem mihi potius incutiat, quam ullam afferat causam, in hoc genere quidem, bene de me ipso existimandi, quæso obtestorque, ut conservato inter nos necessitudinis vinculo, quo ad æternam (ut ego statuo) amicitiam & benevolentiam conjuncti sumus, reliqua alter alterius officia, non tam efferamus verbis nos quidem, quam cum opus erit, mutuo requiramus. In quo tuæ semper partes ampliores futuræ sunt & gratificandi & beneficiis afficiendi, cum non ego solum, sed mei hi populi omnes, in tua ope, authoritate, patrocinio, magnam spei suæ partem repositam habeant. Quicquid porro meis commodatur, mihi certe commodatur, qui illorum causa nunc cum maxime laboro. Etenim ut tu scias, dilatio data debitoribus Judæorum, cujus tu vel imprimis extitisti auctor, ad exitum jam adducta est, neque quicquam ultra jam in expectatione est, nisi ut secundum hoc biduum compleatur carcer hominum miserorum, & ad solvendum impotentium, durissimo tempore anni, annona charissima, pauperibus pessime affectis. In quo magnus quamplurimis luctus, mihi animi dolor paratus est, cum tamen interea actorem Provinciæ satis pridem in Urbe habentes, nihil adhuc humanitatis, & misericordiæ potuimus consequi. Id credo fit summi Pontificis occu-

 patio-

pationibus, propter quas fortasse aditus ad eum non fuit. Nam illud quidem mihi persuadere non possum, tam sapientem Principem, si cognoverit incommoda suorum populorum, non opem illis & remedium allaturum. Nos interim patiemur acerba, & (ut ego judico) minime æqua, sed sunt qui contra putent. Verum suus cuique sensus, suaque existimatio est. Apud nos minimum utilitas, plurimum semper valebit officium atque fides, nullaque erunt bona veritate & virtute nobis potiora. Sed hæc hactenus. Habeo a Bembo suavissime scriptas literas, quibus impræsentia valetudine impeditus, accurate respondere non possum. Epiphora enim tentor, eaque mihi in dentes & gingivas dolorem injicit, qua etiam molestia coactus sum aliquot hosce dies studia intermittere, hasceque ad te literas negligentius scribere, quam voluntas mea ferret. Quin Paulus quoque leniter ægrotat, verum id perbreve futurum est, omniaque jam illi sunt ad salutem explorata. Ille vero & Paulus alter una, vel tota potius nostra domus, quæ tua eadem est, ejusmodi & tui & tuorum memoriam conservat, nihil ut fieri possit neque in amore neque in desiderio vehementius. Tu Contareno, & Bembo, Ludovico (a) item & Priulo (b) tuis, plurimam a nobis omnibus salutem. Legi sanctissimæ & prudentissimæ fœminæ Victoriæ Columnæ (c) ad te literas, in qui-

(a) Ludovico Beccatello, de quo in not. in ep. CCLVII. part. 2. pag. 431.

(b) Aloysio Priulo, de quo V. not. in epist. CCCXLIV. pag. 165. & seq.

(c) Hujus *sanctissima* quidem *& prudentissima* fœminæ

bus illa mei mentionem facit, videturque heic nostram stationem approbare, quòd ego incredibiliter gaudeo mea consilia tantæ esse & vir-
H 3 tuti

næ ea vis ingenii, ea pietas, ea eruditio fuit, ut non immerito summis optimisque sui temporis viris charissima semper extiterit. Conjux Ferdinandi Francisci Davali Piscariæ reguli, (ejus qui ob rerum gestarum magnitudinem bellica gloria maxime floruit, quique abstinentissimis uxoris consiliis acquiescens oblatum sibi post Ticinensem pugnam a Clemente VII. ceterisque Italiæ principibus Neapolitanum regnum constantissime recusavit) virum suum & vivum singulari quodam amore est prosequuta & mortuum elegantissimo poemate laudavit. In primo enim ætatis flore marito orbata, quum propter generis nobilitatem egregiasque animi corporisque dotes nullius conditionis non haberet potestatem, nunquam novis nuptiis animum adjicere voluit: ut optimo jure Porciæ Catonis filiæ, Brutique uxori a Thoma Musconio sequenti epigrammate fuerit præposita.

Non vivam sine te, mi Brute, exterrita dixit
Porcia, & ardentes sorbuit ore faces.
Te, Davale, extincto, dixit Victoria vivam,
Perpetuo mæstos sic dolitura dies.
Utraque Romana est: sed in hoc Victoria victrix,
Perpetuo hæc luctus sustinet, illa semel.

Extremis suæ vitæ temporibus cunctis humanarum rerum curis prorsus valere jussis, Mediolani apud virgines Deo sacratas sese abdidit, ibique extremum diem piè sanctèque obiit anno 1541. Scripsit italice librum cui titulus: *Pianto della Marchesa di Pescara sopra la passione di Cristo &c.* (*il tutto in prosa*) *con tre Sonetti spirituali. In Bologna* 1557. *ed in Venezia* 1561. *in* 8. Sed in poetica præsertim facultate enituit, ut Italica ejus carmina ostendunt typis edita primum a Ludovico Dulcio Venetiis an. 1552. deinde a Hieron. Ruscellio Florentiæ 1558. cum Rinaldi Corsii Commentariis: quibus in carminibus Francisci Petrarchæ elegantiam, vim, ac suavitatem mirifice *Victoriam* expressisse, omnes fatentur.

tuti & sapientiæ probata. Te quidem rogo, uti operam des, quo hæc illa ex te, meamque præterea in se observantiam benevolentiamque quam primum intelligat. Nos heic audivimus quæ comitia habita sunt, ad quæ tu tempore ipso advenisti, nil dum tamen earum rerum quas cupimus, cognovimus, quæ ubi singula ad nos certius & distinctius fuerint allata, tum constituemus, quid nobis etiam agendum sit, & quibus quatenusque gratulandum. Tu valebis & nos diliges etiam atque etiam. Vale Carpent. XVI. Cal. Febr. M. D. XL.

EPISTOLA CCCXLVI.

REGINALDUS POLUS CARDINALIS

Jacob. Sadoleto S. R. E. Card. *Carpentoract.*

Literarum suarum moram excusat; colloquium cum Pontifice de Sadoleto narrat; & bujus epistolam laudat ad Card. Bellajum.

GRavem mihi controversiam excitavit epistola tua, quam ante video te dedisse quam ullas meas accepisses; hoc enim mihi certissimo argumento eadem declarat, quæ nullam de meis mentionem facit, ex quo materiam accusandi nactus Priulus noster (a), cum me pro viribus ad defensionem paro, ita graviter urget, vix ut loco consistere patiatur. Quod vero accusat, tale est, quod cum me tot tuis officiis adstrictum cognoscerem, quorum ipse testis fuit, & particeps, passus essem tantum temporis a meo abs te discessu elabi sine ullis ad te literis, quæ saltem

(b) De Priulo, vide not. in epist. CCCXLIV, pag. 165.

tem significarent, memoriam tuorum in me officiorum apud me manere, aut si id minus necesse fuit in tali præsertim amicitia, quæ talibus principiis, & fundamentis innititur, ut in eam ne suspicio quidem oblivionis ulla obrepere possit, saltem animum solicitum de mea salute, quale semper in omnibus causis, quæ ad me pertinebant, dum istic essem, vidi, & maxime in discessu, cum me in viam darem, perspicere potui, nullo modo debuisse in tam anxia expectatione de meis rebus, qualem semper amor afferre solet, relinqui, præsertim cum tam facilis ratio pateret omnis solicitudinis tollendæ, si crebro scribatur. Nunc vero post tantum temporis intervallum, cum nihil a me ad leniendum desiderium fuerit scriptum, sed prius passus sim me tuis literis opprimi, quam ullæ meæ ad te pervenerint; heic vero rem indignam exclamat, multumque in meam negligentiam invehitur, quam ita turpem hac in causa esse vult, nulla ut excusatione post tantam a te ostensam humanitatem, maxime in hac postrema epistola, ejus turpitudinem elui posse affirmet. Cui quidem ego sic respondeo, fallacem esse hanc examinandi rationem, si in hoc inquirere velit, quantum ego in officio peccaverim, aut si omnino deliquerim, si mea officia cum tuis conferat, qui omnium confessione tanto aliis humanitate, & officiis præstandis excellis, sic enim facile splendor tuæ humanitatis meam quantacunque sit nullam videri facit, ut in gemmis experitur, in quibus quæ magis nitet, & reliquis candore prestat, eas quæ separatim facile suum nitorem obtinent, fuscas & nullius prætii apparere facit. Quare non sic mecum ex compa-

ratione agendum cum tali præsertim gemma; si utrum officio responderim, vel turpiter deliquerim, scire, & rectius judicare velit, sed separatim potius inquirendum. Hanc vero rationem si mecum tenere velit, tunc facile inveniet in eo, in quo me accusat, quod tandiu te in ignoratione rerum mearum versari passus sim, cujus solicitudinem de iisdem noveram, nimis acriter eum mecum agere, ut qui noverit, si ad memoriam revocare velit, me statim, ut Veronam veni, Ludovico nostro (a) negotium dedisse, ut ad tuos de rerum nostrarum statu & de confecto illucusque itinere scriberet; quas literas paulo post meæ sunt subsequutæ, quas Veronæ quidem scripsi (b), sed propter præproperum, & inopinatum discessum, quia major heic opportunitas tabellariorum videbatur, cum eas huc attulissem, heic dedi. Quod vero ad illas, nullas meas Romanas adjunxerim (neque enim hoc accusationis caput omittit) eo feci, ut me reservarem, dum causam, & argumentum ex meo cum summo Pontifice sermone de tuis rebus haberem. Inanes enim literas, aut quæ nullum argumentum præter officii commemorationem haberent, minime te delectare sciebam. Sic quidem, ut in summa dicam, ejus accusationi respondeo, & causam meam tueor, in qua, si te judicem habeam, nihil quidem verebor, ne me condemnes; quin potius id timeo, ne in his literis causam condemnandi habeas, in quibus me ipsum reprehendo, quod cum

(a) Ludovico Beccatello scilicet, de quo in not. ad epist. CCLVII. Parte II. p. 431.

(b) Indicatur hic epistola CCCXLIII. pag. 159.

cum de iis, quæ ad te propius pertineant, mihi scribendum esset, alieno hucusque argumento, quod parum ad te pertinet, chartam complevi, cum primo loco tuæ expectationi de tuis rebus satisfaciendum esset. De quibus nunc dicam, & a colloquio cum summo Pontifice incipiam, quem cum tuis verbis veneratus essem, visus est mihi libenter, & hilare salutationem tuam audivisse, quod maxime perspexi, cum statim me interrogaret de firmitate valetudinis, de genere studiorum tuorum, de conditione illius cœli, & regionis, quibus a me expositis visus est multum delectari, cum nonnulla adderet, quæ magis explicabant suum de tua virtute judicium. Ego vero ab hoc sermonis ingressu statim ea intuli, quæ mihi videbantur eo pertinere, ut tuo desiderio satisfieret, quod de tua istic commoratione, cum apud te essem, mihi explicasti; in quo eo magis eram solicitus prævenire Pontificis hac in re imperium, nec expectare, dum suam voluntatem declararet; quod cognoveram ante talem fuisse, ut revocaret in Urbem Cardinales omnes, nec pati quemque abesse, præsertim eorum, qui soliti essent in Urbe adesse. Id, quoniam, ut vere dicam, cum meo non parvo incommodo sum expertus, ne idem tibi accideret, sic eum mea oratione præveni, ut dicerem, maxime necessariam esse hoc tempore in ista provincia præsentiam tuam, præsertim Legato, penes quem summa illic imperii esset, ita affecta ætate, & valetudine, ut quicquid accideret, (multa autem accidere possent his temporibus, quibus fere ad res novas multo magis, quam patrum memoria, quisquam est expertus, om-

nium fere populorum animi inclinentur), nihil prorsus de eo sperari posset. Quod ut intelligeret me non suspicione solum de futuris malis facile ductum, hæc de tua in istis locis præsentia dixisse, quam esset necessaria; ea quæ me præsente acciderunt, cum de tumultu populi Avenionensis, tum vero de insidiis hæreticorum exposui, quæ tuo maxime consilio sopita, & oppressa fuisse cognovi, & ita conclusi, ut cum divina quædam providentia, ut exitus rei declaravit, & provinciales ipsi judicant, te in illa loca tempore tam necessario reduxisset, nisi aliqua major causa, in qua Dei honori, & Ecclesiæ melius operam navare posses, te inde revocaret, videri de eo loco non esse removendum, ubi maxime opportuna ad omnes casus tua præsentia esse possit. Hæc quidem ipse cum pluribus verbis exposuissem, ipso quidem ut mihi visus est, libenter auscultante, sic tandem ab eo discessi, ut de tua revocatione ne verbum quidem apud me fecerit. Reliqua vero quæ eodem tempore cum eo egi, quæ pertinebant ad tuendam Christianorum provincialium causam contra Judæorum inexplebilem avaritiam, spero te ex tuorum civium literis, qui res civitatis tuæ heic procurant, cognovisse, qui paulo post sunt experti benignitatem Principis in eadem causa in iis, quæ postulabant. Epistolam tuam ad Cardinalem Bellajum (a) libenter legi, graviter sane scriptam, in qua id maxime probavi, cum adversarium (sic enim prorsus appellandus est, utcunque in suis literis se amicum simulat, quicunque in dogmatibus aliena ab

(a) Vide not. in epist. CXLV, part. 2. pag. 1.

ab Ecclesiæ consensu tuetur) cum argumentis firmissimis prostravisses tamen quasi aliud agens id facis, neque ostendis te cum illo confligere, in quo maxime dignitatis tuæ rationem habuisti, quando ne contendere quidem ostendis, cum eo qui prorsus indignus est, quo cum confligas. Indignum vero eum facit judicium Ecclesiæ, quæ post unam, & alteram admonitionem, tale genus hominum removendum a colloquio, & ab omni commertio monet; hoc vero te in hoc homine ostendere, qui ejus pertinaciam non semel fueras expertus, multo magis decebat, utque a scripti etiam commercio eum removeres; quod tamen ita tua charitas temperavit, ut oblique respondendo, si qua spes esset resipiscendi, fructu tui judicii, & doctrinæ non careret. Hactenus scripseram cum hoc in animo haberem, ut deinceps humanissimæ epistolæ tuæ partibus responderem, cum subito me febris arripuit, quæ cursum impedivit, & decem ipsos dies in lecto detinuit, quasi in equuleo, cum tot dierum spatio nunquam me ab ea relictum sentire potui, a qua tandem per divinam benignitatem liberatus, nunc redeo, ut epistolam absolvam. Etsi quidem ad scribendum hoc tempore non valde sim aptus, sed hoc testimonium restitutæ salutis, etsi restitutarum virium non possum, dare per literas volui, quod scio tibi non ingratum fore. Reliqua vero in aliud tempus differam, cum me firmiori valetudine sensero, & ad scribendum magis alacrem. Nunc tantum de reditu ad studia, vel potius ad fabricæ tuæ divinæ opus, de quo tuæ literæ me certiorem faciunt, tibi gratulari volui, eamque tibi feliciter evenire volo.

Fac vero omnia secundum exemplar, quod tibi ostensum est in monte, & omnia recta succedent. Ad te enim, & ad omnes qui sacrum ædificium erigere volunt, non minus quam ad illum Arcæ architectum, hanc vocem factam esse nosti, & cum hoc nosti, omnia quæ ad optatum finem opus perducere possint, ante oculos habes. Quo majori spe, qui obedientiam tuam novimus in his quæ divinum oraculum monet, & splendorem divini luminis in animo tuo agnoscimus, hujus sacræ fabricæ finem expectamus. Idem vero expectat Reverendissimus Contarenus (a), & Bembus (b) qui te semper in oculis gerunt, nomen vero tuum sæpissime in sermone usurpant, modo vero tuam heic præsentiam desiderant, modo de absentia, & felici illo otio gratulantur. Ita in varias cogitationes se scindit amor, neque quicquam constituti habet, nisi quod huc tandem omnia refert, ut ubi major quies animi tui cum majore fructu pietatis, & officii erga Deum, & Ecclesiam se ostendit, ibi commorandi tibi locum a Dei benignitate concedi optent; ad quem preces, qui te amore prosequimur omnes, fundimus, ut te nobis, atque Ecclesiæ quamdiutissime incolumem servet. Vale amplissime Domine, & Paulum amores nostros, & reliquos Nepotes tuos dulcissimos meis verbis amplexari digneris. Dat. Romæ ... Februarii M. D. XL.

(a) De Contareno vide notas in epist. CCCXXXV. pag. 138. & seq.

(b) Vide quæ de eo habentur in notis ad ep. CCCXXXI. pag. 126.

EPI-

EPISTOLA CCCXLVII.

JAC. SAD. REGINALDO POLO CARD. S. D. *Rom.*

Respondet superiori epistolæ, eumque orat, ut de pecuniarum distributione suis verbis Contareno gratias agat.

TUis literis mense Februario ex Urbe datis, quod adhuc non responderim, justa mea hæc apud te erit excusatio, quod minus commode valui. Multa enim pituita & asvi fluxionibus diu conflictatus, laboravi mo rbo, non tam periculoso illo quidem, qua m molesto, abfuit enim febris. Sed tamen & meæ vires debilitatæ & corpus usque eo fut extenuatum, ut non esset certa, neque explorata mihi ratio salutis. Nunc cum Dei benignitate melius mihi sit, jamque ad literas & studia mea pristina reverti cœperim, non putavi mihi prætereundum esse, quin ad te primo quoque tempore literas darem. Scito igitur tuas mihi fuisse jucundissimas. Etsi enim constituta amicitia, & amore mutuo perfecto, studium scribendi videtur esse supervacaneum, nisi si quid sit ejusmodi, quod absentium amicorum scire atque intelligere intersit, tamen omnis semper commemoratio benevolentiæ jucunda est, etiam si non sit necessaria. Priulum quidem meum concertasse tecum, causamque meam tueri & defendere conatum esse, quemadmodum mihi scribis, ita credo. Sed tamen vereor, ne magis suum ipse ostentare ingenium, quam jus meum tutari voluisse videatur. Solent enim magni isti patroni, qui suæ eloquentiæ plurimum confidunt, suscipere interdum non bonas causas, ut eum judicio vicerint,

cerint, non juris veritas illis suffragata, sed ipsi jus sibi fecisse & veritatem causæ appinxisse videantur. Qui si in disputatione quam habuit tecum me amantissimum tui esse dixisset, nec sine aliqua solicitudine animi fuisse, quoad tuis de rebus certior fierem, vere illa egisset, eaque dixisset, quæ mihi usu certe evenerunt. At non hoc fuit satis ingenioso homini, suamque dicendi copiam ubique ostendenti. Jam enim illa non vera, te culpam admisisse, mea multa & magna erga te officia extitisse. Quorum primum in tuam naturam virtutemque non cadit, alterum ego non agnosco. Quicquid enim egi tua causa, si quid modo egi, inferius id multo est, quam tuæ præclaræ virtutes postularint. Nec vero video me egisse quicquam, nisi quod prætermitti sine scelere, non potuit. Quin interdum memetipse rusticitatis arguo. Tali enim a me viro, qualis es tu, non animus, neque domus, quæ communia sunt, sed salus ipsa & vita debuit esse exposita. At tu, quantum, quæso, honoris mihi habuisti? quantum etiam fidei? qui te mihi potissimum & meis tectis commisisti? quod tuum testimonium meæ integritatis, atque officii, cum mihi vehementer honorificum fuerit, si id cogitasset, & sibi proposuisset Priulus, non ille te in me negligentem, sed me in te potius minus gratum disseruisset. Sed tamen, quando amore mei adductus, favere mihi voluit & quodammodo assentari, diligam hoc nomine etiam hominem necesse est, & amantius complectar, quod meas absentis partes defendendas susceperit. Quare tu illi plurimam a me etiam atque etiam dices salutem. Dialogos de me cum summo Pontifice a te habitos

bitos libentissime legi, tuamque pristinam erga me benevolentiam cognovi, cui nunquam parem gratiam referre potero. Hæc enim ea sunt officia quæ me vehementissimè obligant. Illud mihi accidit optatissimum, quod de me revocando verbum ab eo nullum. Ad quod quæso incumbe mi Pole, ut mihi vivere in honesto otio liceat, quando ista negotia placere mihi non possunt. Qui si nosses quæ nunc sint rumoribus hominum pervulgata, etsi ea fortasse scis, (non enim obscura sunt, sed passim in circulis angulisque omnibus jactantur) dolore animi mecum una tabesceres. Erumpunt porro omnia in illius caput & nomen, quem nos & veneramur & diligimus, & cujus beneficiis maxime obstricti sumus. Quæ ego non commemorabo, ne & augeam dolorem meum & tibi molestiam afferam. Illud certe patet & perspicuum est, quicquid eveniat in Repub. Christiana adversi atque mali, de eo statim homines culpam in nos, & crimen conferre paratos esse, ut occultari dissimularique non possit, quæ sit omnium mortalium de nobis & de moribus nostris plane jam existimatio. Sed abeamus ab his quæ præter modum molesta sunt. Contarenus noster valde humane egit mecum, qui me voluit absentem nihilominus participem esse earum pecuniarum, quæ nostro ordini attributæ, distribui solitæ sunt duntaxat inter præsentes, quod ego profecto nec cogitavi unquam nec postulavi, quo etiam illius benignitas erga me eminentior. Nam quod a Casulano mentio fuerit facta, ille sponte sua hoc egit, nullo admonitu meo. Non enim meum est aucupari lucra, nec ea quæ mihi non debeantur flagitare. Sed & Casulanus vir optimus,

mus, qui me admodum diligit, mei commodi curam, me etiam inscio, sibi habendam putavit, & apud illam præstantem atque eximiam Contareni nostri virtutem, humanitatem, integritatem, video monitore nihil fuisse opus, per se enim ille propensus ad me juvandum & omnibus beneficiis afficiendum assidue est. Cui utinam aliquando referam meritam gratiam, habebo quidem semper. Nam etsi mihi nullum emolumentum, nullaque utilitas ita est cordi, ut vel minimum velim de mea dignitate propter eam deperdere, tamen habere hæc indicia amoris a summis viris, maximam ego arbitror esse dignitatem. Quapropter abs te peto, ut illi & meis & tuis etiam (si tibi videbitur) verbis agas gratias. Provinciales hi nostri te maximum in modum diligunt, atque colunt, suamque tibi salutem referunt acceptam. De meis studiis nihil possum tibi impræsentia polliceri, instat enim æstas, quod ego tempus consumere in mansuetioribus literis soleo. Librum tuum magna ex parte legi animumque in eo tuum magnum atque præstantem copiamque una & eruditionem, imprimis vero studium pietatis ac religionis vehementer probavi. Da operam ut valeas. Carp. IX. Cal. Maii M.D.XL.

EPISTOLA CCCXLVIII.

JAC. SAD. ASCANIO SFORTIÆ CARD. *Rom.*

Excusat se quod commotiore animo de Judæorum negotio ad eum scripserit, & sperat promissiones datas illum diligenter servaturum.

IN eis literis, quas proxime a te accepi, quibus mihi de re & negotio Judæorum diligenter

ter respondes(a), sic imago tota virtutis, ingenii,& probitatis tuæ expressa est, ut ego, qui te mirabiliter diligo coloque sæpius in eam intuens, mihique de eo quod jamdudum feci de te judicio gratulans, tuas etiam atque etiam literas & in illis te absentem, animo & benevolentia sim exosculatus. Video enim atque perspicio, quod mihi maxime in optatis est, id genus, eamque familiam, cui ego omnia mea honoris, atque vitæ ornamenta refero accepta, non solum florere virtute & prudentia majorum natu, eorum videlicet, qui res summas administrant; sed habere etiam in liberis & adolescentibus paratam certissimam spem, nihil eos a parentum gravitate & sapientia esse deflexuros. Quod mihi, qui vobis non minus faveo, quam si ex meo sanguine essetis geniti, quique omnia mea officia atque studia vobis & laudi ac dignitati vestræ penitus addicta esse volo; non sperare solum de vobis, sed experiri jam & reipsa nosse, jucundissimum est. Facile enim indicant literæ tuæ, verissimumque dicunt testimonium, cujusmodi tu ingenio & qua naturæ bonitate præditus sis. Quod ad rem ipsam & ad Judæos pertinet, noli quæso existimare, humanissime Sfortia, me quicquam illiusmodi rerum ab te ipso unquam profectum putasse (b), novi enim integritatem & ingenuitatem tuam, nec sum tam iniquus, ut cuiquam vitio vertam id, quod ab illius abesse judi-

(a) Hæ Sfortiæ ad Sadoletum literæ, quibus epistolæ CCCXXXVI. respondet, omnino desiderantur.

(b) Vide eamdem Epistolam CCCXXXVI. ad ipsum Cardinalem Sfortiam datam, quæ legitur pag. 141. hujus partis.

judicem culpa. Alios quosdam suspicatus sum, neque secus suspicor, ad suos, & sibi non insolitos quæstus tuo nomine fuisse abusos. Quod cum in aliquam notam recideret tui honoratissimi & mihi charissimi nominis; pro meo amore erga te, proque ea qua tuam amplitudinem prosequor observantia; existimavi libere tibi a me hanc suspicionem & querelam deferri oportere. Quare quem tu in meis literis stomachum, aut quam graviorem dicas expostulationem, non intelligo. Scripsi equidem commotiore animo, verum non iracundia adductus, quæ mihi nec admodum usitata aut familiaris est; & in te certe semper existeret non injusta solum, verum etiam inepta, quo utroque a vitio me abesse cupio. Sed meum animum misericordia moverat eorum quibus non in pecunia & bonis (nam id esset aliquo modo tolerabile) sed in libertate & corpore, ab hoc improbissimo hominum genere quotidianas inferri injurias videbam. Porro quorum salus mihi ab Deo tanquam parenti & pastori est concredita, eorum me incommodis & calamitatibus permoveri, mirum ne cuiquam videri debet? Et quidem scio obsolevisse jam magna ex parte Episcoporum munera atque officia; plebium enim passim & gregis cura negligitur; aliarum rerum major ratio ducitur. Verum ego clara voce pronuntio atque testificor, me nunquam fuisse, neque adeo fore de numero eorum, qui hanc animi labem prope inexpiabilem, in alteram illam vitam ante conspectum Dei secum deductam velint. Satis multis aliorum generum criminibus & delictis premor; ab hoc equidem crimine cavebo, quantum Deo adjuvante potero consequi, ut qui

meas

meæ tutelæ & fidei erunt crediti non eorum salutis & commodorum majorem suscipiam curam, quam meorum. Nec vero hujus me animi & sententiæ esse pœnitet, tantam experior in bene agendo & in virtutis atque officii ratione ducenda inesse voluptatem; quam nosse non possunt (crede mihi optime Sfortia, qui & ætate longe jam provectus & multarum ac magnarum rerum usu diu edoctus sum) non inquam nosse possunt hanc animi lætitiam, voluptatem, pacem, qui spirituali imperio populis præfecti, omissa cura & diligentia consulendi commendatitiis suis, ad suas potius privatas opes & ad hunc externum splendorem atque fastum studia omnia convertunt. Quorum quidem cunctorum exitus atque casus, si commemorare nunc vellem; id quod & vere & copiose possem facere; equidem vererer, ne ex epistola tragœdiam viderer efficere. Quare ab hoc toto genere sermonis abstinebo, tantum te rogabo atque hortabor, ut quam spem & expectationem tuæ præstantis eximiæque virtutis, tuæque futuræ summæ amplitudinis nobis excitasti, eam tu spem in nobis & in cæteris omnibus, præclare semper agendo, & virtuti ac veræ dignitati serviendo, tueri, augere, confirmareque non desinas. Quod tibi futurum est (ut alias etiam dixi) in omni & fortuna & varietate temporum maximum, tutissimum, jucundissimumque perfugium. Sed ut revertar ad Judæos, quod illi ferri & sustineri apud nos debeant, fateor christianæ hoc esse humanitatis; estque ita nobis a sacris patrum decretis præscriptum. Qui si privilegiis etiam muniendi sunt, ne afficiantur ipsi injuria, muniantur sane, nihil ego in hac re magnopere repugno.

Non

Non enim hominibus infensus sum, sed hominum illorum vitiis. Ut vero ad inferendas ultro injurias, ad circumveniendos evertendosque Christianos, tot quotidie decretis concessionibusque instruantur atque armentur; potestne hoc ullius hominis recta & pretio ac pecunia non contaminata ratio æquum esse arbitrari? Liberius tecum loquor, quod te expertem omnis omnino in hoc genere suspicionis esse non dubito. Quid enim mihi tua probitate, moderationeque perspectius? Sed habeo quos timeam, quos etiam facilius animo designare quam exprimere oratione possum. At mos heic jam inveteratus est talibus Judæos privilegiis ornandi & fulciendi. Scio & novi, veruntamen idem ego & video & scio, propter hujusmodi morem aliosque multos similes, orbis terræ populos, & provincias jam permultas, ab istius sanctæ sedis nomine & fide defecisse, quas utinam cæteræ non sequantur; quod ne accidat, parvula modo aliqua mutatione Principum facta, vehementer cogor pertimescere. Sed nec plura de his. Ego si in meis literis aut prioribus, aut in his quas nunc scribo aliquid insit dictum inconsideratius, quodque animo tuo minus accidat gratum; peto a te mihi ut ignoscas. Non enim animo lædendi quempiam, teque omnium minime, quem incredibili quodam amore & plane optima opinione prosequor; sed studio subveniendi meis, quibus sum sanctissimæ necessitudinis vinculo obstrictus, liberius interdum cogor scribere. Quæ libertas si imprudentia appellanda est, non obstabo quin ita appelletur; dum ea cum pietate & cum pastoris officio boni intelligatur esse conjuncta. Etsi tuæ quidem naturæ bonitas

tas, ut confidam facit meas preces & postulationes a te in meliorem partem acceptas fuisse; qui mihi liberalissime rescribis, te & daturum per te operam & apud Pont. Max. curaturum, ut restrictius posthac & cautius cum Judæis agatur, quam adhuc actum sit. Quam ego tuam promissionem in earum rerum numero repono, quæ mihi charissimæ & jucundissimæ sunt. Non enim ea solum mihi spem facit, fore tua ope & authoritate populis meis melius consultum; sed eadem id confirmat, quod ego de te & sentire & prædicare libenter soleo, magnum in te nostro ordini ornamentum, magnos ex te fructus aliquando ad christianam rempub. esse venturos. Quorum utrunque nobis ut ex sententia eveniat & tu operam dabis & ego Deum assidue obsecrabo. Sed hæc hactenus. Meum erga amplitudinem tuam studium meaque grata in omnes tuos voluntas, honosque præcipuus in lectissimam omnium fœminarum matrem tuam perpetuo vobis constabit. Vale Carpent. Pridie Idus Januarii M. D. XL.

EPISTOLA CCCXLIX.

JAC. SAD. PROSPERO SANTACRUCIO. (a)

Vetus inter ipsos necessitudo, literis confirmatur.

MAgna me voluptate affecerunt literæ tuæ, ex quibus perspexi vigere apud te & memoriam amicitiæ nostræ, & studium propensæ erga

(a) Hic ab origine ultima Publicolæ stirpis Romanæ generatus, duro admodum initio usus est adolescentiæ. Annos enim natus XIII. grassante in Urbe pestilentia post Cæsarianam direptionem, quum non modo utrumque parentem,

erga me voluntatis, quam ego habui semper charissimam, ab eo tempore usque, quo tu Patavii optimis artibus operam impendens, nonnulla jam illinc ad me tui amoris indicia misisti. Quo quidem tempore memoria teneo, me dupliciter ex te lætari esse solitum, cum ab eisdem testibus cognoscerem, & quantum tu mihi tribueres, & quantum cæteris ipse æqualibus tuis, qui tunc in eodem versarentur cur-

tem, sed etiam omnia bona opesque amisisset, nudus atque egenus in Sabinos confugere coactus est: donec Hispanis militibus Neapol. revocatis, Romam rediit an. 1539. Ibi gravem diuturnumque nactus morbum, statim ac convalescere cœpit, ad humaniores litteras animum appulit; in quibus quantum profecerit vel illud indicium esto, quod admodum adolescens & Romæ ad purpuratos Patres summa cum eloquentiæ laude publice verba fecerit; & Bononiæ coram Clemente VII. & Carolo Cæsare elegantissimam orationem habuerit. Bononia Patavium profectus jus civile & Pontificium celeriter arripuit. Parce tamen ac duriter vitam agebat propter angustias rei familiaris: quod enim ex domestico patrimonio reliquum ei fortuna fecerat, vix alendo fratri natu minori sororibusque sufficiebat. Itaque lenta febri denuo correptus, diu decubuit. A qua Victorii Faventini medici illis temporibus celeberrimi opera tandem liberatus, dum Vicentiæ Thomæ Zanechinii Jurisconsulti contubernio utitur, collegio *Advocatorum sacri Consistorii* a Paulo III. adscriptus est anno 1537. in Pompilii Sanctacrucii gentilis sui nuper demortui locum. Romam quum venisset, primum duodecim vir gravioribus causis judicandis ab eodem Pontifice factus an. 1539. & in Germaniam ad Cæsarem cum Alex. Farnesio Card. profectus, in ea provincia *Apostolici Nuntii* munus gessit. Inde a Julio III. in Galliam ad pacem inter Henricum II. & Carolum Cæsarem curandam sanciendamque missus, re infecta domum rediit. Idem iterum in Galliam se contulit Pii IV. P. M. nomine, ubi ita

su, industria, & omni laude ingenii antecelleres. Secutum est tempus, cum fuimus Romæ, omniaque ea quæ inter nos intercesserant tanquam elementa, & semina futuræ familiaritatis, congressu nostro mutuisque sermonibus alta, educta, confirmataque sunt, nostraque conjunctio in eum statum adducta, ut & tua mihi observantia & meus tibi animus amorque patuerit. Sed quorsum hæc? ut intelligas, mi charissime Prosper, ea quæ tu scribis in literis tuis de tuo studio & benevolentia erga me, deque ea fide ac diligentia, quam in causis meorum sis præstaturus, etsi jucundissima mihi fuerint legenti literas, tamen etiam sine literis, animo mihi præcepta ac minime dubia fuisse. Carolum quidem meum optimo judicio usum esse video, qui te & Aragonium nostrum patronos populis meis asciverit. Quid enim mihi utriusque vestrum fide, doctrina, benevolentiaque exploratius? Equidem laboro meorum civium causa, idque me & juste & pie facere judico. Agitur enim illorum res, meum autem officium, quod ego ita sancte diligenterque tueor, ut nihil sit omnino quod

ita vixit, ut Catharinæ Mediceæ Galliæ Reginæ merito esset charissimus, curaveritque prospero eventu, ut Galliarum Antistites ipseque Cardinalis Lotharingus Concilio Tridentino interessent. Quod Sanctacrucii factum Pius IV. adeo probavit, ut eum absentem in Sac. Cardinalium senatum retulerit an. 1565. Tanta dignitate auctus in Gallia diu vixit, ibique Arelatensem Ecclesiam obtinuit; cui tamen antequam e vita discederet nuncium remisit. Romam a Pio V. revocatus reginæ Catherinæ negotia apud Pontificem curavit, decessitque an. 1585. nonis Octobris annos natus LXXVI. Vide quæ de eo habet Oldoinius in Ciacconi opere tom. 3. col. 950.

quod habeam antiquius. Quod si in humanis actionibus & negotiis, valuit semper apud me ratio officii plurimum, quid facere debeo in divinis? Ex Deo enim est hæc, non ex hominibus quæ mihi cum his populis necessitudo contracta est, quam ego dum integre casteque custodio, si minus servio commodis & utilitatibus meis, illos tamen fructus multo uberiores consequor, quod pacatus intus & totus mihi concors optima cum spe vivo. Cum igitur mei hujus laboris atque officii bona pars ad vos delata vel potius mihi communicata sit vobiscum, peto ambobus a vobis, ut ejusdem etiam mecum & studii & curæ participes esse velitis. Quanquam non tam hoc petere, quam me vobis gratias agere oportet, tanta mihi satisfaciendi voluntas in literis est declarata. Cujus ego certe memoriam perpetuo conservabo. Vale mi Prosper & tibi ita persuade, me si facultas & occasio affuerit, fautorem semper fore & amplificatorem tuæ dignitatis. Aragonio plurimam dic meis verbis salutem. Carpentoracti Prid. Idus Januar. M. D. XL.

EPISTOLA CCCL.

AL CARDINAL BEMBO. *a Roma.*

Gratias ei agit ob officia in Binum familiarem suum collata.

MEsser Gio. Francesco Bini (a) mio antico familiare ed ora fatto Chierico del nostro Collegio mi ha molto ringraziato con lettere, come io l' abbia grandemente ajutato in ottenere

(a) De Bino consule quæ dicta sunt in notis ad epist. LXVII. parte I. pag. 171.

nere questo suo onore; dicendomi che per rispetto mio, e di quella familiarità, che egli ha avuto meco, ha trovato in molti Reverendissimi Signori tanta prontezza e benignità verso lui, quanto non si può pensare maggiore. Tra quali i primi mi nomina vostra Sig. Reverendissima, ed i Reverendissimi Signori miei Napoli (a), Contarino (b), e Brundusino (d), di

(a) Joan. Petrus Carafa fortasse Archiep. Theatinus de quo in not. ad epist. CCIV. par. 2. pag. 233.

(b) Vide not. in epist. CCXIX. part. II. & ad epist. CCCXXXV. pag. 138. hujus partis.

(c) Hieronymus scilicet Aleander Archiepiscopus Brundusinus hic est, de quo vide quæ diximus in notis ad Sadoleti vitam pag. *60.* & *61.* & ad epist. Pontificias pag. 197. Natus est autem Aleander Mottæ in Carnia an. 1479. Parens ei Franciscus Aleander fuit homo ea vitæ ac morum integritate, eaque Philosophiæ ac medicæ artis scientia, ut existimari haud facile posset, utrum melior esset an sapientior. Is prout ipse amabat literas, omnibus disciplinis quibus puerilis imbui ætas debet, filium suum erudiendum curavit. Eas cum celeriter imbibisset, gravioribus studiis in gymnasio Patavino operam dedit, in quibus brevi tempore quam profecerit vel illud indicium esto, quod adolescens non modo Græcas latinasque literas, sed orientales etiam linguas ac præsertim Hebraicam ita calluerit, ut nihil supra posset: adeò vero in rebus Theologicis Philosophicisque præstiterit, ut insigniores sui temporis earum scientiarum magistros longo post se relinqueret intervallo. Ceterum Romam demigravit, Leone X. Pont. Max. A quo Bibliothecarius Apostolicus renuntiatus, ac primum in Germaniam ad Lutheri hæreses compescendas profligandasque missus, multis deinde variisque legationibus pro Apostolica Sede apud omnes fere christianos principes fideliter diligenterque perfunctus est. Itaque Archiep. Brundusinus a Clemente VII. anno 1524. Cardinalis a Paulo III. factus est an. 1538.

Obiit

che io ho preſo gran piacer doppiamente; ſi perche io ho molto caro il bene e l'onore del mio familiare, maſſimamente giudicandolo io, e per modeſtia e per eſperienza e dottrina degniſſimo di quel luogo; e ſi perchè m'allegro ſempre ſommamente, quando io veggo procedere tali dimoſtrazioni di benevolenza verſo me da quelli Signori, i quali con tutto il core io amo e riveriſco. Però non ſolamente di ciò ringrazio infinitamente V.S. Reverendiſſima, ma eziandio la prego, che a nome mio ella ſteſſa voglia rendere infinite grazie ai prefati Reverendiſſ. Signori, acciocchè eſſi tanto più chiaramente conoſcano, quanto ſia grande il piacere, che io ho preſo di queſta loro officioſa volontà verſo me, quanto da più degna perſona ſaranno per me ringraziati.

EPISTOLA CCCLI.

JAC. SAD. PAULO III. PONT. MAX. (a) *Rom*

Pro repreſſa Judæorum avaritia Pontific. Max. gratias agit.

ETſi multis, ac magnis a ſanctitate veſtra non ullo meo merito, ſed ipſius tantum bonitate, beneficiis affectus atque ornatus, parem & ſimilem omnibus debeo gratiam, quo quamquam illa gradibus inter ſe differant (aliud enim eſt eorum quod ad commodum meum pertineat, aliud quod ad honorem, reliquum

Obiit Romæ an. 1542. ætat. LXII. Conſule præterea qu de eo habentur apud Papadop. *Hiſt. gymnaſ. Patav.* tom. 2 pag. 194. & in opere cui tit. *Notizie de' Letterati de Friuli* tom. 1. p. 456. a Joan. Joſepho Liruto nuper edito

(a) Vid. not. in epiſt. CCXI. parte I, I p. 262.

liquum quod ad justam quandam & piam animi mei jucunditatem) tamen, quoniam ex eodem fonte benignitatis universa deprompta sunt, mea una, atque eadem omnibus illis est obligatio. Si tamen petatur mei animi judicium, & quo ipse magis sim delectatus requiratur, non dubitabo proferre palam, & dicere hoc quo Sanctitas vestra hos nuper populos fidei meæ a Deo omnipotente commendatos & creditos, ab impendente illis ex importunitate & avaritia Judæorum, exitio liberavit, maximum mihi fuisse jucundissimumque beneficium. Equidem habeo fixum in animo, hæretque id mihi in memoria, & semper hærebit, cum Sanctitas vestra suo ipso tacito mentis consilio, suaque sponte me ex longinquis oris & regionibus Romam evocatum cum summo honore dignum non tam invenisset illa quidem, quam fecisset, in amplissimum Ordinem S. R. E. Cardinalium cooptavit, Deique summi imitatione & more, qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, quem obscurum hominem, ignobilemque acceperat, in loco illustri & splendido collocavit. Quo ipsius de me judicio nihil ornatius, honore autem & munere nihil magnificentius potuit desiderari. Et certe nil videbatur ad hanc beneficientiam & paternam propemodum erga me voluntatem addi posse. Secutum illud est, ut cum ad aures vestræ sanctitatis pervenisset, me in re familiari vehementer perturbatum esse, nec solum laborare animo, sed etiam corpore jacere ægrum; illa ad me visendum unum ex suis intimis & fidelissimis mitteret, qui me non solum ipsius verbis consolaretur, sed magnum ab ea pondus auri & subsidium vitæ commodius agen-

dæ, ſtatutum mihi in menſes ſingulos largum ac liberale ſtipendium deferret. Qua ego veſtræ Sanctitatis eximia & ſingulari liberalitate cum non eſſem uſus, ne gravius illi aliquod onus, quam meus patiebatur pudor, imponerem, præoptaſſemque reverti huc ad meos, & cum his vivere quibuſcum eram aſſuetus; quid mihi in mentem venit aut poſtulare, aut optare in quo Sanctitatis veſtræ benignitas, atque humanitas precibus, & votis meis non præcurrerit potius, quam ſupplicanti mihi fuerit aſſenſa? Vera dicam, Pater Sancte, ſi hæc pendantur omnia, & ſimul examinentur, nec ſolum cujuſmodi ipſa ſunt, quam ampla, quam clara, quam honorifica, ſed etiam a quo auctore profecta ſint, nempe a Principe ſapientiſſimo omnium & maximo, cujus vel nutus ornare ſolus quemlibet poteſt; mihi non intelligere ſolum neceſſe eſt, verum etiam confiteri, ad tantam vim, & magnitudinem omnium obligationum ferendam, ac ſuſtinendam, me unum non ſatis eſſe; ad quam ne omnes quidem, qui ubique ſunt, majore multo ingenio, quam ego; & opibus fortunæ præditi, pares eſſe poſſunt. Sed etſi tantorum onere officiorum oppreſſus, & pene obrutus, locum novæ gratiæ eſſe non arbitrabar; quod videbatur mihi veſtræ ſanctitatis liberalitas tot erga me donis & muneribus jam eſſe expleta; acceſſit tamen recens hæc gratificatio, quod ejuſdem veſtræ Sanctitatis providentia ſingularique conſilio, populos meos mihi incolumes, atque ſalvos videre licitum eſt, quorum ego propinquum & imminentem interitum lugere jam cœperam. Etenim cum ad domeſticam eorum paupertatem, quæ ſane illis aſſidua & familiaris eſt (de aratori-

toribus & agri cultoribus loquor, quæ longe maxima, & maxime cum Judæis implicita multitudo est) cum ad onera infantium & liberorum, quorum ferme hæc gens nimis interdum est fecunda, cum ad sterilitatem terræ, rerumque gravem omnium, intolerendamque inopiam, Judæorum acerbitas, & crudelis exactio feneratarum pecuniarum accederet, quæ illis per carcerem, per vincula, per detentionem in urbe agricolarum, & rusticorum, eorumque ab aratro, & opere rustico abstractionem, minus certe honestis, & laudabilibus privilegiis concessa est; quis dubitare posset, quin omnia luctu & lamentis, & direptione larium pauperumque focorum, fuga, ploratu, lacrimisque infantium, & mulierculārum misceri, atque agitari futurum esset necesse, nisi Sanctitas vestra, suo incomparabili & opportunissimo dono mora solvendi debitoribus ad annum prorogata, miseris atque egentibus ipso in tempore subvenisset? Quod quamquam ab illa datum est summi hominis fidei & præstantissimi Cardinalis authoritati & testimonio Reginaldi Poli, qui pro his gentibus deprecatus est; tamen quoniam hujus rei fructus ad me potissimum redundat; egoque memetipsum ad hanc sententiam, & voluntatem quotidie magis erudio, ut eorum qui in fide mea sunt, salutem, & tranquillitatem meis commodis & utilitatibus potiorem esse ducam; habeo, atque ago pro tanto beneficio Sanctitati vestræ maximas gratias, meque hoc ab illa præcipuo, & summo cæterorum omnium munere affectum esse, & confiteor & prædico. Nam cætera illius erga me liberalitatis indicia ad me ornandum pertinuerunt; hoc ad stabiliendum: ex

illis meum nomen, & fama celebrior facta est; ex hoc pietas mea, caritasque erga meos eum fructum summæ jucunditatis adepta est, quod fratribus his meis, atque filiis (neque enim alia eos mente, & voluntate prosequor) jam jamque instante & proxima pernicie, per S.V. liberatis, me quoque in illis salvum & sospitem ab eadem V.S. factum esse gaudeo. In quo ipsa mihi, non honoris solum ut olim, sed hoc tempore, virtutis etiam atque officii, quod mihi multo est optabilius & charius, & parens, & adjutrix, & conservatrix sola est. Sed cum leve sit verbis agere gratias, ab operibus autem atque factis altitudo fortunæ S. V. me prohibeat; testor omnes eos, qui virtute, & veritate in cœlo sibi domicilium acquisierunt, tanquam mei animi, & intimæ voluntatis conscios, me uno, excepto dumtaxat Deo & iis quæ ad Deum pertinent, quæ S. V. vult etiam excipi, omnes meos de reliquo sensus omnes, animi mei facultates atque partes, omnem cultum, amorem, observantiam, gratiam, ita & debere & habere S. V. deditam, atque adstrictam, ut nihil neque in fortuna neque in vita meum esse possit, quod non ad illius necessaria tempora, omnemque ejus authoritatem & dignitatem defendendam, si usus veniat, offerre, atque objicere sim paratus. Interim autem pia voluntate erga S. V. & grata illius beneficiorum memoria incensus, Deum omnipotentem assidue rogo, ut is ea omnia V. S. largiatur semper & tribuat quæ egomet maxime ab illo tribui mihi semper cuperem, atque concedi. Valeat V. S. cujus beatissimis pedibus me commendatum esse cupio. Carpent. Idibus Febr. M.D.XL.

EPI-

EPISTOLA CCCLII.

J. SAD. DIONYSIO CARD. S. MARCELLI (a) *Rom.*

Ejus litteris respondens, de accepta purpuræ dignitate gratulatur.

AD eam voluptatem; quam acceperam ex amplificatione tuæ dignitatis (quod iste honos quum similibus tui, hoc est doctis viris prudentibusque defertur, gaudere semper soleo) accessit suavitas literarum tuarum, quæ me ita affecit cum commemoratione tui pristini erga me animi, tum declaratione præsentis voluntatis; ut ego, qui te antea tacito potius quodam de tua virtute judicio, qua aperta

I 4 amo-

(a) Hic Beneventi obscuro loco natus, adolescens servorum D. Mariæ Virginis familiæ nomen quum dedisset, adeo in litteris profecit, ut brevi tempore ex discipulo doctor factus, Philosophicas Theologicasque res Perusiæ, Bononiæ, ac Romæ magna nominis celebritate publice docuerit. Itaque ad honores celeriter pervenit. Ac primum quidem *Procurator*, ut ajunt, *generalis* sui ordinis renuntiatus, Henrici quoque Britanniæ regis negotia curavit apud Clementem VII. Pont. Max. a quo ad Henricum ipsum in celebri illa religionis causa missus est. Romam ex Britannia reversus quum ad summum ordinis sui fastigium pervenisset, in Scotiam an. 1536. Pauli III. Pontificis nomine demigravit, ubi a Jacobo rege honorifice exceptus, Ecclesiasticam disciplinam in eo regno perturbatam composuit. Itaque ad Urbem revocatus, an. 1539. mense Decembris ab eodem Pontifice Paulo Presbyter Cardinalis est factus, ac S. Marcelli *titulum* obtinuit. Hac dignitate auctus, & Urbinatium Ecclesiæ præfectus, supremum ordinis sui regimen non dimisit usque ad annum 1542. quo anno quum Comitia Faventiæ haberi jussisset, vivere desiit Romæ die XVII. Septembris. Vid. Ciacconii opus tom. 3. col. 672.

amoris significatione diligebam, quod nulla admodum inter nos intercesserat consuetudo: nunc ex literis tuis, tam amanter, tamque honorifice de me scriptis, non amem solum, sed tanquam amicissimum, & familiarissimum, omni animi mei studio & benevolentia te amplectar. Equidem sentiebam optime de te, nec tam mea sponte, (non enim fuerat notitia inter nos, egoque multis & magnis meis difficultatibus abstractus, diutius in Urbe esse non potui) sed eorum testimonio, quos ego vehementer cum probarem, intelligebam ab illis te quoque probari. E quibus vir clarissimus & mihi quoad vixit amicissimus Symoneta, multa mihi narrare de te solitus erat. Sed jam nullum amplius quæro de te testimonium, tuæ enim virtutis, tui ingenii, tuæ humanitatis, satis mihi graves & certas literas tuas misisti testes. Quæ ita scriptæ sunt, ut neque ornatus in verbis, neque in sententiis prudentia desit. Quanquam in eis mihi tu quidem plus tribuis, quam ego intelligo me posse sustinere. Sed hoc amori in me tuo assignandum est, & illi, de qua modo locutus sum, humanitati. Quod autem ad amicitiæ fidem pertinet, quæ jam inter nos & pro Collegio & pro similitudine studiorum debet esse instituta, atque conjuncta, primum de isto honore, qui in te jure ac merito collocatus est, tibi gratulor, deque eodem mihi gaudeo: siquidem omnium rerum inter amicos communicatio esse debet. Deinde memetipsum tibi & omnia studia, omnemque benevolentiam ita defero atque trado ut sim gratissimum habiturus, si tu in eis, a quibus te diligi putas, me principem locum velle obtinere duxeris. Quem ego animum cum cæteris tuis virtutibus

& or-

& ornamentis debeo, tum ei præcipue, quam singulariter præ te fers, benevolentiæ tuæ erga me & voluntati. Vale. Carp. Idib. Febr. M.D.XL.

EPISTOLA CCCLIII.

J. SA D. DIONYSIO CARD. S. MARCELLI (a) Rom.

Ejus humanissimis literis comiter respondet.

ALteras habeo jam a te literas, similes prioribus & humanitate & benevolentia, quæ mihi fidem prorsus faciunt me abs te diligi. Quod cum ita sentiam, certoque opiner, debes existimare, si me arbitrare dignum eis studiis, quæ ambobus nobis communia, & ad integritatem morum ingenuitatemque naturæ animos informant, in quibus ego & ætatem meam consumpsi, & tu excellente ut video, ingenio versaris, non tibi me concessurum, ut in amore, aut ullis in officiis me vincas. Nam si quoties mihi datur occasio, favere soleo doctis viris, idque mea sponte, nulla intercedente nec re, nec familiaritate, quod uno tantum doctrinæ nomine ad eos amandum & complectendum adducor, quid facere debeo erga te, a quo sum provocatus? præsertim cum & tua præstans doctrina, compluribus aliis virtutibus, & virtus summo honore præclaroque, omnium hominum, Pontificis imprimis maximi, & totius nostri ordinis de tua dignitate judicio, non comprobata modo, verum etiam ornata, illustrata, & in altum edita sit? Quæ res etiam efficit, ut ad cæteras mutui inter nos amoris causas, collegii conjunctio, & sanctissi-

(a) De Dionysio Lauterio, vide not. ad epist. superiorem pag. 199.

mæ neceſſitudinis vinculum accederet. Sumus enim uterque noſtrum divino quodam nutu, in ſocietate bene gerendæ Reipub. non ſolum ejuſdem munere officii, ſed animorum etiam & ſtudiorum conſenſione copulati. Quæ cum ſe res ita habeat, nec jacta ſolum inter nos amicitiæ fundamenta, ſed ipſa ſuper extructa, & plane jam confirmata amicitia ſit, dabimus operam uterque, ut in amore omnibuſque officiis, alter alteri ſatisfacere contendamus, in quo erimus ſemper fide & benevolentia pares. Cætera ut ſors feret, aut ego te factis ipſis atque officiis vincam, aut æquiſſimo animo a te vincar. Illud quidem prior faciam, in quo tuæ partes jam apparebunt ſuperiores, te uti rogem, ut meam abſentis dignitatem, ubi opus erit, defendas, & tueare. Vale Carpent. IX. Cal. Maii M. D. XL.

EPISTOLA CCCLIV.

JAC. SAD. DIONYSIO CARD. S. MARCELLI S. D.

Lætatur falſum de ejus obitu nuncium ſibi eſſe delatum.

Contigit mihi in te, quod haud ſcio an nemini, ut cum te luxiſſem mortuum, repente nec opinato nuncio tuæ ſalutis & incolumitatis, ex ſummo dolore ad ſummam lætitiam traducerer. Sic enim fuerat ad me ſcriptum, te contracto in Hetruria morbo in oppido Luca, opinor, graviter ægrotum, delatum Florentiam, poſt aliquantum temporis diem extremum tuum obiiſſe (a), quæ res animum meum

(a) Obiit autem Dionyſius iſte Laurerius *Cardinalis S. Marcelli* vulgo dictus haud multo poſt Romæ, die ſcilicet XVII. Septembris anni 1542. ut diximus paullo ſuperius ad epiſt. CCCLII. pag. 199.

meum valde perturbarat. Nam cum propter insignem benevolentiam, qua te sum complexus, & quæ est cum amicitiæ nostræ, tum tuis virtutibus debita; tum vero etiam, quod brevi tempore post meum a vobis digressum, multis ex nostro ordine clarissimis viris, eisdemque mihi amicissimis & me & Remp. fortuna spoliarat; mihi tua mors cumulum maximum attulisset doloris; nisi meliora Deus de utroque nostrum constituens, & tibi salutem nobis quidem peroptatam, reddidisset, & mihi molestiam ac mœrorem abstersisset. Cui quidem Deo omnipotenti & immortali maximas (uti debeo) & meritas gratias ago. Nunc, mi Dionysi, quoniam salvus & sospes nobis es restitutus; tuæ erit posthac virtutis & diligentiæ, dare operam, eniti, efficere denique, ut valetudinem bonam tuearis & custodias, nosque qui te diligimus, lætis de te nunciis quotidie afficias, quod erit nobis abs te omnium rerum gratissimum. Illud quidem arbitror a me peti non oportere, ut conserves memoriam nostri, non enim dubito, quin par mihi in officio & in omni fide benevolentiæ esse velis. Tantum te rogo, tibi ut persuadeas, me & percupidum & peramantem esse tui. Vale.

EPISTOLA CCCLV.

LUD. REGIUS (a) JAC. SAD. CARD. *Carpent.*

Sadoleti amicitiæ cupidum sese ostendit.

CUM arderem incredibili cupiditate tui videndi, essemque propediem iter ad te habitu-

(a) Ludovicus Regius Parisiis seu ut aliis placet Cosedii Galliæ Celticæ urbe honesto loco natus, magnos ab

biturus perfruendæ sapientiæ tuæ causa, ne plane ignotus aut novus hospes accederem, constitui prius hisce literis aditum mihi patefacere ad tuam familiaritatem. Principio autem epistolæ a te peto, vel potius omnibus precibus oro & obtestor, ne me existimes repentina aliqua voluntate aut fortuito ad tuam amplitudinem meis officiis amplectendam incidisse. Aliquot enim sunt anni ex quo literis me dedidi, cum te unum delegi quem præcipue colerem, & cui essem amicissimus. Neque enim fas

ab ineunte ætate in artium studiis optimarum progressus fecit. Egregium enim ac peracre a natura ingenium nactus, omnem suam operam, curam, diligentiam in virtute atque humanitate percipienda collocavit; ad eamque maxime Philosophiæ partem animum appulit, quæ ad leges, mores, disciplinam Reip. pertinet. Postea ad Juris civilis scientiam sese applicare studens, Tolosam rebus prope omnibus nudus est profectus. Nam præterquamquod angusta admodum re familiari utebatur, amici qui ejus profectionem animique levitatem & inconstantiam vehementer improbabant, viaticum ei etiam denegarunt. Tolosam quum venisset, Joannis Pini Rivorum antistitis liberalitate atque opibus ab omnium rerum inopia est sublevatus: qui nihil antiquius habuit, quam ut hominem Græcis & latinis litteris eruditum, a Budæo præterea & Beroaldo sibi commendatum, in suorum domesticorum numerum reciperet. Pinio e vivis erepto, Joannis Mauleonis Convenarum Pontificis contubernio ac familiaritate usus est; ab eoque fratris filium eximiæ spei adoloscentulum iis artibus erudiendum suscepit, quibus illa ætas ad humanitatem solet informari. Vixit deinde aliquantulum cum Ludovico Roberto Tolosano, Philippi Cossæi Constantiensis Episcopi ope patrocinioque adjutus. Atque hujus quidem Cossæi jussu Gulielmi Budæi vitam Parisiis anno 1540. editam, eleganter adcurateque descripsit. Ceterum *Ludovicum Regium* majorem vitæ partem

fas esse ducebam cum mediocres homines humilique doctrina præditos omni studio, omnibus officiis prosequerer, te non observare unum omnium longe optimum atque doctissimum, qui jam pridem opinione omnium principem locum in literis obtines, cujus doctrina, prudentia, integritas, constantia in luce Europæ, in oculis Italiæ & Galliæ, in auribus omnium gentium & nationum est posita, tum vero clarissimis monumentis scriptorum tuorum ad sempiternam hominum memoriam commendata. Quanquam autem videbam alios qui virtutem spectant, & rectam disciplinæ viam ingressi sunt, facillime & in optimam partem cognosci, præterea huic ætati qua nunc sum, laudi dari, si me ad claros & sapientes viros conferrem, tamen ne me in tuam amicitiam insinuarem, & dignitatis tuæ splendor, & authoritatis gravitas hactenus retardarunt, tum etiam humilitas nostra & obscuritas, quodque literis inanibus tibi maximo & spectato viro obstrepere non auderem. Sed cum hoc studium, quod ab ineunte ætate in te habui, quotidie augesceret, nolui committere, ut tibi diutius esset obscurum. Quare si hoc facto tuam benevolentiam consequar, idque obtineam; quod maximopere cupio, videlicet ut in tuis numerer, præclare medius fidius actum esse mecum exi-

---

tem in Italia transegisse, ac præsertim in gymasio Patavino *diu audacem & superbum omnium disciplinarum præceptis expelivisse ingenium*, tradit Papadopolus in ejusdem gymnasii Hist. tom. 2. p. 234. ubi latina ejus opera recenset; atque anno 1579. diem obiisse extremum narrat. Multa quoque scripsit Gallice, de quibus vide Teisserium in elog. tom. I. pag. 34. & 35.

existimabo. Sin hac de spe decidam, neminem tamen tam injustum esse mecum putabo, neminem tam iniquum rerum æstimatorem fore confido, qui id reprehendat; nec quenquam tam durum aut agrestem, qui hoc mihi saltem non concedat, ut quo minus ingenio valeo, eo magis reverear optimarum artium disciplinis eruditos homines, meque illis quam maxime velim esse conjunctum. Te vero minime omnium improbaturum spero, ad quem omnibus facillimi aditus patere dicuntur; præsertim cum sis natura mitissimus, moderatione & æquitate animi temperatissimus; lenitate commodissimus. Sed quantum tuo judicio tribuendum nobis putes, statues ipse his lectis literis, & ut spero statues ex sententia nostra. Quamobrem illud te vehementer etiam atque etiam rogo & oro, ut si minus doctrinæ gratia, cujus ab initio ætatis summe studiosus fui, observantiæ quidem plane in te meæ & inductionis animi, atque hujus propensæ erga te voluntatis causa me in fidem atque amicitiam recipias tuam. Sic maximo beneficio, honoreque me cumulabis; tum vero ad virtutis studium & optimarum artium multo magis allicies atque excitabis. Unum hoc sic habeto, te majoris observantiæ officiique erga te, si me complecti volueris, habiturum neminem. Vale, Tolosæ VIII. Idus April. M. D. XL.

Ceterum Casteletus ὁ τῶν τῆς ἐκκλησίας ἱσμοφύλαξ, vir omni virtute officioque ornatissimus mihi magnopere author fuit, ut aliquando ad te scriberem. Qui ut mecum amicitiam instituit, nunquam ex eo tempore ad te ut scriberem destitit hortari. Et quanquam vix datur mihi vacuum ullum tempus a juris civilis studio, nec

impe-

impedito animo occupataque opera tam inscite tamque inepte ad eloquentissimum hominem scribi oportere semper putavi, tamen amicissimo viro idem sæpius roganti negare nolui, atque adeo petenti recta & honesta malui quoquo modo satisfacere, quam pati ut frustra ab eo toties rogatus viderer. Cunctantem vero me & quasi verecundantem, incitavit hic sodalis dominicnius, vir eruditissimus atque integerrimus, qui expleto munere concionandi, quo superioribus diebus hac in urbe magno hominum concursu, summaque famæ celebritate executus est, Carpentoractum recta contendere se dicebat. Is si quid vellem, ad te literas perlaturum recepit. Itaque peropportunam occasionem nactus, mihi nolui deesse. Tibi velim hoc meum in scribendo studium probari similiter atque cetera solent, quæ ab optimo animo proficiscuntur. Vale iterum

EPISTOLA CCCLVI.

J. SAD. FEDERICO FREGOSIO CARD. (a) *Rom.*

Quod serò de adepta Cardinalitia dignitate cum eo gratuletur, sese excusat.

PRimo illo nuntio, quo te, quanquam absentem & totius negotii ignarum, præclaro tamen Pontificis Max. de tua virtute & dignitate judicio, magnoque consensu bonorum omnium, in amplissimum ordinem S. R. E. Cardinalium cooptatum cognovi, cœpi equidem eam

(a) Vide not. ad Sadolet. vit. pag. IX. Consule præterea quæ de Fregosio diligenter eleganterque congessit vir clarif. D. Maurus Sartius Abbas Camaldulensis in suum de Episcopis Eugubinis Commentarium pag. 216.

eam voluptatem, quam vetus nostra conjunctio, & insignis ac mutuus inter nos amor postulabat. Sed vere dicam, in ea animi mei lætitia, & gratulatione, majorem duxi rationem meæ commoditatis, quam aut utilitatis aut dignitatis etiam tuæ. Nam tibi quidem ipsi pro tui nominis fama, & multarum ac magnarum celebritate virtutum, quæ in te elucent, non multum mihi afferre atque addere videbatur ista honoris accessio. Ego vero, qui talem collegam essem nactus, socium in consiliis, conjunctum olim quidem in vita & in amicitia, nunc etiam in Repub., omni laude virtutis, prudentiæque præstantem, charissimis mecum constrictum summæ benevolentiæ vinculis, non potui non efferri maximo gaudio, reputans identidem ipse mecum, spem fruendæ tuæ optatissimæ consuetudinis, qua mihi quondam neque dulcius quicquam fuit, neque honorificentius aut restitutam mihi denuo, aut certe ostentatam esse. Video enim, si ita res tulerit, ut mihi ad Urbem omnino sit redeundum, habiturum me tecum familiaritatem quidem eandem quam prius, utilitatem autem in eo genere majorem, quod te optimorum in Repub. consiliorum non tam comitem, quam ducem habiturus sum. Quod utrique nostrum hoc etiam arbitror futurum esse jucundius, quod habebimus magnos viros, omnique præditos virtutis & religionis studio, integerrimos ornatissimosque Cardinales Contarenum, Polum, Bembum; aliosque satis multos, qui de Repub. optime sentientes, & animorum concordia & suavitate convictus nobiscum conjuncti erunt. Hæc igitur erant, quæ primo illo tui honoris nuntio ego cum animo meo tacitus agitabam, non tam

de

de te, quam de me ipso cogitans, qua quidem cogitatione non mediocriter oblectabar. Tibi autem ipsi, ut ne tum subito gratularer illa res effecit, quod statuebam mihi prius expectandum & factum esse & judicium tuum. Anceps enim animi eram, neque certum habebam, quid esses facturus. Memineram enim superioribus comitiis, quibus nos adlecti in senatum fuimus, te vel recusasse quodammodo honorem eundem istum, qui ad adipiscendum facilis tibi fuisset, vel certe non curasse (a). Qua ex re etiam magnam te laudem consecutum intelligebam. Sic enim tum omnes judicarunt, te magnitudine quadam animi præditum prope singulari, plus in te ipso & virtutibus tuis honoris, quam in externis istis insignibus repositum putasse. Nunc mutata tota ratio est. Ut enim magni tum animi fuit, negligere honores, sic nunc oblatos ultro repellere & Pontificis optimi liberalitatem aspernari, superbum certe extitisset. Quam te vitasse offensionem, & Dei vocationi ac Principis voluntati non restitisse & mea & tua & Christianæ Reipub. causa vehementer gaudeo. At nunc tibi gratulor, idque ago & animo amicissimo & incredibili cum lætitia, sero fortasse, si dierum & temporis ratio sola putetur. Sed hujus tarditatis culpam infirmitas meæ valetudinis sustineat, quæ me perdiu detinuit, ut fungi ipsemet officio scribendi non possem. Nec tamen in gratu-

(a) Probat id Raynald. in Ann. ad an. 1536. n. 49. ex Diario Petri Pauli Gualterii Aretini, in quo hæc leguntur verba. *Item Archiepiscopus Salernitanus licet Cardinalatus fuerit ei liberaliter oblatus, tamen constanter renuit pileum, quod mirum est.*

tulando ero longior, quando nec tibi id magis, quam Reip. est tribuendum, & tu etiam me tacente animum probe nosse & perspicere meum potes. Illud quod ad privatum meum erga te officium pertinet, libentius commemorabo. Ego cum te amavi semper, omnique honore & observantia dignissimum duxi, tum tuis plurimis beneficiis affectus atque ornatus, cui plus debere me confiterer, quam tibi, habui unquam neminem. Non enim oblitus sum perpetuæ tuæ erga me liberalitatis, & contubernii olim nostri, quo tempore domus, & familiaritas tua majori etiam honori mihi fuit, quam commoditati. Quarum ego rerum memoriam conservo, & gratissima mente prosequor. Tulit autem posteriorum temporum fortuna, ut diversis locis occupationibusque distracti, frui suavitate nostræ consuetudinis non possemus, cujus nunc repetendæ ac recuperandæ spes mihi est oblata. Quæ si mihi ut cupio, atque opto, sic ex sententia processerit, perficiam profecto, ut meæ in te observantiæ, summique amoris tu fructus eos percipias, qui maxime vestra amicitia & tua amplitudine digni, tibique præcipue a me debiti sunt. Vale Carpent. IX. Calend. Maii M. D. XL.

EPISTOLA CCCLVII.

J. SAD. GEORG. COELIO LUSIT. (a) *Ulixipionem*

Laudat Cœlii elegans poema.

LIteræ tuæ quas mense Septembri Ulixipione datas ego ad III. Idus Aprilis accepi, sum-

(a) Georgius Cœlius vulgò *Coelho* Lusitanus Græcis Latinisque literis haud mediocriter eruditus, fuit Abbas S. Geor-

ſummam quandam mihi atque incredibilem voluptatem attulerunt. Vidi enim in illis & perſpexi, non ſolum qui tu vir eſſes, quo ingenio, qua doctrina, qua etiam eloquentia præditus; ſed etiam quantopere me diligeres: quo munere atque honore a tali viro præſertim, nihil habeo quod vel optare poſſim præſtantius, quamquam tu in me laudando aliquanto es effuſior. Sed ut ego eas in me laudes non agnoſco, ſic benevolentiam tuam erga me amiciſſime complector, parque in me amoris & voluntatis ſtudium refero tibi atque reddo. Poema tuum (quod patere omnibus neceſſe eſt) omni ex parte elaboratum & elegans, magnopere me delectavit, nihil enim video te ſubterfugiſſe in eo, quo ad mundiciem latinæ linguæ, omneſque in ea lepores & venuſtates pertineat, quas apud nos prope jam intermiſſas, & quaſi obſoleſcentes, tu homo non in latio natus, tam diligenter conſectaris & exprimis, ut aut mutata hominum locorumque conditio, aut latium hinc ad vos videatur eſſe tran-

---

S. Georgii prope Conimoricam. Ac in Græcis quidem præceptorem habuit Nicolaum Clenardium, qui (ut Joan. Vaſaeus cap.VI.Chronici ſui refert) Coelium hunc *non carmine tantum, ſed & oratoriis laudibus, adeo bene percultum* fuiſſe memoriæ prodidit, *ut paucos crederet tam prope ad puritatem accedere Ciceronis: Iſocraticam certe jucunditatem lenitatemque ſic referre* ſolitum, *ut parem non viderit* Et ſane ejus opera in epiſtolis conſcribendis Henricum Cardinalem Emanuelis Portugalliæ regis filium uſum fuiſſe conſtat: & Gaſpar Barrerius, Garſiæ Meneſiii Luſitani orationem quamdam ad Sixtum IV. P. M. habitam ejus nomini inſcribens, hominis ingenium, doctrinam, eloquentiam magnopere commendat. Cœlii opera metrica recenſet Cardoſius in Agiologio Luſitano pag. 667.

translatum. Sed ut cætera in tuo carmine digna approbatione, sic illud maxime laudandum extollendumque est, quod veræ atque incorruptæ religioni patrocinium præstas, quæ religio in hoc tempore calamitoso, oppugnata undique atque vexata, quo pauciores habet a quibus & legitime & fortiter defendatur, hoc magis ipsa suorum defensorum & nomen & memoriam tueri debet, & cum illis præmia apud Deum immortalia parata sint, humanos quoque honores impertire. Quorum quidem in numero te egregias tenere partes, præclara illa Christiana patientia, quam carmine tuo tam accurate illustras, vel in primis ostendit. Sed hæc hactenus. Ego & benevolentiam erga me tuam magni facio, & meam tibi non minorem polliceor, tibique hoc sic persuasum esse volo, me in omnibus officiis, quæ fidelis amicitia requirat, nec studio nec voluntate tibi unquam defuturum. Vale Carpentor. V. Non. Maii M. D. XL.

EPISTOLA CCCLVIII.

AL CARDINAL FARNESE (a) *a Lione*

Paulum Sadoletum fratris patruelis filium ad eum suo nomine venerandum, Lugdunum mittit.

QUel che per la mia prima obligazione, che io ho con N.S. e per li nuovi beneficii, che io ricevo tutto il giorno da Sua Santità e da V.S. Reverendiss. e da tutta la sua Illustrissima Casa, averei sommamente desiderato di fare io medesimo, se l' età, e gli anni miei me

(a) De Alex. Farnesio, vid. not. par. 2. pag. 350.

me l' aveſſero facilmente conceſſo, cioè di venir preſenzialmente a Lione per viſitare, abbracciare, e far riverenza a V.S. Reverendiſſ. in queſto ſuo ritorno, mando Paolo mio (a), perche in mio luogo l' eſeguiſca, e come quello, che è non ſolamente conſcio, ma eziandio partecipe dell' affezione e grata volontà, che io tengo verſo la voſtra Illuſtriſſ. Caſa, poſſa eſporle e far teſtimonio di tutto l'animo mio più pienamente, che le lettere non baſtano a fare; ſe però egli ancora ſarà baſtante a narrare le infinite obbligazioni che io non ſon già o appena ſono baſtante a ſoſtenere. V. Sig. Reverendiſſ. ſarà contenta nella perſona di lui di conoſcere ed accettare il cor mio; e non tanto dalle mie lettere, ne dalle parole ſue, quanto dalle coſe iſteſſe, e dalla mia natura allevata per molto tempo negli ſtudi, che c' inſegnano la gratitudine e vera umanità, voglia per la bontà del ſuo ingegno comprender ella medeſima, quanto ſia in effetto l' obligazion mia, ancoracchè per la disgiunzion de' luoghi io ſia privato dell' occaſion di poterle dare di ciò quelli preſenti indizi, che alle volte deſiderarei. Ma non però dubito punto, che benchè io non ſatisfaccia agli occhi di Noſtro Signore e di voſtra Signoria Reverendiſſ. cotidianamente, ſatisfarò nondimeno all' animo ed all'onor loro, come per relazione di molti, ſpeſſo potranno intendere. Piacerà a V. S. Reverendiſſ. dare al prefato Paolo quella compita fede, che daria a me medeſimo, e farmi grazia ella ſteſſa, così nobil mezzo, com' ella è, di raccomandarmi al mio Reverendiſſ. Fratello e Sig. Monſignor

(a) Vide hac de re epiſtolam quæ ſequitur pag. 214.

signor Marcello (a), ed a lei con tutto il cuore sempre mi raccomando. Di Carpentras à XVIII. di Maggio M. D. XL.

EPISTOLA CCCLIX.

JAC. SAD. ALEX. FARNESIO CARD. *Rom.*

Dolet illius subito discessu bis jam frustratam fuisse cupiditatem sui erga illum amoris declandi; & de præstito a Farnesio populis suis auxilio contra Judæos ait se memorem semper futurum.

ACceperam ex Urbe literas, te a summo Pontifice e Belgis Romam esse revocatum futurumque in via ad medium mensem Maii. Quod simul atque cognovi, statim misi Paulum meum obviam tibi Lugdunum, & simul cum eo ad te literas, ut quoniam præsens ipse non possem, illo modo te salutarem, & obirem absens meæ in te observantiæ munia, quæ, coram cum sum, libentissime tibi præstare soleo. Accidit autem celeritate tua, & studio properandi, ut Paulo non fuerit necesse Lugdunum pervenire. Cum enim abesset ab ea civitate diei unius iter, certius factus est amicorum literis, quibus negotium hoc fuerat datum, te repente ante omnium expectationem eo venisse, statimque profectum, nec punctum fere temporis Lugduni commoratum esse. Quocirca ille meis Lugdunum missis literis, quæ te, quoad fieri posset, consequerentur, ad nos reversus, hunc mihi nuntium retulit. Accepi dolorem scilicet, quod cupiditas mea mei officii atque amoris tibi declarandi, bis jam conan-

(a) Cervino scilic., de quo vid. not. p. 133. hujus partis.

conanti mihi, irrita cecidisset. Sed tamen me consolatus sum quod existimavi studium tuum perveniendi ad Urbem, meo tui videndi studio anteponendum esse. Nunc rursus cum ad me scriptum sit, te salvum atque incolumem ad tuos rediisse, magnamque esse lætitiam ex tuo adventu Romæ concitatam, volui tibi his literis non gratulari solum, quod faustum & fortunatum iter habuisses, multaque ex sententia & tua & avi tui Principis sapientissimi cum Cæsare confecisses, sicut amantissimo & deditissimo animo tibi gratulor, sed etiam gratias quam maximas possem agere, quod tua commendatio rerum causarumque nostrarum, hoc est provinciæ hujus, quam ex Urbe discedens apud animum Pontificis reliquisti, usque eo nobis profuit, ut simus omnia quæ voluimus, quæ ad horum fidelium populorum fortunas ac salutem potius, adversus Judæorum improbitatem, ac fraudes tuendam, pertinebant, ipsius non solum æquitate & justitia, sed summa etiam clementia & benignitate consecuti. Qua in re tuus consanguineus Ascanius Sfortia, singulari virtute, & supra ætatem prudentia præditus adolescens; dignissimus eis honoribus, quibus tecum simul fruitur, nobis amicissime & constantissime suffragatus est. Quapropter cum quoquo me verto, habeam vestigia ante oculos vestrorum plurimorum erga me meritorum, nihilque jam sit, quod non vobis debeam, vel in honoribus, vel in vita, vel in fortuna; potestis existimare, si me institutum optimis artibus esse cognoscitis, neminem vos habere; qui majore studio, benevolentiore animo, sanctiore observantia, vobis & nomini, honorique vestro inservire paratus

ratus sit. Sed hæc hactenus. Ego cum tecum postremo Avenione locutus sum, visus sum videre imaginem in te quasi florescentem in ætate viridi, egregiæ gravitatis, ejus videlicet, quæ maxime solet decere nobilitatem, quæ sit cum humanitate comitateque conjuncta. Itaque tum a te gaudii plenus discessi, nec destiti postea hoc de te & sentire & prædicare. Nunc Cæsar Trivultius Episcopus Comensis, vir doctus & prudens, reversus è Gallia, idem ait & sibi & compluribus eorum, qui judicare sciunt, in aula Regis, cum illac iter fecisses, fuisse visum, magnamque opinionem & spem de tua futura virtutis amplitudine, in qua vera inest dignitas, in animis multorum conceptam esse. Cujus hæc oratio & de te testimonium, pristinam illam animi mei lætitiam renovavit. Quid enim est quod auribus meis accidere possit jucundius? Tu verò macte virtute, qui tam diligenter exprimas domestica exempla & prudentiæ & gravitatis. Et nimirum nulla est species usquam præstabilior quàm humanitatem cum gravitate ita habere temperatam, ut altera alteri non modo impedimento nulli, sed decori etiam & ornamento potius sit. Difficilis omnino res, sed in quo ea inest, is divino quodam spectaculo oculos atque animos hominum cunctorum commoveat, necesse est. Cujus te ab ingenio, & a natura præclarissimi doni, compotem jam factum esse, vehementissimè lætor; Sed de his etiam satis. Illud amabo te, mi Farnesi, suscipe, & supple quod mihi deest, ut quas ego dignè non possum, tu Pontifici Maximo non meis solum verbis, sed tuo etiam nomine agas gratias. Nam quæ ad nos ab illo beneficia profecta sunt

ea

ea tibi ab eo primum data, per te vero deinde ad nos transmissa sunt. Quare tu quidem illi; ego ambobus vobis maximam gratiam debeo. quam equidem sanctam, & inviolatam perpetuo sum servaturus. Vale & nos dilige. Carpentoracti Prid. Non. Julii M. D. XL.

EPISTOLA CCCLX.

JAC. SAD. GUIDO ASCANIO SFORTIÆ (a) *Rom.*

De negotio provinciæ suo confecto ei agit gratias, ostenditque quomodo deinceps cum Judæis, ne populo suo denuo officiant, agi debeat.

ETsi acceperam jam pridem a te literas, quibus mihi significabas negotia hujus provinciæ, qua pertinet ad Judæos ita per te confecta, easque Judæis esse vivendi leges impositas, ut nihil jam nos posthac quod hoc nomine possemus jure conqueri, habituri essemus, tamen in maxima mea, quam ex eis literis cœpi lætitia, assiduaque cogitatione tuæ virtutis, quæ mihi in animo semper infixa est, ad eas adhuc nihil rescripsi, non negligentia, sed valetudine retardatus. Nam cum tuæ essent eo tempore mihi allatæ literæ, quo contigit ut minus belle me haberem; postea vero quam melius mihi esse cœpit, esset jam in expectatione legatorum reditus, qui harum rerum agendarum causa Romam missi, de suo jam ex Urbe discessu literis significarant, commodissimum duxi eos ante audire, quam ad te scriberem. Qui ut tandem advenerunt, ad VII. Calend. Ju-

(a) Consule notas in Epist. CCCXXXVI. hujus partis pag. 141.

lii omnibus rebus expositis, quas in Urbe gesserant, diplomatisque prolatis, quæ ibidem obtinuerant; maximas apud suos cives gratias egerunt, primum Pontifici Max. cujus justitiam, clementiam, sapientiam, summis in cœlum laudibus extulerunt; deinde tibi; quo uno authore adjutoreque potissimo perfectum esse dixerunt, multis contra nitentibus & pro Judæorum causa acriter pugnantibus, ut adversus æquum atque bonum contraque commoda & salutem Christianorum, nihil Judæorum astutia, nihil importunitas, nihil pecunia, nihil promissio donorum largitionumque valeret. Quam ego laudem tuæ innocentiæ, rarissimæque virtutis, ista præsertim ætate tua, hisque hodiernis moribus omnium honoribus atque fortunis longe anteponendam judico. Itaque, mihi credas velim, cum magna voluptate afficerer, legatis talia commemorantibus, ex lætitia & gratulatione meorum civium, quos, vere dicam, patrio animo & Christiana charitate amantissime complector; tum illud mihi etiam magis ad novam quandam & singularem animi jucunditatem valuit; quod te in cujus amore & benevolentia ardens sum, quem colo atque observo habeoque semper in intimis meis mihi propositum sensibus, justissimam videbam gloriam consecutum, non solum æquitatis & integritatis sed singularis etiam constantiæ eximiæque animi virtutis. Etenim quid vel in bona ratione firmius ea mente & voluntate dici aut cogitari potest, quæ honestate sibi dignitateque proposita nullis hominum artibus & machinis a recto sensu se dimoveri passa est? vel ea iracundia & permotione animi generosius, qua tu jure optimo incensus, eorum inter-

terpretationes & additamenta, qui diplomatis sententiam ad commodum Judæorum detorqueri volebant, calamo sumpto obliterasti, omniaque ad splendidam & veram rationem redigi voluisti; cum tu homo adhuc adolescens, fortunæ quidem muneribus insigniter ornatus, sed naturæ bonitate ingenioque ornatior; senum morbos & vitia, tua prudentia corrigeres, nec virtutis tuæ lumen aliorum tenebris commaculari sineres. Ac ut de ipsa ratione juris aliquid loquamur, si majoribus nostris, sanctis illis & divinis viris non solum verum pietatis & religionis testimonium, sed etiam doctrinæ & summæ sapientiæ tribuimus; vivatur legibus illis, quas de Judæis illi constituerunt. Quod si quæ sunt præterea amplius Judæis data, concessa, permissa; facile ipsa se ostendunt quibus e radicibus nata sint; cum perspicuum sit apud omnes, non fuisse illa æquitate impetrata; sed nescio quo pacto, occultis certe artibus & tanquam cuniculis obtenta: quid est, quod isti tam diligenter exquirunt mala jura Judæis; qui in Christianis optima, perdita & profligata jacere patiuntur? Neque tamen is ego sum, qui ad antiquam illam continentiam severissimamque rationem redigi omnia contendam oportere; plane enim intelligo hoc contrarium esse temporibus, nec facile mores nostros posse pati, id quod plus divini in se quam humani contineat, ideoque Dei misericordiæ amplior apud nos est locus, quod delicta seculi etiam crebriora existunt. Sed tamen modus omnibus in rebus & modestia quædam servanda est. Si sit dandum aliquid Judæis, semper ita detur, ut ne aperte Christianorum commoda oppugnemus; ut pupillos, ut

viduas, ut homines rusticos & simplices, cæterosque item, qui cum labore corporis, victum sibi & liberis, suis manibus quærunt, vel egestate vel inscitia paratos decipi, ab eorum insidiis & circumscriptionibus custodiamus. Etsi hoc meum quidem optatum serum jam est, sic enim omnia hæc genera hominum oppressa heic atque obruta ære Judæorum sunt, ut nisi subsidio fuerit tua virtus & Pontificis optimi sapientia, pecuniarum Judæis debitarum exactio sine maxima clade & vastitate totius provinciæ, fieri nullo modo possit. Quanquam & ut bona ex parte his malis providisti, & nos ad eundem Dominum & patrem, non modo nostrum, sed totius nominis christiani confugiemus, ubi res postularit, cujus tantam benignitatem atque justitiam in his ipsis curandis de quibus agimus provinciæ vulneribus paulo ante experti sumus. Nunc cum res hoc tempore in optimum locum Pontificis Max. beneficio & tuo simul adducta sit, populisque hisce dignis certe multas ob causas quorum magna habeatur ratio, vel ad remunerandum eorum fidelitatem, vel ad vestræ benignitatis exemplum, quo quidem circumjectas undique huic regioni maximas nationes commoveri necesse est, optime ac liberalissime a vobis sit consultum; reliquum est, amplissime & mihi omni ratione charissime Sfortia, ut quæ bene acta & constituta sunt nulla apud vos cujusquam machinatione labefactentur. Scio fore non paucos, qui Judæorum pecunia conducti (nulla enim alia potest subesse tam iniquo patrocinio causa) hæc ipsa, quæ per vos nobis concessa sunt, conabuntur evertere; non solum obliquis viis, sed interdum etiam recta & palam, onera & tri-

tributa Judæorum exponentes eaque verbis & querimoniis adaugentes, quæ ærario Principis ab illis inferuntur, quæ dependere, nisi habeant ipsi creditarum pecuniarum suo arbitratu exigendi facultatem, Judæi nequaquam possint; ut animos vestros non splendore honestatis, qui apud vos præcipue semper debet valere, sed utilitatis, & lucri mentione commoveant. Quos contra dicendum est, Judæos in his regionibus abundare non pecuniis solum, sed & agri etiam & prædiorum & horum bonorum quæ loco moveri non possunt, esse ditissimos, quæ bona ad publicum principis tributum persolvendum abunde sufficiant. Ad privata fortasse tributa nonnullorum necessaria illiusmodi est exactio, quæ utcum iniquitate & injuria impune fiat, idcirco illæ clam aliquibus suppeditantur pecuniæ. Sed ne hæc impræsentia verbis pluribus disputemus; illud a vobis petimus, quod æquissimum est, si quid forte aliquando venerit in controversiam, resque aliquas rescindi aut commutari petitum fuerit; ut vos meis civibus vocatis, locum illis quoque suæ tutandæ causæ præbeatis. Quanquam non hæc nunc admodum nobis pertimescenda sunt, te patrono & defensore rectissimi juris, qui & in præteritis rebus tuæ optimæ mentis dedisti documentum, & de futuris facis ut eadem confidamus. Nam per Deum immortalem, si nos excellens aliquod consilium, & magnam quandam sapientiam quærere studuissemus, quæ his populis rationem suæ expediendæ salutis ostenderet, qui potuimus majorem, quam in te ipso reperire? Si fidem, virtutem, abstinentiam, integritatem, tanta ea in te eluxit, tamque illustri in causa decla-

rata est, ut laudis tuæ splendor, non contentus jam Italiæ terminis ad nationes exteras progrediatur. Quorum quidem alterum in tua ista ætate admirabile valde est, alterum in his moribus. Sed ut hæc missa faciamus, aut in aliud tempus ea reservemus; ego de meo erga te officio pauca tibi exponam. Jamdudum enim est, optime Sfortia, cum de indole tua & spe præstantissimæ virtutis præclarum judicium feci: porro ea mihi de te quotidie magis duplicatur opinio. Non enim jam initia in te virtutis, sed virtutem ipsam intueor, & quidem expressam atque perfectam omnium bonarum artium & partium lineamentis, quæ verum tibi honorem & veram dignitatem semper allatura est. Nam opes hæ & divitiæ quæ extra nos sunt, si animus intus a bonis artibus vacuus sit, nihil omnino ad nos pertinent. Una & sola est virtutis integritatisque possessio, quæ nos faciat beatos. Quam te jam adeptum esse, in ejusque possessione consistere, & gratulor tibi & pro tantis erga populos meos meritis debitas gratias ago; quas ut aliqua ex parte aliquando referam, jam nunc mihi magnopere videndum & cogitandum est. Nos heic confecta messe, consilium totius provinciæ convocaturi sumus, vestraque beneficia in medium coram omnibus prolaturi, quo tempore dabitur a me opera, ut quam ad rem hæ gentes suapte natura & sponte propensæ sunt, meis etiam monitis hortationibusque excitentur, ut non obscuro videlicet aliquo indicio eorum grata erga vos voluntas, & memoria accepti beneficii appareat. Vale Carpentoracti Prid. Non. Julii M. D. XL.

EPI-

EPISTOLA CCCLXI.

J. SAD. ALEXAN. CÆSARINO CARD. (a) *Rom.*

Idem argumentum.

QUA tu virtute, qua authoritate & constantia, causam horum populorum in Urbe tutatus esses, fuerat mihi quidem a meis scriptum, imprimis a Carolo Gualteruccio, qui & mihi amicissimus est & tuæ amplitudinis (ut multis ex rebus cognovi) studiosissimus. Sed novissime legatus provinciæ huc reversus, apertius omnia & certius explanavit; idemque demonstravit civibus suis, quod vetera jura & beneficia Romanorum Pontificum, quæ huic nationi, pro singulari ejus erga istam sanctam sedem fide, & obedientia sæpius concessa, tributaque sunt, nova Pontificis approbatione firmata fuerint, tua id potissimum authoritate & gratia fuisse effectum. Quam legati orationem commemorationemque maximi abs te accepti beneficii, summa ab his populis laus & summa benevolentia consecuta est. Itaque nomen heic tuum in magna nunc gratia & gloria est. Nos autem cogitabamus, ut primum esset messis facta, convocare totius provinciæ consilium facereque omnes earum rerum, quæ in Urbe essent gestæ, participes. Quod cum fiet, si bene ego horum hominum animos perspectos habeo, non commissuros puto, ut in ingratos tantum tuum donum collatum esse videatur. Nec tamen ultra progredientur, quam ut de fructibus provinciæ aliquid in istam Urbem

(a) De Cæsarino vid. quæ diximus superius in not. ad epist. CCCXXXVII. pag. 144. hujus tertiæ partis.

mittant, quo patronis & defenſoribus ſuis optimum ſuum animum poſſint declarare. Sed hæc quæ alienæ poteſtatis ſunt, parcius a me ſunt prædicanda. Quod autem proprie ad me ipſum pertinet, cum intelligam, te in hoc patrocinio populis meis præſtando, magnam honoris mei habuiſſe rationem, & ad tuam præſtantem beneficamque naturam aliquid momenti & ponderis addidiſſe eam benevolentiam qua me proſequeris; vellem equidem, ſed non invenio apta verba, quibus tibi agam meritas gratias. Sed tamen, quas oratione exponere non poſſum, ut tibi aliquando rebus ipſis referam, omni amore, fide, ſtudio, diligentiaque curabo. Quapropter hoc officium in tempus aliud magis commodum reiiciamus. Ego, quod ſemper maximo opere optavi, poſteaquam ſum tua bonitate conſecutus, ut in fidem tuam clientelamque reciperer; te rogo atque oro Cæſarine præſtantiſſime, ut eodem erga me animo eſſe perſeveres. Principia mei abſentis tuendi atque fovendi, a tua nunc libera voluntate profecta ſunt, fuerunt enim tota humanitatis & liberalitatis tuæ. Nunc legem tibi ipſe benignitatis conſtantiæque tuliſti; qua quidem lege ſummi viri & nobiles & magnitudine animi præcellentes, libenter aſtringi ſolent. Quorum tu ſimilis & par, etiam hoc genere virtutis atque officii nemini futurus es ſecundus; ut qui ſe tibi ſemel addixerunt, eos tu ſemper tua gratia authoritateque protegas. Ego quæ meæ erunt partes, operam aſſidue dabo, ut neque de tua erga me benevolentia, neque de mea in te obſervantia rubore unquam ullo afficiare. Vale, Carpentoracti Prid. Non. Julii M. D. XL.

EPI-

EPISTOLA CCCLXII.

JACOBUS SADOLETUS CARDINALIS

Franc. Fregepani Ungharo Ep. Agriensi S. D.

Hortatur eum, ut adversæ fortunæ incommoda fortiter ferat, atque Carpentoracti sibi paratum perfugium judicet.

ETsi literæ tuæ tardissime ad me fuerant perlatæ, tamen cum esset occasio Romam scribendi, nolui prætermittere, quin ad eas responderem. Quanquam mutata temporum conditione, te jam extra periculum & timorem hujus anni esse suspicarer. Nihil enim hostes adhuc moverant, quod quidem fama ad nos pertulisset; neque dum tamen pax inter vos dicebatur esse constituta. Cum tamen præcipitante æstate, hyems ante videatur affutura, quam administrari bellum possit, spes est aut discussum iri, aut in longius tempus collatum id malum, quod te pro tua pietate curaque Reipub. imprimis solicitat. Equidem video res principum Christianorum ita contractas, ut nihil neque sperari boni possit, neque non metui mali. Sed erit ingenii & virtutis & prudentiæ tuæ, primum agere omnia, quantum in te sit, quo imminentibus isti regno e Turca periculis occurratur. Id si autem non poteris, neque erit tuæ facultatis providere; tum tibi ipsi parare aliquod subsidium, quo si ita res cadat, sustentare fugam atque exilium tuum possis. Quanquam quod ad nostram amicitiam & amorem mutuum attinet, ego memet tibi & mea defero omnia, quantulacunque ea sunt. Sed tamen te tuis fortunis frui malo, quam alie-

alienis egere, si tamen alienæ dicendæ sunt, quæ ab amicissimis hominibus libenter deferuntur. Id autem cum in potestate nobis non sit, videanturque casu magis, & temeritate, quam aut hominum consiliis, aut prudentia Principum regi, & pendere omnia; ego qui tutiores & ab omni periculo remotiores oras incolo, perfugium habeo paratum eis omnibus quos & propter necessitudinem & propter virtutem dignissimos statuo qui a bonis diligantur. Quo in numero tu mihi inter primos propositus es. Sed de his satis. Diplomata vestrarum Ecclesiarum nondum vobis esse reddita demiror, videoque ubi resideat culpa. Est enim genus quoddam in nonnullis hominibus sapientiæ quod quibus modis res geri tractarique conveniat, penitus nescit. Itaque etiam quæ bene facta sunt, sæpe ingrata accidunt illis, in quorum gratiam & utilitatem sunt facta. Sed tamen habebam ex Urbe a Marsupinis literas, jus tibi, consecrationem, & Pontificatus (ut mos est) insignia accipiendi, esse datum. Quod idem valere debet ac si ipsum diploma, commendatæ tibi Agriensis Ecclesiæ testimonium habuisses. Quod libertatem tuam homines perperam interpretentur, eamque magis velint superbiam existimare, quam libertatem; noli mirari Francisce optime, in tam corrupto sæculo, tamque servilibus moribus. Utinam vero semper apud nostros Principes libera vox valeret: cujus inopia & egestate est factum, ut aut nulla aut rara consilia ineantur, per quæ decus atque splendor, salus etiam & incolumitas Christianæ Reipub. restitui possit. Sed hæc quæ ab hominibus aut prodita aut deserta sunt, divinis consiliis gubernabuntur. Te quidem sen-

fisse

fiſſe hominum perfidiam, neque ſuis promiſſis ſtetiſſe eos qui te in ſpem illam adduxerant, idcirco non egerrime fero, quoniam nihil video quod ſit expetendum in eo præmio, quod fuerat tibi oſtentatum. Quin lætor magis, quod magnitudinem animi tui agnoſco: quam vehementer probo, magiſque virtuti & conſtantiæ tuæ gratulandum a me eſſe arbitror, quam conſolationem ullam adhibendam. Sed hæc hactenus. Ego etiam nunc Carpentoracti maneo, nec cogitationem ullam habeo digrediendi ex his locis. Literæ tuæ, quanquam triſtioribus curis refertæ me quoque tecum in eandem pene ſolicitudinem & ſocietatem mœroris attraxerunt, tamen in eo mihi fuerunt perjucundæ, quod magnum mihi dederunt teſtimonium tui erga me amoris, qui me potiſſimum delegiſti, cum quo omnia quæ te angebant communicares. De qua re velim ſic conſtituas, te neque fideliorem deligere potuiſſe quenquam, nec amantiorem tui. Vale. Brodericum noſtrum diem ſuum obiiſſe moleſtum mihi fuit, amicum certe hominem & eundem virum bonum prudentemque amiſimus. Iterum vale, Carpent. x Auguſt. M. D. XL.

EPISTOLA CCCLXIII.

JAC. SAD. HERCULI GONZAGÆ CARD. *Mant.*

Primum eum in obitu Federici fratris conſolatur; deinde aliquorum in gubernando vitia detegens, Herculis virtutem ad bene regendam Mantuæ civitatem magis magiſque incendit.

CUm eſſet nuntius ad nos allatus de morte præſtantiſſimi viri, atque omnibus no-

bis charissimi, Federici fratris tui (a), eundem eum cœpi animo dolorem, quem & meus perpetuus erga vos amor, & ratio ipsa temporum, conditioque afflictæ Italiæ postulabat, quæ aliis compluribus incommodis detrimentisque affecta, hoc quoque nunc amisit præsidium, quo videbatur in adversis rebus nonnihil posse sublevari. Itaque luxi non propriam tantum familiæ vestræ, sed communem Italiæ calamitatem, a qua si noster hic dolor disjunctus esset, cætera sane ferenda nobis modice essent. Non enim mihi conveniret, neque tibi, qui spes in Deo nostras collocatas habemus, quique optime novimus, non esse hanc nobis valde expetendam vitam, quæ mortalitate fragilis, & semper infesta est, sed illam alteram potius optandam beatam & immortalem, ad quam nos pietas & christiana religio deducit; unius hominis morte tantopere commoveri, de quo præsertim spe bona nixi essemus, aditum illi in cœlum, atque iter divina clementia esse patefactum. Non igitur inquam id me maxime permovit, quod esset fratris tui, non extincta illa quidem, sed translata in melius & commutata vita. Cogitabam enim primum, nihil illi ipsi omnino mali accidisse. Deinde videbam domui vestræ paratum in tua virtute, sapientia, amplitudineque subsidium, populosque eos, qui vestra ditione imperioque reguntur, sine ullo pene rerum commutatarum sensu, in eadem erga vos fide officioque mansuros,

(b) Federicus II. Mantuæ Dux ortus XVII. maii anno 1500., a Carolo V. Dux creatus VIII. April. an. 1530., mortuus XXVIII. Jun. an. 1540. *Vid. Cafarr. Syntb. vetust.* pag. 158.

furos. Atque in omnibus his rationibus & argumentis appositis ad consolandum, amor tamen ipse tanquam stimulos quosdam doloris admovebat, quos mihi tecum statuo fuisse communes: quanquam tu unius hominis morte mœres, ego & eadem morte, & tuo insuper dolore non mediocriter moveor. Non enim mea erga te vulgaris est benevolentia; sed & magna & multis de causis justissimisque suscepta. Etenim patiere nunc tu quidem me meum de te libere proferre judicium, non enim blandiendi causa loquar, sed vere de te dicam quod sentio. Ego paucos homines mihi vidisse videor, quanquam quid dixi paucos? utinam alter mihi facile veniret in mentem, qui tecum videretur esse comparandus. Sed tamen paucissimos esse judico, qui tanta in nobilitate, tantam mansuetudinem, in tam amplis domesticis copiis, tam modestum earum usum, in tam corruptis horum temporum moribus, tantam æquitatem, temperantiam, moderationem animi præstent atque exhibeant, quanta in te mihi cognita jampridem, atque perspecta est. Sunt alii insignes viri, atque in Collegio præcipue nostro, omniumque virtutum laudibus excellentes, quibus suus honor, & sua debita laus tribuenda est. Sed tua ista præstans eximiaque nobilitas, consociata pari adjunctaque virtuti, omnia facit majora atque illustriora. Accedit id quod maximum est, & quod ego pluris facio quam reliqua omnia, quod *timorem* illum *Domini*, quem *initium sapientiæ* vocant sacræ literæ, qui autem eas literas subtiliter & pie interpretati sunt ex illo non inchoari modo, verum etiam perfici sapientiam disseruerunt (non enim eum ex eo gene-

genere timorem esse, quem eiiciat foras atque expellat, sed quem augeat magis & confirmet ipsa charitas) hunc timorem inquam, qui est robur animi nostri, & fortitudo, per quem Deum nobis ante oculos ponimus, arbitrumque eum & judicem omnium nostrarum actionum constituimus; in tuo versari animo atque hærere semper sensi. Quo non majus mihi neque certius argumentum confirmatæ in te ipso virtutis egregiæque in Christianam Rempub. voluntatis, ullum offerri potest. Sed quorsum hæc? Non enim sine causa hæc suscepta est impresentia tuarum a me virtutum commemoratio. Dabit porro mihi vel ætas mea, vel tua potius humanitas, fiduciam, & libertatem, quæ visa fuerint, loquendi. Non enim aut non vera, aut non cum maxima tui charitate loquar. Ista in te peregregia quæ dixi, faciunt ut veniam in rerum pulcherrimarum spem, abs teque requirere & postulare audeam, ut omnium oculos hoc tempore in te putes esse conjectos. Certe enim impositum tibi est regere Mantuæ civitatem, illosque una populos qui familiæ vestræ, fidei, curæ, vigilantiæque commissi sunt. Sic enim fraterna necessitudo, & tutoris nomen tuaque imprimis dignitas postulat. In quo videndum tibi est, Hercules optime & præstantissime, in quem & rerum statum & temporum, tuum hoc munus incurrat. Habemus patriam omnes Italiam, quam ut charissimam parentem diligere debemus. Ea porro hac ætate quemadmodum perdita afflictaque sit, nec solum domesticis malis, sed externis etiam periculis terroribusque concutiatur, obscurum nemini est. Patet enim neque oculos solum ea res nostros, sed intimos

etiam

etiam sensus & cor ipsum vulnerat. Quid ergo est? omnes qui illius sumus alumni, officio fungi ac pietate debemus, & tanquam parenti optime meritæ opem pro se quisque & auxilium afferre. Nec tamen imminentibus aliunde & extrinsecus malis obviam vere unquam ibitur, nisi prius domestica fuerint emendata, atque correcta. Quibus utinam mederi utriusque nostrum esset, vigeret summa inter nos profecto salutis & dignitatis publicæ constituendæ concordia. Quod etiam non leviter tentatum quandoque est, ut videremus quid proficere possemus. Nunc quando ego penitus exclusus sum, tuque in eum locum adductus, ut si non re tota, neque universa potestate, at præclaro tamen recte imperandi beneque regendi exemplo, plurimum opis ferre laboranti patriæ possis; ego tibi exponam breviter, quæ in hac re dicenda meo animo concurrunt, & tu plura etiam & meliora pro tua sapientia cogitabis. Omnium malorum, exitiorum, calamitatum, quibus per hosce annos vexata Italia est, & nunc cum maxime ad interitum prolabitur, fons & origo (mea quidem sententia) ex prava ratione gubernandi populos manavit; quibus ad eum modum principes imperant (de iis loquor qui in culpa sunt) ut illos non in numero hominum, sed in gregibus videantur habere mancipiorum. Ad semetipsos enim in gubernando omnia referunt, non (quæ vera est principatus ratio & via) salutem suorum & commodum spectant populorum. Ita fit, ut nec ipsi jam qui imperant, dignos imperio ulla ex parte gerant animos, & quibus imperatur, hi assiduitate onerum & acerbitate exactionum exhausti, oppressi, lacerati, tanquam omnia

jam

jam desperantes, lucem quodammodo fugiant, omnemque virilem animi motum atque sensum abiicere cogantur. Nam dum omnibus rebus & fructibus & operibus & advectionibus atque evectionibus, ipsis etiam itineribus & viis passim vectigalia imponuntur, nominaque conquiruntur tributorum indicendorum, nihilque tam tenue, neque tam vulgare, neque tam sordidum est, quod suo onere portorii permittatur vacare; fitque ita quotidie; nec in cogendis quacunque ratione pecuniis tempora discernuntur, servitque ista exactio deliciis, non necessitati, primum illi qui sic imperant, mergunt ipsi sese in curas ignobiles & contemptas; fractumque minutis illis & quotidianis solicitudinibus animum, nullam ad rem splendidam & principibus dignam viris queunt attollere. Non enim idem laudis & sordium domicilium esse potest; neque in qua mente pecuniarum summulæ, subductiones, ratiunculæ, omnibus pene versantur horis, in ea mente licitum est consiliis præstantibus, non modo sedem suam, sed ne vestigium quidem ponere. Nemo igitur, hujusmodi jam populorum rectores amplum aliquid de Repub. & de sua dignitate cogitare existimat; & unde lumen aliquod possit miseræ Italiæ atque extrema metuenti, melioris spei salutisque illucescere. Quid? qui serviunt his & subjecti sunt; sic tractati & exinaniti, & vexati, afferent ne unquam animos ad laudis spem & cupiditatem gloriæ erectos? ut eorum aut in pace consiliis, aut fortitudini in bello possit acquiesci? Minime istud quidem. Itaque quod accidere & sequi talia in gubernando consilia necesse est, omnia & in moribus hominum nostrorum, & in volun-

voluntatibus, hac quidem ætate, usque eo sunt inquinata, perversa, corrupta, conturbata, nullum ut antiquæ illius virtutis & præstantis disciplinæ, in genere hominum suapte natura nobilissimo eodemque fortissimo, vestigium appareat, quod totum ex prava & imperandi consuetudine & parendi usu, evenire cernitur. Et sunt qui mirentur cur generosos illos spiritus, & magnificos animos, quorum apud majores nostros tanta redundavit copia, jam diu parere & procreare Italia destiterit? Quasi vero non videamus, etiamsi indoles & natura seminis bona sit, prava tamen cultura & præpostera educatione eam corrumpi. Esset eadem nimirum Italia, quæ jam fuit, si eadem qua quondam, disciplina, eisdem item consiliis institutisque regeretur. Cujus ineundæ recte gubernandi rationis & viæ, cum Principum virorum sit potestas; idcirco paulo ante dixi, licere nunc tibi divino quodam (ut arbitror) consilio, præclarum imperii & populorum gubernationis exemplum, tua ipsius virtute atque prudentia, ante oculos omnium ponere & constituere, quod imitentur, si qui forte erunt qui semetipsi & ancipitem ac dubium suarum fortunarum statum, exitiumque impendens parenti nostræ Italiæ respicere velint. Quæ tibi profecto facilis (si bene vim ingenii & altitudinem animi tui habeo cognitam) imperandi & moderandi populos ratio futura est. Nam & laxare eos angustiis tot illis & concisis exactionibus oportebit, locumque illis & spatium respirandi concedere, eaque tantum vectigalia retinere, quæ non ad domesticas delicias, supervacaneosque apparatus, sed ad continendam & vinciendam communem utilitatem pertineant.

tineant. Homines autem eos, qui tibi sunt subjecti, pro cujusque genere, institutis, & vita, appellare liberaliter, excipere, adhibere, a plebe propulsare famem, atque injurias, lautioribus civibus communem te affabilemque præbere, advocare tibi interdum in consilium eos, qui ingenio & rerum usu politiores cæteris esse videantur, castigare verbis errantes, honestis studiis & actionibus deditos laudare, atque extollere, & si incidat ut commode fieri possit, beneficiis etiam tuis munerari, quod his maxime modis & rationibus in hominum animis inseritur, & quasi ingeneratur, amor ille virtutis, & cupiditas acrior quædam comparandæ sibi laudis & gloriæ. Quæ quorum insedit in mentibus & accensa est, hos illa fortes; & fideles & ad omnia adeunda pro suo Principe pericula paratos facit. Quo maxime hominum genere & nostra ætas, & communis patria Italia indiget. Atque hi qui sic reguntur & instituuntur, qui temporibus tranquillitatis & otii libere agere res urbanas suas & soluto animo rusticari possunt, neque illis semper exactor, semper tributum, semper crux aliqua ante oculos est proposita; iidem ubi tempestas & periculi terror intonuit, non opibus solum, sed studiis etiam suis & animis, ad propulsandum tanquam commune incendium alacres concurrunt. Sed ego longius labor præsertimque tecum, qui abundas ipse per te consilio, nec mea aut cujusquam admonitione indiges. Quod mihi ignoscas sane velim; non enim te docendi, sed & benevolentiæ meæ erga te declarandæ, & mei sensus atque animi quem in Rempub. habeo, testificandi causa, ulterius fortasse quam decuit, aliquantum

tum

tum sum provectus. Et tamen arbitror omni hac mea scriptione esse patefactum, quid de tua eximia excellenteque natura ego sentiam, & quam ea abs te expectem, quæ nisi a viro fortissimo, & ab homine sapientissimo non queunt expectari. An ego, cum viderim (quod sane sum non leviter admiratus) honorem hunc quo uterque nostrum sacra collegii necessitudine conjunctus est; maximum illum quidem, & in Ecclesia Dei amplissimum (quem cæteri fere omnes tanto sibi ambitu expetere consueverunt, non spiritualium ornamentorum, ad quæ institutus est, sed terrenæ & mundanæ dignitatis consequendæ causa, atque ut oculos hominum fulgore purpuræ, non animos religione & continentia vitæ permoveant) cum, inquam, viderim hunc honorem ipsum, in quo tibi præcipue tanta in familia nato, concedi posse videbatur, ut altior ex eo atque honoratior inter homines incederes, tamen a te intra suos fines ita esse revocatum, ut is tibi, quemadmodum quidem debet, pietatis erga Deum monumentum assiduum sit, non instrumentum ambitionis, idem ego verebor expectare a te, aut petere, ut errorem alterum seculi nostri, in re quidem dispari, ex ipsa tamen ignorantiæ cæcitate parem; quo terrena ista dignitas non exercitatione prudentiæ, nec consiliis consequendæ laudis, sed voluptatibus & deliciis & exquisito corporis ac cubiculorum cultu, imprimisque bene plenis ac refertis nummariis thecis penditur, corrigas, atque tollas? cum rei hujus aut perficiendæ, aut certe tentandæ, & ad imitandum cæteris proponendæ, magna tibi facultas oblata sit; tuque in ea opinione apud nos omnes sis, ut omnia ampla atque egre-

egregia a tua virtute requiri debere videantur? Certe si te in hanc curam, Hercules Gonzaga, actionemque contuleris; tum tu præclaras perpetuoque commemorabiles in Dei hominumque conspectu exequias fratri tuo duces, nosque tui amantissimos maximo gaudio cumulabis, ipse vero uberrimum tuarum virtutum fructum, sempiterno beatitudinis in cœlo, in terris & famæ & celebritatis præmio divinitus consequere. Vale. Carpentoracti VIII. Calend. Octobr. M. D. XL.

EPISTOLA CCCLXIV.

JAC. SAD. ROMULO AMASÆO (a), *Bononiam*

Jacobum Bordingum ei etiam atque etiam commendat.

VEnienti isthuc Jacobo Bordingo (b), qui scholæ Carpentoractensi triennium præfuit,

(a) Consule notas in epist. CCLXXX. par. 2. p.478. Vide præterea quæ de Amasæo habentur in opere inscripto: *Notizie de' Letterati del Friuli* tom. 2. pag. 349.

(b) Hic Antuerpiæ an.1511.honesto loco natus. Lovanii primum, deinde Lutetiæ Parisiorum Philosophiæ ac Medicinæ operam dedit. Quum triennium Carpentoractensi scholæ præfuisset, (qua in urbe Franciscam Thermii Nigronii Genuensis filiam duxit uxorem) Bononiam, ut ex hac epistola patet sese contulit. Paucis tamen mensibus ibi moratus; optimorum virorum ac præcipue Sadoleti nostri de ejus virtute probitateque judicium celeriter fefellit. Hæreticorum enim opinionibus imbutus, ab Ecclesiæ Catholicæ unitate palam defecit anno 1544. quo anno in patriam primo, Hamburgum postea demigravit. Hamburgi plurium annorum spatio versatus, tandem a Daniæ rege Hafniam accersitus est an. 1556. ibique Kal. Septembris an. 1560. misere interiit.

fuit, optimo viro, & græcis latinisque literis eruditissimo, non potui nihil ad te literarum dare; tum ut commendarem tibi hominem, quem medius fidius ego singulari benevolentia complector, tum etiam, tu ut agnosceres, memoriam me tui cum summa item benevolentia retinere. Is ea de causa Bononiam proficiscitur, ut quoniam dedit aliquot annos medicinæ operam, id studii & laboris in ista urbe perficiat, doctorumque judicio statuatur dignus, qui ipse quoque possit eam civibus suis artem & scientiam profiteri, quod illum magna cum ingenii, & doctrinæ laude adepturum esse confido. Nunc, etsi non dubito, mi Romule, quin quem a me diligi & probari intelligis, eum sis tuis studiis atque officiis omnibus prosecuturus; tamen sic volo te existimare, vix quenquam inveniri posse, in quo tua mihi officia accidere possint gratiora, quam in Bordingo, cui omnibus de causis merito amicissimus sum, cupioque eum quam maxime & celebrari & ornari. Quod tu præter cæteros egregie mihi præstare potes, qui præes Bononiensi juventuti & elegantibus ingeniis dominaris, in ea urbe natis, e qua eruditio & optimarum artium disciplina, in has transalpinas nationes dimanasse creditur. Porro autem hæc sunt, quæ ego a te posco. Primum ut diligas hominem ipse, & charum habeas: deinde ut eidem doctos isthic viros concilies, reddasque eum, & meo & tuo testimonio omnibus notum, postremo ut cum publice judicium de dignitate Bordingi per doctorum collegium fiet, tu cum tuis omnibus vestro eum comitatu frequentiaque honestetis. Quanquam summa postulatorum meorum hæc est, te uti ita geras

adver-

adversus Bordingum, amore, studio, diligentia, ut intelligat ipse meam hanc sibi commendationem apud te plurimum profuisse, egoque in hoc homine experiar id quod tamen jampridem scio, me abs te non solum diligi sed etiam vehementer amari. Vale mi Romule. Carpentor. IV. Cal. Octobr. M. D. XL.

EPISTOLA CCCLXV.

JAC. SAD. SCIPIONI BLANCHINO, *Bononiam*

Quod Jacobum Bordingum sua causa exceperit comiter ac liberaliter, magnopere se ei devinctum profitetur.

BOrdingus meus suis literis, quæ tamen ad me tardissime sunt perlatæ, de eis rebus scribens, quæ isthic ipsi honoris sui comitia obeunti valde feliciter & ex sententia processere, cum multa multorum erga se officia commemorat plena amicissimi in me, qui illum absens meis literis commendaram, studii & benevolæ voluntatis, tum tibi dat præcipue summæ erga se humanitatis & præstantis cujusdam liberalitatis testimonium; coactuque tuo diversatum se esse apud te, & domo tua, tanquam sua comiter ac jucunde usum esse perscribit. Quod ego, mi Blanchine, in eam partem accipio, ut quanquam tu omnium doctorum virorum & fautor, & observator sis; tamen hoc mihi in ipso Bordingo honoris abs te atque officii tributum esse non dubitem. Non enim sum oblitus, cum ego olim isthac iter facerem, Bononiamque venissem, te mihi ad hospitium publicum præsto fuisse; invitasseque domum tuam

tuam studiose, & omnia signa egregii cujusdam amoris mihi ostendisse. Qua ego tua tum humanitate cum non essem usus, quod mihi iter instabat præproperum ac necessarium; recordor tamen perinde me habuisse, ac si & tecto & opibus tuis ex labore viæ plane recreatus fuissem. Neque vero postea (ut sum natura factus) ex animo unquam excessit meo, illius tui facti officiique memoria, nunc in Bordingo ipso renovatum per te, factumque est excitatius; quod non obsoleverat quidem in mente mea, sed se ad occasionem aliquam tempusque reservabat, studium meæ quoque vicissim benevolentiæ aliquibus tibi signis indiciisque declarandæ. Quod quoniam propter diuturnam absentiam meam re ipsa efficere difficilius videtur esse, & spissius; idcirco has ad te interim dare institui literas, quibus tibi significarem, animum tuum istum erga me & mihi perspectum jampridem & nuper in Bordingo apertiorem etiam factum fuisse, quem tu honoris mei gratia tam honorifice amanterque tractaris. Quod si locum mihi fortuna præbuerit, ut possim, quanti te faciam, & quid tua causa velim, quemadmodum quidem cupio atque opto declarare, perficiam ut intelligas, te homini gratissimo & similium tui amantissimo, præstitisse ea officia, quæ non ideo solum permagni existimanda sunt, quod à benevolentia & amore proficiscuntur; sed etiam quod gignunt ipsa & procreant summam benevolentiam, quam jam inter nos mutuam conflatam esse, & a mea parte conscius mihi sum, & e tua confido. Tu mi Blanchine da operam ut valeas; nosque fac absentes ut diligas. Matthæum Curtium medicum apud vos insignem & doctissimum hominem

nem (a), Romulum (b), totamque simul Campegiorum domum, qui omnes in Bordingo suum mihi animum & amorem patefecerunt, meis diligentissime ut salutes verbis, gratiasque cunctis hoc nomine agas etiam atque etiam a te peto. Carpentoracti.

EPISTOLA CCCLXVI.

JACOBUS SADOLETUS CARDINALIS

Gulielmo Pojeto Cancellario Galliæ (c) *Paris.*

Quantum Regi Galliæ ipsoque Pojeto debeat, quod suæ quietis & dignitatis rationem habuerint, pluribus verbis ostendit.

ACcepi literas tuas III. Id. Novemb. Lutetiæ datas, plenissimas amoris, humanita-

---

(a) Matthæus Curtius hic est Clementis VII. medicus, quo mortuo Bononiam sese receperat. Antequam Romam a Pont. Max. evocaretur, Patavii medicinam theoricam magna nominis celebritate publice docuerat. Scripsit *de prandii & coenæ modo libellum*, *de venæ sectione librum*, *explicationem in Mundini Anatomen*, *de aquæ bonitate*, ac demum *de dosibus seu de justa quantitate & proportione medicamentorum opusculum*. Obiit Pisis anno 1564. annos natus LXX. Vid. Papadop. in Hist. gymnas. Patav. tom. 1. p. 316.

(b) Romulum Amasæum, de quo vide not. in epist. CCLXXX. part. II. pag. 478.

(c) Hic in celeberrimis Galliæ Academiis optimarum artium studiis ac juri Civili operam quum dedisset, celeriter ad summos togæ honores ascendit. Ac primum quidem in Parisiensem senatum cooptatus, Aloysiam a Sabaudia Francisci regis matrem prudentia ac dexteritate sua adeo sibi devinxit, ut nemo ei charior extiterit. Itaque amplissima Regii *advocati*, ut vocant, *generalis* digni-

nitatis, prudentiæ, quæ meum, quod ego diu ante de tua præstanti virtute & dignitate feceram judicium, non modo confirmarunt, verum etiam auxerunt. Ita enim scriptæ sunt, ut nullum omnino in illis officium, quod vel a sapiente homine expectandum sit, vel benignitati & amicitiæ debitum esse videatur, abs te sit prætermissum. Quodque me mirifice imprimis delectavit, omnia in tuis literis sic apte, ornate, graviterque explicata, tum verbis, tum sententiis, ut mihi videaris, id quod magnorum quidem virorum est, sed tamen non tam valde occupatorum sicut tu, cum rerum gerendarum prudentia, elegantiam quoque oratoris ut conjungeres non mediocriter laborasse. In quo genere laudis (dicam enim quod verum est) expectationem meam longe superasti. Cognoram equidem antea excellens ingenium tuum & in arduis rebus agendis atque administrandis consilium, diligentiam, industriamque perspexeram. Non enim mihi tuus animi sensus & ad laudem impetus fuerat ignotus. Sed re vera in tanto cumulo pondereque negotiorum, quæ tibi maximis curis occupationibusque districto, quotidie affluant, & su-

---

gnitate auctus, tandem an. 1538. ad supremum Galliæ *Cancellarii* munus pervenit. Verum has tam prosperas res haud multo post consequuta est subita commutatio, quod fortuna quem paullo ante extulerat, demergere est adorta. Anno enim 1541. repetundarum reus accusatus, atque in custodiam conjectus, Prid. Idus Aprilis an. 1545. ex S. C. omni dignitate spoliatus, perpetuoque a rerum publicarum procuratione remotus, magna praeterea pecuniæ vi multatus est. Tali modo quum IV. & LXX. annos vixisset, mense Aprilis anni 1548. supremum diem obiit.

perfluant necesse est; quod aliquam quoque partem cogitationum tuarum & temporis liberalibus studiis impertires, non mihi venerat in mentem de te existimare. Quod quoniam nunc habeo ex tuis literis exploratum & cognitum, si quid ad eam addi benevolentiam potest, qua ego te jampridem singulari sum amplexus, erit hæc etiam causa una cum reliquis & sancta & gravis, quamobrem tu a me plurimi videare esse faciendus. Sed hæc quæ longiorem desiderant orationem, in aliud tempus differenda sunt. Venio nunc ad ipsas literas, in quibus mirari mihi visus es, quod ego in gravi meæ dignitatis & libertatis dispendio, tantula de re (ita enim scribis) tantopere laborarem. In quo si pecuniariæ jacturæ causa id laboris & molestiæ suscepisse me existimas, obsecro te Pojete charissime, ut me hac tam gravi infamia desinas onerare. Nihil ego turpius esse judico, quam moveri pecunia, & quidem moveri in utranque partem, ut vel adaucta nobis magnam lætitiam afferat, vel ablata molestiam. Et tamen recordor scripsisse me tibi, pecuniam mihi levissimam, honestatem autem gravissimam semper esse. Quare desiste, si me amas, hoc tam injustum de me facere judicium, quod alienum certe & mea natura & nostra necessitudine est. Si vero, quod meam læsam dignitatem apud te sum conquestus, id levius a me factum arbitraris, quæso, quid apud te futurum grave est, si levis fuerit dignitas? Sed ego hæc, quæ nunc loquor non ita accipi volo, quasi doleam hæc a te mihi fuisse scripta; non enim ita est; sed quia cupio doctis & sapientibus viris, cujusmodi tu es meam & cognitam & probatam naturam esse, ac voluntatem, quæ

ab

ab hisce vitiis illiberalitatis & sordium longe profecto aliena & abhorrens est. Ac me ad ea quidem respondebo, quæ a te scripta sunt de potestate eorum judicum quibus vos ecclesiasticas causas & judicia commisistis. Satis enim in literis prioribus sum testatus existimare me, nihil neque a te, neque ab isto præstantissimo Rege, sine magna ratione & consilio factum esse. Ad id potius me convertam, quod & huic tempori est aptius & meæ naturæ certe convenientius; ut & tibi & nostro optimo maximoque Regi agam gratias, quod meæ & quietis & dignitatis, pro vestra singulari bonitate rationem habueritis. Tametsi intelligo eas nequaquam a me satis digne agi posse, vincit enim & Regis beneficentia & tuum erga me officium, facultatem in hoc genere meam. Ago tamen quantas possum maximas, meque hujus vestri erga me beneficii memoriam perpetuo servaturum polliceor. Quanquam nec ad meam in summum Regem observantiam quicquam videtur posse accedere; nec ad eam quam erga te jamdudum suscepi voluntatem. Sed tamen sive in hoc portu in quo me locatum per literas gratularis, & quidem jure, (in eo enim diurnis nocturnisque commentationibus rerum, ut ego arbitror, altissimarum simul & sanctissimarum sum deditus) sive in negotiis & fluctibus actionum, in quos me redire fortasse erit necesse (non enim ego illam conditionem vitæ aspernor, si mihi ea offeratur, quæ in rebus cum virtute & cum prudentia religioneque tractandis, futura sit occupata) sive ergo hic sive illic, ego meam omnem operam, studium, fidem, amorem, diligentiam, authoritatemque, quæcumque ea in me fuerit & nostro

Christianissimo Regi & tibi optime Pojete defero atque dico. Cui quidem Regi quod meum interdum te nomen in memoriam redacturum polliceris, est hæc tua mihi gratissima voluntas, idque uti facias, te vehementer rogo. Quid est enim quod malim, quam me illi Regi in memoria esse, cui propter altitudinem, nec tam fortunæ quidem, quam ipsius virtutis & humanitatis, vel notum duntaxat esse, summus honos censendus est? Et quidem imprimis ac maxime illius erga me benevolentiam quæro; hac mihi nihil potest evenire optatius. Cætera quæ ab illius liberalitate possunt proficisci, quæ a me ut fluxa & caduca negligi scribis, non eo quidem sum animo ut mihi negligenda esse videantur; sunt enim bene institutis mentibus egregia instrumenta bonitatis & liberalitatis, non tamen per ambitum & cupiditatem judico esse petenda. Itaque ego, qui hæc quæ obtineo, quantula ea cumque sunt, aliena sponte omnia, non mea cura & contentione sum consecutus, si quid mihi quandoque eo modo deferatur, magis judicio Principis, quam meo commodo lætor; ob eamque etiam causam bene de me merentibus majorem gratiam habeo. Sed de his etiam satis. Tu mi doctissime Pojete me amabis, & totum tuum duces; dabisque operam, ut valeas: hoc mihi facere gratius nihil potes. Vale. Carpentor. XIV. Cal. Januar. M. D. XL.

EPI-

EPISTOLA CCCLXVII.

A M. GIO. FRANCESCO BINI, E A M. FRANCESCO MARIA MOLZA (a)

a Roma

Mandat eis, ut Episcopo Æsino nuper demortuo marmoreum monumentum suo ære extrui curent.

PErche io mi stimo, che della sepoltura del nostro Monsig. di Jesi (b) appena sarà chi si pigli pensier alcuno per esser andate le sue robbe in diverse mani, però non potendo mancare alla natura mia gratissima in ricordarsi i benefici non solo ricevuti, ma eziandio disegnati di farmi, non dimenticando il suo amorevole giudizio che ha fatto di me, lasciandomi erede de suoi beni, ancora che di tale eredità non ho avuto, se non il dolore della morte dell' amico, e qualche danno nelle robbe che mie, nelle sue mani si trovavano alla Vigna, pur *his omnibus non obstantibus* ho deliberato fargli la sepoltura a mie spese ed assai onorevolmente, quanto le mie poche facoltà possono comportare, e di tutto quest' ordine si scrive appieno a M. Pietro Paolo nostro agente in Roma, il quale sia con voi, e v' informi appieno della mia volontà. Per tanto vi prego

(a) De Bino diximus in not. ad epist. LXVII. par. I. De Molsa vero consule quæ habentur in not. ad epist. CCC. p. 19. hujus tertiæ partis.

(b) Antonio Venantio de Spello scilicet, qui Petro Paulo Venantio patruo in Aesino Episcopatu successerat. V. Ughellium in Ital. Sac. tom. I. col. 326. edit. vet.

per l'amore che vi porto, e per quello che so che voi portate a me, vogliate pigliarvi cur che sia satisfatto a questo mio onesto e sant desiderio, acciocchè il mio caro amico là dove si trova, e come io mi persuado, per l Dio grazia e misericordia in ottimo loco, co nosca, ed intenda, che come per lui non man co di pregar Dio, così non voglio mancare quanto per me si potrà, di conservare la su memoria appresso agli uomini. Questo è ci che io vi domando, prima, che si proveda tosto che il suo proprio corpo si riconosca con locar lo, se così è necessario in un deposito, da po che da mia parte vogliate istare ed operare ap presso quei Padri della Minerva che io abbia u luogo onesto da collocarlovi, e quanto pi tosto si può dare opera, che si faccia in buon ed onesta forma una sepoltura di marmo bian co e netto con alquante figure non però molte cioè che tutta la cosa si governi in modo che si all'amico mio onorevole, a me e al mio stat tolerabile. Io ho fatto elezione di voi due co me in ch' io mi fido doppiamente, cioè ch vorrete, e saprete in questa cosa contentarmi Questo vi affermo che di molti piaceri, che h ricevuti e aspetto ricever da voi non me n avete fatto e non me ne potrete fare un altr maggiore. E ad ambedue con tutto il cuor mi raccomando. In Carpentras, a XXIII. d Decemb. M. D. XL.



EPI

EPISTOLA CCCLXVIII.

J.S. Jo. Archiep. Uspaliensi Gotto, *Venet.*

De incommodis cum privatis illius, tum publicis Ecclesiæ magnopere dolet, caussisque expositis quibus Pontifex Concilium prorogaverit, hominem ut adversos fortunæ casus fortiter ferat hortatur.

AD xv. Calend. Januar. cum essem in mea Ecclesia Carpentoracti, quo post discessum a Nicæa summi Pontificis me contuleram, accepi tuas literas XIII. Cal. Novembr. Venetiis datas. Ex quibus cognovi justissimam querelam tuam & dolorem eum, quem ex publicis incommodis, tuisque privatis, non sine magna ratione susciperes. Itaque tuis literis ad dolendum tecum vehementer permotus, optavi equidem esse Romæ, quo tibi præstarem eadem officia, quæ apud summum Pontificem antea præstitissem. Sed cum id fieri non possit; absum enim ab Urbe passuum sexcentis amplius milib. nullum habens remedium, quo a me posses juvari, cum sim ego quoque in angustiis positus; has constitui scribere ad te literas, quibus de mea erga te voluntate certior fieres, & quoniam operam meam non posses, animum saltem meum in te propensum benevolumque recognosceres. Quod scribis perniciosum fore fidei Catholicæ concilium habitum non esse, nostrosque adversarios ea de causa jam insolentiores esse factos, nihil sane mihi significas novi. Ego enim & hoc providi ita futurum; & posteaquam contigit, ut concilii habendi spes omnis extingueretur, auctos animos eorum, qui contra Romanam invehuntur Ecclesiam,

multorum nunciis, literisque cognovi. Quia quotidie aliqua ad aures meas perveniunt de opinionibus illorum hominum adversus Deum impia, ob multitudinem cum illis consentientium periculosa; neque adhuc video quid nobis reliquum ad spem rerum meliorum esse possit. Etsi Pontifex Max. (quod ego scire tum potui) ad omittendum concilium non sua sponte, sed duorum summorum principum consilio fuit adductus, qui negabant tempus idoneum esse tantæ agendæ rei, quæ & tranquilliorem Christianæ Reipub. statum & otium a Turcis ac fidei hostibus requirebat. Itaque ego eodem consilio usus quo tu, parique dolore affectus de Christianæ Reipub. incommodis, optimum factu mihi constitui manere in hoc portu, & in hoc meo exiguo gubernando grege, Deo ac fidei meæ satisfacere. Cum præsertim in optimarum & sanctissimarum literarum studiis assidus sim; Christique fidem, quam authoritate & opibus non possum, meis quoad licitum est scriptis, meisque vigiliis in veterem dignitatem restituere coner. Alia tua causa est, qui non portum tenes, sed tempestate jactaris & fluctibus. Quod mihi quidem dolori est, eoque magis, quod quemadmodum tibi opituler non habeo. Sed si diligentius tecum ipse scripturæ sanctæ documenta recolere volueris, intelliges, talibus potissimum, qui propter defensionem veritatis & justitiæ, hominum impiorum odia insectationesque perpetiuntur, regnum cœlorum & promissum esse & paratum, in quod per ærumnas, & hujus vitæ calamitates oportet nos ingredi. Non afferam scripturarum testimonia, quæ tibi nota sunt, illud dicam nullum mihi malum in ista

tua

tua misera afflictaque fortuna videri inesse, si modo tu is es, quem te mihi Romæ ostendisti. Cum ego & scientiam tuam bonarum literarum artiumque adamarem, & constantiam animi in rebus adversis laude prosequerer. Nec vero ullum cuiquam malum dominari potest, cui Deus prorsus & suum in Deo summum bonum sit repositum. Sed hæc hactenus, non enim arbitror te egere nostris admonitionibus. Ego quoniam Romæ non sum, tibique in ea Urbe operam navare non queo, scribo ad Contarenum talem virum, qualem tu nosti, scientia, religione, integritate, omnibus præstantem, ut is causam tuam, & suo & meo nomine apud Pontificem agat. Ad quem si tu quoque dederis literas, measque hasce ante tuam profectionem in Germaniam acceperis, non dubito quin aliquo genere subsidii a summo Pontifice tibi subveniatur. Vale, Carpent. IX. Cal. Januar. M. D. XL.

ANNO M. D. XLI.

EPISTOLA CCCLXIX.

AL CARDINAL BEMBO *Roma*.

Respondet ejus literis. Florebelli ingenium, ejusque orationem quamdam laudat, ac Bembum monet, ut a Pontifice, quæ pro se impetratu viderit difficilia, petere desistat.

IL Nipote del nostro Savoja, m'hà portato la dolcissima lettera di V. S. Reverendiss. delli VII. di Novembre. La sua venuta solo per questa cagione m'è stata cara, essendomi per ogni altro conto assai incommoda & importuna. Donde io gli ho fatto accoglienza, come

me a amico, non come a servitore, avendo io pure in animo, ch'egli dopo esserſi ſtato quì alcuni dì per diporto, ſe ne torni a aſpettarmi in Roma, non eſſendo queſta fortuna, ne queſta ſtanza, ne al ſuo propoſito, ne al mio. Io m'allegro infinitamente intendendo tanta fermezza che V. S. uſa in amarmi e in ricordarſi di me, e in deſiderarmi appreſſo di lei. Il che mi vien ſcritto tutte l'hore da'ogni banda, e io medeſimo ſono di ciò più ſicuro e certo che tutti quelli iſteſſi che me ne vogliono far fede. Ma veramente il più gran ſegno che la mi dia del vero amor ſuo, è quella cura, che V. S. ha del bene e riposo mio, la quale deſiderandomi di vedere quanto ella deſidera, uſa nondimeno tanta moderatione e equità nell' invitarmi a Roma, che vince ogni ſuo deſiderio il riſpetto della comodità mia. E certo Monſignor mio, neſſuna coſa mi manca per piena ſoavità & felicità di queſta vita, che io vivo di quà, ſe non la deſideratiſſima preſenza, e converſazione di V. S. e delli noſtri Reverendiſſimi, e concordiſſimi Signori & Fratelli. E benchè i tempi non moſtrino di ciò molta occaſione, nondimeno mi giova pure a ſperare di avere un giorno a vivere nella compagnia di quelli, la memoria de quali, e per la virtù, e per l'amicizia mi fà più dolce la vita. Della benigna & accorta natura di noſtro Signore, ho molto caro, ch'l giudicio di V.S. Reverendiſſ. conſenta col mio. Che veramente egli ha di grandiſſime parti di gran Prencipe: Voleſſe Dio che tale animo ſuo non aveſſe avuto tante difficultà e impedimenti dalla corrotta uſanza delli tempi. *Non multa in eo deſideraremus*. Ho veduto ancora io l'oratione del
no-

nostro Fiordibello (a), molto latina, ed elegante e copiosa, e certo che quel giovane è a un gran segno, e spero che farà rara riuscita, e V. S. Reverendiss. avrà di ciò molta laude, la quale ha tanto liberalmente accomodato gli suoi studii. Io gli hò nondimeno consigliato, che non debba publicare la detta oratione in quel modo, parendomi, che quella censura, ch' egli usa sia troppo più libera, che non conviene ne all' età, ne alla persona sua. Ringrazio V.S.Reverendiss. delle grazie ch'ella m'impetra tutto il dì da N. S. Io ho comandato alli miei che dove accada, faccian capo a lei. Ben le ricordo, e la prego, che dove ella vegga punto di difficultà nell' impetrare, che la benignità del Prencipe non concorra facilmente col nostro desiderio, vogliate rimanervi da farne instanza, perchè le cose che io cerco di avere, sono sempre di tal sorte, *ut iis facilè possim carere*, e io sono di tale animo, che non m' offende la repulsa. Io vivo ora sano per Dio grazia, ma non più m' allegro della sanità mia, che di quella di V. S. e di Monsignor nostro Reverendiss. Fregoso (b), al quale piacerà a V. S. Reverendiss. raccomandarmi con tutto l' animo, & insieme alli Reverendissimi Contareno e Polo. Nostro Signore Dio vi conservi lungamente insieme, e vi mantenga e accresca ogni dì più le vostre consolazioni. Delle quali mi pare di partecipare ancor io così assente, si come per bontà vostra io sono fatto parte de vostri ragionamenti. A V. S. sempre mi racco-

(a) Antonii Florebelli scilicet, cujus vita a nobis descripta extat ad calcem Pontificiarum Sadoleti Epistolar.
(b) De Fregosio dictum est in not. ad Vit. Sad. pag. IX.

mando. Il Nostro Paolo, e il Sacrato, baciano la mano a V. S. Reverendiss. della memoria ch' ella tien loro, e riverentemente la salutano. Di Carpentras, alli III. di Gennaro M. D. XLI.

EPISTOLA CCCLXX.

J. S. GASPARO CONTARENO CARD. (a) *Rom.*

Mittit ei alterum de ædificatione Ecclesiæ librum, ut illum una cum Collegis suis Fregoso, Bembo, Polo, Rodulpho Pio diligenter perlegat.

Superiore anno confeceram quidem secundum meum de ædificatione Ecclesiæ librum; sed non retractaveram, quod deinde æstate proxima exacte feci eumque describendum curavi, quem nunc ad te mitto, tuæ & prudentiæ & doctrinæ totum me permittens; teque enixius rogans, ut ea qua soles humanitate & benevolentia me & corrigere & admonere ne graveris. Forsitan facio interdum temere, qui sententias meas adversus tuas argumentationes defendam. Sed debet hoc esse (ut ego judico) in nostra familiaritate liberum, ne assentari inter nos, sed amicorum uti officio videamur; præsertim cum editio libri in longum tempus sit conferenda; & quoad is exuditur ac perpolitur licitum sit nobis disputare & ambigere; nec refellere solum, verum etiam refelli. Nam cum edendi quidem dies advenerit, nihil omnino sine tuo consilio faciam. Nec vero habeo in præsentia aut doctorem quemquam, cuique magis confidam, quam ipsum te;

(a) De Contareno plura sunt exposita in notis ad epist. CCCXXXV. pag. 138. & 139. hujus tertiæ partis.

te; aut amantiorem etiam mei. Atque ego quidem obtundere te non desino, & in tua graviora studia importunus irrumpere. Sed ignosce mihi, facere aliter non possum: ea est opinio mea de te, ea spes & expectatio amoris erga me tui, ut quicquid ego agam quoquove modo me geram, nihil omnino assequi mihi videar, nisi id & communicatum tecum, & abs te potissimum approbatum fuerit. Facit autem naturæ tua bonitas, humanitas, liberalitas, ut non liberius solum ad te adeam, verum etiam audacius. Sed ut ne de his plura (etenim vereor, ne hæc quæ dicta sunt, in tanta nostra conjunctione amoris & animorum etiam nimis multa esse videantur) habes librum quem ut perlegas totum & accurate excutias rogo. Multa sunt in eo de Sacramentis Ecclesiæ conscripta contra Lutheranos, in quibus si non doctrina & ingenium, mea tamen voluntas in veræ pietatis studio egregie constans apparebit. De quibus rebus omnibus exquiro judicium tuum, idque præterea precor ut cum amplissimis collegis nostris & concordissimis fratribus Fregosio, Bembo, Polo, meam lucubrationem communices. Neque urgeas tamen, nisi tantum, quantum eos videris in legendo oneris atque curæ libenter velle suscipere: ne forte dum ego meam utilitatem quæro, aliis molestus sim, & præsertim iis, quorum ipse omnes sollicitudines & molestias meo labore atque ærumna redimere paratus essem. Ad horum numerum addes Rodulphum Pium (a) collegam nostrum, dignissimum (meo judicio) qui in summorum & optimorum Cardinalium nume-

(a) De eo vide notas in epist. CCLIX. part. II. p. 436.

numero censeatur; eundemque præterea amantissimum mei. Sed ne tibi præscribam omnia, ages in meorum scriptorum lectione & correctione quod tibi ex fide tua & amicitia nostra æquum rectumque videbitur. Nos heic optime valemus, in literis assidui sumus, nec in suavitate hujus vitæ quæ mihi in his locis proxime accedere ad cœlestem illam vitam alteram videtur, quicquam habemus quod nos angat atque turbet, nisi interdum Reipub. statum, quam video quotidie in deterius ferri. Quod si privatim quoque aliquid aliquando sentimus molestiæ, id omne nascitur ex eo desiderio, quo tecum & cum cæteris similibus nonnunquam esse & vivere cuperemus. Sed hæc Deus viderit. Tu ut valeas, tibique ut persuadeas, me ex omni mente & ex omnibus sensibus penitus esse tuum a te optime atque amplissime Contarene peto. Carpentoracti III. Cal. Febr. M. D. XLI.

EPISTOLA CCCLXXI.

J. SAD. DIONYSIO CARD. S. MARCELLI (a) S. D.

Idem argumentum.

NOn mihi opus esse arbitror longo tecum procemio uti & laborare in ipso scribendi principio, quo tua mihi benevolentia concilietur. Satis enim ea mihi, non meo quidem merito, sed tua humanitate parta & quæsita est. Cum enim ad me binas literas misisti obsides tuæ erga me benevolentiæ & voluntatis, tum tu te ipse mihi dedidisti, tum te obligasti, quasi ex pacto & convento, nihil quod amicitiæ & officio

(a) Vide notas in ep. CCCLII. pag. 199. hujus partis.

eio deinde deberetur, te mihi negaturum. Itaque fidenter accedo ad te non minus te mihi obligatum ex literis illis & fide viri boni esse existimans, quam si te omnibus sponsionum verbis obstrinxisses. Sed gravius ne aliquid expectes aut vereare, scito id me petere a te, quod & mihi ad petendum honestissimum sit, & tibi ad tribuendum largiendumque facillimum. Id porro hujusmodi est. Annus hic agitur tertius, ex quo ego cum me Carpentoracte retulissem, aggressus sum opus laboriosum sane atque magnum, ut de ædificatione Catholicæ Ecclesiæ conscriberem, illud mihi præcipue propositum habens, ut quoniam hæc quæ nunc est, & nominatur Ecclesia, vehementer labefactata est, nec potest (ut ego ex omnium gentium adversus nos odiis & gravi apud cunctos invidia nominis nostri, magnum in timorem venio) ab extremo suo periculo longe abesse; ego pro loco & pro pietate, qua Deo conservatori meo sum obstrictus, exemplum ejus incolumis atque integræ, quoad per me posset, absolutum & perfectum in literis expressum relinquerem, quo liceret uti, si quis attendere animum vellet vel ad hanc fulciendam reparandamque Ecclesiam, quæ jam ad procumbendum vehementer prona est & inclinata; vel ad novam & firmiorem aliam, super idem tamen fundamentum constituendam. Hoc ego animo erga Christianam Rempub. affectus sumpsi onus hujus laboris atque officii, maxime id convenire honori & professioni meæ reputans, jamque instituti operis duos libros absolvi, & nunc in tertio lucubrando versor, neque laboribus in eo, neque vigiliis parco. Contendo denique atque nitor, ut habeat hoc a me Resp. cum bo-

ni

ni & amantis civis sacerdotisque officium, tum testimonium meæ perpetuæ sententiæ & in se voluntatis. Sed horum duorum qui confecti sunt librorum, prior anno superiore a me ad Urbem missus, in manus tuas (ut opinor) non incidit, neque habeo impræsentia idoneum ejus exemplum quod ad te mittam, id cum habebo, certe sum missurus. Nunc cum secundum mitterem ad amplissimos viros, mihique & Reipub. imprimis amicissimos, Contarenum, Fregosium, Polum, Bembum; mandavi isthic meis, ut postquam ii legissent; meum ipsi librum continuo ad te deferrent, quem, te oro atque rogo Dionysi doctissime, ut attento animo perlegas, meque tibi monendum, & ubicunque opus sit (erit autem opinor in multis) etiam reprehendendum & corrigendum suscipias. Nam ego quidem hoc corrigendi reprehendendique officio, modo id ingenue & benevolo animo fiat, nullum ab amico homine nec gratius possum expectare, nec optatius. Quid enim est reprehendi, nisi alieno labore fieri meliorem? Et sane is ego sum, qui in meis scriptis, præsertimque recentibus minimum mihi confidam. Itaque audio libenter cunctorum opiniones; jactarique in manibus doctorum hominum mea scripta, atque excuti cupio; quo deinde ex omnium judiciis atque dictis, quod melius sit, & verius mihi eligatur. Interea quidem (id quod me impetrare æquissimum est), petere & precari ab omnibus soleo, ut ne quis ex meis scriptis, quoad illa sunt sub alienum judicium subjecta, quicquam decerpat, in quo se putet quasi consignatam ratamque habere meæ sententiæ authoritatem. Etenim qui se submisit aliorum judiciis, nihil

adhuc

adhuc ipse habet decreti & judicati. Qui vero non expectato idoneo tempore, res etiam nunc dubias, tanquam certas accusant, & in earum authores invehuntur (quo a genere hominum & mihi est nonnunquam & multis sæpe probis negotium facessitum) hi profecto magis malevolentiam suam indicant, quam alterius innocentiæ labem & detrimentum afferunt. Sed hæc adversus aliquos fortasse necessaria, tecum quidem mi Dionysi, neque opportuna, neque apta est oratio; nisi quatenus querelam & dolorem horum temporum conferre cum amico & communicare jucundum est, quod ego sane tecum & amanter & libere facio. In quo vero & mei optati ac postulati ratio, & tuæ virtutis atque humanitatis vis tota consistit, te obtestor atque oro, ut legere accurate meum librum, meque admonere & docere audacter omnibus de rebus velis, ut quoniam ego & in doctrina & in benevolentia tua maximam spem repono, id per tuam fidem ac diligentiam consequar, ut ex fontibus scientiæ & eruditionis tuæ, mei tenues rivi uberius irrigentur, tuaque opera & ope fluant pleniores. Cui ego tuo officio, magnam profecto gratiam, & eam perpetuam debiturum me confiteor. Vale, Carpentoracti, XVIII. Cal. April. M. D. XLI.

EPISTOLA CCCLXXII.

J. S. MARCEL. CERVINO S. R. E. CARD. *Rom.*

Idem argumentum.

CRedo amorem nostrum mutuum non egere testibus. Etsi enim non admodum magno inter nos usu & familiaritate conjuncti fuimus propter occupationes quidem utriusque

que nostrum, quæ impedimento fuerunt; tamen neque ego unquam de tua erga me benevolentia dubitavi, neque tu potuisti dubitare de mea. Itaque & cum de te, tuaque virtute, modestissimisque moribus, optimum semper judicium fecissem, lætatus sum majorem in modum incremento & amplificatione tuæ dignitatis, & posteaquam in istum locum atque honorem sublatus es, quo esses erga me animo liquidius etiam cognovi, optimo videlicet atque amantissimo, quemadmodum & Ludovici Beccadeli hominis officiosi & prudentis sæpe literæ, & tua in meis meorumque negotiis opera ac benignitas aliquoties jam declaravit. Quare cum constitutam habeamus inter nos eam amicitiæ necessitudinem, quæ ex morum, & studiorum & (ut opinor) etiam sententiarum similitudine maxime stabilis, & sancta existere solet, mutuaque illam pari inter nos voluntate tueamur; æquum est, utrumque nostrum alterius ope atque consilio, in his quæ usu quotidie veniunt, ita uti, ut ejusdem amicitiæ officia non verbis tantum, sed factis etiam & rebus ipsis usurpemus. Ac ut breve faciam quod abs te postulo, id hujusmodi est. Cum esses anno superiore in Gallia, legisti primum meum de ædificatione Catholicæ Ecclesiæ librum. Sic enim ad me scripsit Trivultius noster, id mihi fuit non mediocriter gratum, verum gratius etiam fuisset, si idem fecisses quod ille, ut me de his, quæ tibi visa essent minus commodè in eo libro a me scripta admonuisses. Soleo enim ego hoc maxime a doctissimis expetere, ut eorum labore & annotationibus lucubrationes meæ fiant meliores, neque arbitror alia in re magis elucere officium

id,

id, quod amicitiæ debeatur, quam in hac sollicitudine atque cura, quam quis suscipit, quo alterius famæ & existimationi bene sit consultum. Hoc ego a te & tunc desideravi & nunc expeto, ut tu ingenuo quidem ac benevolo animo, sed tamen audacter libereque reprehendas, quicquid tibi videbitur in meis scriptis esse reprehendendum. Ego enim cum aliorum opiniones & sententias audio, cum mea in manibus jactata scripta & multorum objectionibus veluti excussa sunt; tum colligo memetipse, habeoque delectum, & quod probabile mihi ac verum visum sit, id sine ulla privata cupiditate in meas lucubrationes libenter transfero, mutoque facile sententiam, si rectius esse videatur. Verumtamen antequam hoc fiat, dumque mea scripta sub alienum judicium subjecta sunt; non arbitror esse rectum, ex meis dictis, si qui forte in illis error aut non bona ratio sit deprehensa, de me ipso judicari: qui enim aliorum judicium expectat, nondum utitur suo. Quare iniqua est eorum ratio, qui scriptorem accusant de iis rebus, quæ ipsi illi qui scripsit, nondum sunt probatæ nec ratæ. Sed tu non eo de numero es, qui natura ingenua & liberali doctrina & singulari temperantia ac bonitate es præditus. Cum igitur mitterem ad Urbem secundum mei illius operis librum ad amplissimos collegas nostros Contarenum, Polum, Fregosium, Bembum, mandavi meis, ut posteaquam ii legissent, illum ad te deferrent. In quo oro te atque rogo, mi optime Marcelle, ut hanc ejus perlegendi operam sive etiam molestiam non gravate recipias meæ utilitatis causa, tribuasque hoc cum amicitiæ nostræ, tum humanitati etiam

tuæ:

tuæ: ut tuo labore, cura, diligentia, meus liber efficiatur correctior, primum in his quæ ad integritatem religionis pertinent; quam ego sanctè atque piè semper per me esse cultam volo. Deinde, ne mea forte in scribendo libertas cuipiam molesta esse possit, præsertim eorum, quibus omnia me debere & nunc confiteor & semper professus sum. Nam quod ego Christiano animo cupiam videre emendatiorem Ecclesiam, quam ea nunc sit, nunquam certe inficiabor. Quod vero hujus præclari operis gloriam atque fructum ad eos optarem potissimum pervenire, qui a me summo honore & observantia coluntur, Deum immortalem testor, nihil me unquam cupiisse ardentius. Et fuerat quidem ab initio egregium susceptum iter, sed postea nescio quo pacto aliquantum de via declinatum est. Nec tamen video quid ad illam præclaram & sempiternam laudem, firmamentum non nominis solum atque famæ, sed posteritatis etiam & generis, horum mortalium & terrenorum bonorum possit comparari. Sed de his satis. Fac mi Marcelle humanissime ut valeas, nosque tui amantissimos diligas. Vale. Carpentoracti XVII. Calend. April. M. D. XLI.

EPISTOLA CCCLXXIII.

JAC. SAD. JOAN. HURTADO MENDOZÆ S.

Ejus carmen laudat, aliamque illius lucubrationem expectat.

JAcobus & Martinus Monachi Hispani duo (quantum ex brevi cum illis sermone perspicere potui) religiosi homines, & egregie prudentes, cum a superiore usque India in has no-

nostras regiones adeundi conventus causa, qui ipsorum Ordini in Italia indictus est se conferrent; mandatum sibi abs te esse dixerunt, ut hac haberent iter, mihique salutem tuis verbis dicerent, & de tua erga me insigni benevolentia narrarent, quam quidem non solum ex eorum sermonibus testimonioque cognovi, sed ex tuo erudito & pereleganti carmine, quod ad me misisti, aliquanto etiam luculentius. Vidi enim & perspexi ex ipso poemate tuo & quam ingenio valeas, quamque sis liberalibus artibus instructus, & quantum me, quanquam tibi de facie minime cognitum, diligas. Quorum alterum facit, ut tu & mea & omnium benevolentia dignissimus merito judicere, de altero ago tibi atque habeo magnas gratias. Non enim mediocrem animi voluptatem capio, cum sentio, me a tali viro, qualis es tu, & probari & diligi. Quod si me non indignum his studiis, quibus uterque nostrum deditus est, existimas; debes hoc tibi persuasissimum habere, me non concessurum tibi esse, ut in amando sis superior, sed quod & communis humanitas, & mea natura imprimis postulat, omnia me facturum, si oblata fuerit occasio, quamobrem tu de mea erga te voluntate non minora indicia habere possis, quam ego habeo de tua. Quare, quod iidem Monachi mihi exposuerunt, cupere te quandam tuam lucubrationem a me perlegi, & meum de ea judicium tibi indicari: utinam quidem aptus sim ad id præstandum quod tu requiris. Sed certe quicquid in me est ingenii, vel facultatis, etsi est exiguum, tamen ita tibi totum promptum & paratum est, ut ejus ad tuum omne arbitrium revocandi & quocumque libuerit tibi convertendi, summam habeas

beas

beas potestatem. Hunc ego animum cum nobilitati debeo, & præstanti virtuti tuæ, tum ipsi præcipue amori, quo jam tibi in perpetuum sum devictus. Vale. Carpent. XVII. Cal. April. M.D.XLI.

EPISTOLA CCCLXXIV.

Al Cardinal Farnese, *Roma*

Significat opera sua esse factum, ut illum Avenionenses legatum acciperent, populosque istos ei creditos etiam atque etiam commendat.

PErchè M. Giovanni Ugolino e Paolo mio sono in Avignone, però meglio da loro intenderà V. S. Reverendiss. la diligenza usata da noi, ed il buon partito preso, ed il felice successo della cosa, come V. S. Reverendiss. con molta ubbidienza e riverenza di tutti questi popoli verso sua Beatitudine, e verso lei, è stata ammessa ed accettata in Legato e Signore di questo paese, senza alcuna dissenzione, di che potevamo qualche cosa dubitare. Pur con gran consenso ogni cosa è stata fatta, e presa la possessione del Palazzo e in Avignone e in Carpentras, e oggi si cominceranno a fare atti jurisdizionali, e Paolo segnerà in grazia e giustizia, finchè arrivi il Vicelegato, perche così domandano e pregano tutti quegli di Avignone. Io ancora che conosca avermi acquistato molte grazie N. L. C. D. F. pur non mancherò mai nell'onore ed utile di sua Santità e dei suoi, far l'officio, che i meriti suoi verso me, e la mia gratissima volontà ricerca. Sarò uomo da bene, poi la fortuna farà di me, come le parerà. Ben supplico a V. S. Reverendiss. che abbia questi popoli raccomandati, e com'ella dice,

dice, che non hà desiderato aver questa legazione per crescere in robba, così mostri in effetto ed abbia cura di mettervi officiali che governino con giustizia, e senz'avarizia. E in questo modo nel cor di queste genti si edificherà una fortezza che potrà essere utile in tutte le varietà de' tempi. Ho parlato con M. Gio: vomo suo del gran desiderio che io ho che sia avuto rispetto ad un servitore del Q. M. L. vomo da bene, quanto io abbia conosciuto un'altro, il quale da poi il mancamento d'intelletto di suo Padrone, governandosi per miei consigli, con estrema cura, e diligenza virtuosamente, si era messo a restituire in questo paese la giustizia, che prima era perduta, e oramai le cose erano ridotte in buonissimo luogo. Egli è Capitano di Ponte Sorga. Prego V. S. Reverendis. che in costui mi voglia far piacere, e grazia di lassarlovi qualche tempo, che io non potrei in tutta la legazione ricevere la maggiore. V. S. Reverendis. si degnerà raccomandarmi a i santi piedi di N. S. e a se medesimo. In Carpentras a XXIII. di Marzo M. D. XLI.

EPÍSTOLA CCCLXXV.

J. S. AMBROS. CATHARINO POLITO (a) *Lugd.*

Ejus de peccato originali librum se accepisse significat; quem accuratius lecturum profitetur.

MAxima mea cum voluptate eum accepi librum, quem ad me de peccato originis misi-

(a) Vid. notas in epist. CCCXIV. p. 56. hujus tertiæ partis.

misisti (a); in quo ut inscriptiones titulique indicant, sunt & alia præclara multa. Sed hujus loci plane cognoscendi summa quidem cupiditate sum affectus. Itaque quamquam solemnibus occupatus diebus (hodie enim dominicæ mortis memoria recolitur) tamen cum hæc pauca scriberem ad te ante lucem, jam bonam partem disputationis tuæ non tam legeram quidem, quam eram helluatus. Tantam titulus ipse in me legendi cupiditatem excitarat, cum tuam præsertim lucubrationem scriptoris authoritas & doctrina mihi magnopere commendaret, & sane omnia mirabiliter placebant. Sed ego ad aliam accuratiorem & attentiorem lectionem me reservo. Quod tamen hactenus perlectum mihi est, & subtiliter, & perdocte mihi videtur scriptum. Tu quod facis ut perpetuo facere possis, Deum immortalem quæso, ut te diu nobis incolumem conservet, multa enim profecto tuo isto singulari ingenio, quæ in obscuritate diu jacuerunt, poterunt illustrari. Vale & nos dilige. Carpentor. XXV. Aprilis M. D. XLI.

(a) Hæc est hujus operis inscriptio: *de peccato originali & casu hominis ad Cardinalem Rodulphum Carpensem*. Lugduni 1541. in 8.



EPI-

EPISTOLA CCCLXXVI.

JAC. SAD. AMB. CATHARINO POLITO, *Lugdun.*

Librum de peccato originis, quem iterum iterumque legerat, magnopere probat.

ACcepi literas tuas plenissimas amoris; quibus a me petis, ut de tuo libro, quem de originali peccato edidisti, & quem pene totum maxima mea cum voluptate, impeditissimis diebus illis, me quasi devorasse ad te scripseram, proferam tamen quid sentiam, & sensum meum tibi explicem; addisque humanissimè si quid insit, quod minus mihi placeat, te mihi aut ratione aut emendatione satisfacturum. In quo agnosco equidem æquitatem & facilitatem tuam. Sed non est de hoc controversia, quid mihi in tuis scriptis pleceat, aut secus; cum omnia mihi tua perplaceant, sive ingenium in illis, sive in dicendo lepos & copia, sive ipsa rerum, quas tractas, enodatio subtilitasque pendatur. Illud est, quod tibi a me indicandum esse puto, cum perlegissem librum tuum, visum quidem mihi esse tuam opinionem & sententiam refelli, reiicique non posse, tanta est vis in argumentis, tantus & tam inter se aptus rationum contextus, tantum acuminis & probabilitatis in dicendo. Sed ut solent qui vincti sunt, habere quidem constrictum corpus, & ad ejus nutum necessario paratum qui eos constrinxerit, quosdam tamen motus inchoatos & imperfectos ejusdem corporis sibi retinere, quibus frustra & inaniter nitantur, sic mihi, cum mea mens & cogitatio tuis argumentis capta & colligata esset; restabat tamen adhuc in animo nescio quid dubitationis & scrupuli.

 Ita-

Itaque cum tuum librum bis jam legissem, ad tertiam ejusdem lectionem me parabam, qua tibi postea liquidius totum animi mei sensum cogitatumque exponerem. Sed scito hac mutatione rerum, quæ incidit in his locis, Legato superiore vita functo, novoque suffecto (a), tantum mihi laboris & negotii contractum esse ut non modo legendi, aut scribendi, sed ne consistendi quidem ullo certo in loco fuerit potestas. Cogor enim homo omnium quietissimus, meorum interdum populorum causa hoc est, eorum qui meæ fidei & curæ credit sunt, non mediocres ærumnas & sollicitudines capere. Quod si aut mihi dabitur otium, aut tu forte aliquando in has regiones te contuleris, aut scriptis inter nos, aut coram communicabimus ea quæ de hoc ipso originali peccato, vel dubitanda nobis vel comprobanda videbuntur. Nunc tibi hoc significo & nuntio, nec tuo mihi libello doctius aut ingeniosius quicquam, nec eo argumento quod tractas, difficilius videri posse, & superesse tamen adhuc quiddam, quod mihi a te cupiam diligentius explicari. Nam speculo illo tuo hæreticorum (tertium enim librum de vera justificatione nondum legi, eisdem, de quibus dixi angoribus animi impeditus) possum tibi confirmare, nihil me unquam nec eruditius legisse, nec quod cum singulari eximiaque doctrina, plus etiam prudentiæ & veræ religionis conjunctum habeat. Vale & nos dilige XIII. Calend. Junii M. D. XLI. Carpentoracti.

EPI-

(a) Consule hac de re epistolam CCCLXXIV. ad Cardinalem Farnesium pag. 262.

EPISTOLA CCCLXXVII.

JAC. SAD. AMB. CATHARINO POLITO S. *Lugd.*

Ejus de perfecta justificatione sententiam probat, alterumque Catharini opus de providentia & prædestinatione petit.

Ut primum otium & tempus scribendi nactus sum, duxi esse rescribendum eis literis, quas ego abs te superioribus diebus mihi jucundissimas accepi. Atque eo magis duxi, quo cum legissem iterum tuum de perfecta justificatione librum (a); atque eodem ferme tempore binæ ad me ab Urbe essent allatæ schedæ, in quibus erant perscripta capita, de quibus in conventu Ratisponensi inter Theologos nostros & adversarios convenisse dicebatur (b), facile intellexi tuam sententiam ab illiusmodi concordia discrepare. Qua in re mea semper opinio tuæ rationi, quæ in scriptis tuis sese ostendit, suffragata est. Nunquam enim mihi persuaderi potuit, fidem solam per se sine ope-

M 2

(a) Hujus libri hic est titulus: *De perfecta justificatione a fide & operibus ad Cardinalem Gasparum Contarenum Venetum*. Lugd. apud Theobaldum Paganium 1541, in 8.

(b) Consule quæ de hoc Ratisponensi Congressu narrantur a Card. Pallavicino in *Hist. Concilii Tridentini* lib. IV. cap. XV. Capita autem in quibus Theologi nostri, scilicet Joannes Eckius, Julius Peflugus, Joan. Gropperus Coloniensis Archidiaconus, & protestantes, hoc est Philip. Melanchton, Martinus Bucerus, ac Joan. Pistorius convenisse dicebantur, ea fuerunt quæ ad Justificationem, ad Fidem, ad Opera, ad Episcopos, ad Baptysmum pertinent. Prima dissensionis labes Eucharistiæ mysterium Lutheranis fuit, ducto initio a voce *transubstantiationis*.

operibus bonis ad adipiscendum regnum Dei idoneam censeri debere. Tu videlicet & doctius & explicatius ista disceptas. Sed mihi tecum eadem rei summa est, ut judicem, ad veram justificationem fidem cum operibus conjunctam esse oportere (a). Et scripseram quidem ipse quoque ad Urbem quid mihi sentiendum in hac causa esse videbatur, cujus meæ pagellæ misissem ad te exemplum, ni omnia in tuo libro multo diligentius enodata declarataque reperissem, qui liber mihi mirifice probatus est. Misi autem earum exempla pagellarum, quæ ad me ex Urbe perlatæ sunt, ut videres & animadverteres, ecquid ea concordia Christianæ rei utilis & salutaris haberi deberet. Verum tu hæc considerabis diligentius. Ego tuam de providentia & prædestinatione lucubrationem summopere expecto. Spero enim hausturum me inde nitidissimas aquas; quibus mea diuturna sitis & illarum rerum aviditas cognoscendi, summa mea cum voluptate aliquando expleatur. Tu, quæso, da operam, ut illam primo quoque tempore accipiamus, quod facile tibi erit factu, propterea quod inter biblio-

(a) Minus profecto quam par erat Gasparum Contarenum Cardinalem, Apostolicæ sedis in eodem Ratisponensi Conventu Legatum cum Lutheranis laborasse in his quæ ad *justificationem* pertinent, quod nollent bonis justorum operibus *meriti* nomen dare, pronuntiareque æternã nobis tribui felicitatem, ut ipsorum bonorum operum prœmium; patet ex laudato Pallavicino loc. cit. n. 9. Itaque nimia hac in re legati indulgentia adeo Romæ probata non est, ut Pontifex Max. eum admonuerit, caveret, ne sive publico sive privato nomine *assertionem ullam admitteret, nisi cujus non modo sententia sincere Catholica esset, sed etiam voces citra periculum ambiguitatis sonarent, &c.*

bliopolas Lugdunenſes & Pariſienſes frequens eſt harum rerum commercium. Ego ut ſcripſi ad te antea, a literis aliquandiu feriatus fui, & nunc æſtivis caloribus impedior quo minus (quemadmodum vellem) ad earum conſuetudinem me referam, quod tamen paullo poſt videor eſſe facturus. Tu quod Lugduni commorari annum hunc ſtatueris, mihi valde gratum, ſpei enim nonnihil habeo fore, ut interdum nos (quod commodo tuo facere poſſis) inviſas. Illud me pupugit in extrema tua epiſtola, quod optimum & conjunctiſſimum collegam meum Nicolaum Gaddium (a) laborare febricula ſcripſiſti, quo nihil mihi potuit accidere moleſtius. Incredibile eſt, quanti ego illum, quanti ſummam illius humanitatem, mitiſſimos mores, imprimiſque notam mihi & perſpectam erga me benevolentiam faciam. Quapropter ſi me amas, viſe eum quamprimum meo nomine, meiſque verbis amantiſſime ſaluta, & hortare etiam atque etiam, ut omnem curam & diligentiam ad convaleſcendum adhibeat. Abs te autem peto quæſoque, ut optimo quoque tempore facias certiorem. Vale ex ſuburbano noſtro Carpentoractenſi.

(a) Is Florentiæ an. 1490. nobili genere natus, ex cubiculi Apoſtolici Clerico anno 1527. V. Non. Maii a Clemente VII. Cardinalis factus eſt. Cæſarianis obſes poſt Romanam datus direptionem, Neapoli in arce nova veluti in carcere diu latuit ſordidatus. Plura cum in Italia tum in Gallia tranſalpina Sacerdotia obtinuit (erat enim Catharinæ Mediceæ Galliarum reginæ conſanguineus) eaque multorum annorum ſpatio magna prudentiæ ac integritatis laude adminiſtravit. Obiit anno 1555. XVII. Kal. Februarii in patria (cujus libertatis recuperandæ ſtudio

EPISTOLA CCCLXXVIII.

J. SAD. JOAN. BERNARDO FELICIANO, *Venetias*

Ejus literis comiter respondens, Appiani Alexandrini librum a Donato Rullo sibi promissum, se tandem accepisse significat.

ETsi in summa expectatione eram, post Rulli mei literas, quibus ad me de Appiano Alexandrino scripserat, illius libri habendi, meæque in eo legendo explendæ cupiditatis, qua diu fueram hujus egregii (ut ego sentio) scriptoris ipsius lingua cognoscendi non mediocriter accensus, tamen non exiguum fructum ejus moræ, quæ mihi afferebatur tuas accepi literas, quæ & qui vir esses & quam benevolentiam erga me suscepisses, plane mihi indicarunt. Sunt enim amanter prorsus & perdiserte scriptæ. In his quod tarditatem negotii tantopere excusas, tua quidem diligenti mihi vehementer grata; sed excusatio non it necessaria fuit. Facile enim intelligo ea qu aliena fide operaque gerantur, non admodu sæpe respondere votis eorum, qui suum in ii rebus officium agi putant. Quod tamen officiu magis a te ex humanitate tua susceptum est quam quod ego de te ulla in re bene sim meritus. Sed tamen quicquid est, quod abs te actu est mei honoris causa, id mihi prorsus non modo accidit gratissimum, sed magnam etia curam attulit, ut si fuerit occasio, coner compensare non impari munere, præsertim cu

V

---

dio abreptus, adversus Mediceos post sequutam Alexand eadem infelici exitu pugnaverat) conditusque est in tem plo S. Mariæ Novæ. V. Ciacc. opus tom. 3. col. 480.

videam quanta cum diligentia & literarum elegantia ſcriptus liber, idemque a glutinatoribus quam apte & compoſite concinnatus ſit, in quo amoris & liberalitatis primas Rullo partes, tibi ſecundas ſine dubitatione defero; agoque propterea ambobus vobis magnas gratias. Tibi autem, qui me in tuis literis eis laudibus ornas, quas ego non agnoſco, totumque id refero amorem ad eundem, qui tuus erga me mihi jam peſpectus eſt; his meis Feliciane literis hoc reſpondeo; te, etſi nequaquam antea mihi fueris notus, tamen hoc recente officio ita animo inſediſſe meo, ut quidem te poſthac in meorum amiciſſimorum numero habiturus ſim. Neque id ſolum, verum etiam optaturus locum & tempus aliquod mihi dari, quo tu me item tui amantiſſimum eſſe intelligas. Vale. Carpentoracti Idibus Junii M. D. XLI.

EPISTOLA CCCLXXIX.

JAC. SAD. DONATO RULLO S. P. D. *Venet.*

Oſtendit quanta cum voluptate Appiani Alexandrini librum ab illo græce exſcriptum ſibique dono miſſum tandem acceperit.

SAt longum intervallum factum eſt, ex quo ego tuas litteras accepi XII. Cal. Aprilis Venetiis datas, quæ etſi ſummam ſignificationem tui erga me amoris habebant, erantque ita ſcriptæ, ut nihil illis ſuavius, nihil ingenui animi liberaliſque natura ſignificantius fieri poſſe videretur, tamen quoniam habebant Appiani Alexandrini mentionem, teque adhibuiſſe diligentiam, ut is liber græcè deſcriberetur, mihique mitteretur, indicabant: non

putavi mihi quicquam rescribendum; quoad certò scirem, quo allatus ille liber & cuju fidei ac diligentiæ mihi reddendus commendatus fuisset. Nihil enim erat de hac re in tui literis scriptum, neque valebam conjectura assequi, unde illum mihi, aut quo pacto accersendum putarem. Quod cum longius duceretur, egoque in maxima expectatione tui mih optatissimi muneris essem; recordor scripsisse ad Priulum talem virum, qualem tu quoqu existimas, hoc est omnibus ingenii, officii virtutisque ornamentis præditum, ut is re exploratа, quamprimum hac me expectation liberaret. Qui cum ad me scripsit, tum misi etiam Joannis Bernardi Feliciani (hominis docti, &, ut perspexisse videor, mei quoque studiosi & amantis) literas, ex quibus duplicite lætatus sum, quod in eis luculentum inera testimonium & tuæ singularis benevolentiæ erga me & item suæ. Neque tamen statim libe tunc una cum literis, sed post aliquot dies mihi tandem redditus est. Quem ego, mi suavissime Rulle, ea cum animi lætitia accepi. qua solent, qui magnum honorem aliquem au regnum concupiverunt ad sui desiderii exitun pervenire. Nam mihi quidem regnum atqu honos literæ sunt, in quibus ita versor, u non ex illis lucem & gloriam, sed moderationem animi, & regulam quandam vitæ pacatiu traducendæ, mihi sumendam putem. Porro autem hunc authorem semper imprimis admiratus sum, prudentiamque in eo pene singularem cognovi, etsi cum latinum legerem, neque verba satis in eo, neque sententiæ constabant; perspiciebam tamen in ejus scriptis nescio quid, quod se mihi extollere super com-

mu-

munem usum cæterorum scriptorum, præsertimque Græcorum videretur, quod nunc tuo insigni, mi Rulle, beneficio melius & liquidius dijudicare potero. Totum enim scriptorem hunc plane penitusque comprehendam, & perscrutabor, ad quod me adjuvabit, quod ita & scriptus & glutinatus liber est, iisque & literarum intus & extra pegmatis illustratus; ut non solum utilitas, verum etiam voluptas me ad legendum vehementer sit allectura. In quo video tuam summam diligentiam, cum summo amore, quem in me habes, certasse. Quare gratias tibi quidem ago pro tua erga me liberalitate, & habeo maximas. Sed, in quo etiam gratius mihi es facturus, si me diligis, et si hominem esse me existimas non indignum eis studiis, in quibus ambo educati sumus, persuasissimum tibi habebis, nunquam tui hujus officii elapsuram mihi memoriam ex animo, nec modo me adductum beneficio, verum etiam imprimis benevolentia erga me tua, curaturum omni studio, ut aliquod aliquando mei in te amoris & gratissimæ voluntatis indicium appareat. Vale ex Feliciano Carpentoractensis Diœceseos Idibus Junii M. D. XLI.

EPISTOLA CCCLXXX.

J. S. BENED. ACCOLTO CARD. RAVENNÆ, Ven.

Gratulatur, illum ex morbo convaluisse, petitque ut Salviato Card. nunciet, secundo de ædificatione Ecclesiæ libro a se absoluto, Romamque misso, tertium scribere aggressum esse.

NImium jamdiu est ex quo ego ad te nihil litterarum dedi, cum neque libentius

 fa-

faciam quicquam, quam loqui tecum per litteras, ubi coram non datur, & tu mihi in intimis sensibus assidue sis infixus, sed indicabo tibi quæ me ratio deterruerit. Venerant superioribus diebus ab urbe Roma Nuncii, mihi pergraves, omnibus meis molesti, qui te adversa valetudine vehementer laborare, nec longe abesse a periculo vitæ nunciarent. Scribere ego non poteram, quantum mihi ea res molestiæ & doloris attulisset, quantoque in metu, & quam sollicitus per eos dies fuissem, nullum ut tempus vitæ, viderer mihi unquam expertus esse acerbius. Cum jacerem totus & animo, & corpore, &, ut timidus est amor, multa mihi intollerabilia, proponerem, ecce fortunatiores nuncii, melius jam tibi factum esse, teque periculo vacuum a morbo pene jam convaluisse, huc ad nos perferunt. Sustuli manus videlicet, & Deo omnipotenti gratias maximas egi, quod is sua bonitate & clementia, cum tua, & omnium qui te diligunt, vota, tum meas quoque preces exaudisset, quas ego illi obtuleram pro tua salute plurimas. Quid quæris? non minus ego, quam tu a morbo illo atque periculo videbar esse relevatus, solque mihi, quam unquam ante, multo splendidior illuxerat. Sed cum ad te tum re recenti scribere cogitarem, ut scires quanto cum gaudio hunc posteriorem accepissem nuntium, idcirco non feci, quia veritus sum, ne rem minorem, quam erat, facerem, cum nequirem plane tibi exponere magnitudinem lætitiæ & sensum animi mei, in quo ipso animo meo non egomet sum, quam tu, magis locatus & insitus: tantum potest apud me tuorum erga me meritorum, maximorum quidem illorum & cre-

creberrimorum, memoria, fidesque ea, quam de tua in me benevolentia multis mihi jam signis certissimam fecisti, ut non plures ego partes in me ipso habeam, quam habeat meus mihi optatissimus & carissimus Ravennas. Sed hæc forsitan memoratu supervacanea nunc sunt, amoris enim potius sunt quam opportunitatis, cui me tamen parere amori, & cedere, interdumque me ab illo sinere arripi, quo tua major & magis excellens est humanitas, hoc minus mihi vitio, & imprudentiæ assignabis. Illud quod mihi videtur non opportunum modo, sed etiam necessarium nequaquam prætermittam, primum ut gratuler, neque id adeo tibi potius quam mihi, quod incolumis nobis servatus sis, quo munere nullum ab Deo immortali de his, quæ infra cœlum tribui nobis solent, videor majus sperare aut expetere posse; deinde ut te rogem ac deprecer, si te ipsum & nos diligis, qui sumus profecto tui, et si rem non modo gratam, verum etiam salutarem nobis facere cogitas, quod tamen semper fuit proprium & naturæ, & beneficentiæ tuæ, cures, agas, enitare, efficias denique optime mi Accolte, & suavissime, recte uti valeas. Cœlum istud vereor, in quo tu versaris, ut tibi minus salubre sit, nam ego quoque illud, cum degebam isthic, infensius mihi sentiebam. Si habes facultatem commodioris loci, migrandum censerem, sin minus, potest tamen haberi ratio ejusmodi victus, ut adversus malitiam extranei aeris salus tua tuta & munita esse possit. Sed nimis inconsiderate provehor, qui audeam monere hominem summi ingenii summæque prudentiæ. Ignosce obsecro amori meo: cui dum obsequor, non tam quis ego sim, aut tu

qui sis, quam quid maxime optem, & cupiam, cogitavi. Salviatum (a) collegam nostrum summæ virtutis, summæque amplitudinis, si isthic est, meis verbis salvere jubeas velim quamplurimum, simulque ei nuncies, me secundum operis mei de ædificatione ecclesiæ librum confecisse, eumque Romam misisse, ut illic doctorum & bonorum virorum judiciis expendatur: nunc me versari in elucubrando tertio. Quibus in meis vigiliis omnibus non nomen solum & imago, sed memoria quoque ipsius erga me benevolentiæ mihi assidue ob animum præsens & proposita est. Vale mi dulcissime & desideratissime Ravennas, iterumque & sæpius vale atque salve etiam atque etiam. Ex S. Felici Dioec. nostræ, Cal. Aug. M. D. XLI.

EPISTOLA CCCLXXXI.

CARDINALIS RAVENNÆ JAC. SAD. S. Carp.

Respondet proximæ superiori epistolæ.

QUantam mihi doloris tui ex periculo meo significationem proximæ tuæ literæ attulerint, vel ex eo potes cognoscere, quod ego qui unice illis soleo delectari, perlectis tamen varie sum affectus. Nam etsi nihil potest mihi tam jucundum accidere, quam constantis, summique tui erga me amoris declaratio, quadam tamen quasi .... est effectum, ut tua illa de mea invaletudine molestia non parum in me redundaret, rursusque singularis de me cura, ac studium incredibiliter recrearet. Itaque tibi primum, quas hoc tempore possum, de eo gratias

(a) Joannem Salviatum Card. de quo in not. ad epist. LXXVIII. part. I. pag. 217.

tias ago, relaturus ingentes, si quando ii fructus qui a me tibi tuisque omnibus maximi atque uberrimi debentur ad suam, ut spero, maturitatem pervenient, deinde, quod tu valde expetis, ego item tibi valde polliceor istam tuam tam egregiam, vereque paternam benevolentiæ caritatem mihi posthac acris monitoris loco futuram esse, ut valetudinem, qua satis jam firma videor uti, omni ratione, & diligentia tuear. Ac cum mihi singulari adversus morbum superioribus mensibus fuerit adjumento cœli mutatio, quo etiam nunc utor præsidio; cumque jam antea decrevissem per æstatem saltem & autumnum in locum commodiorem mihi esse migrandum; tamen multo id exequar constantius, tuis prudentissimis monitis in ea sententia confirmatus. Salviatum collegam nostrum, qui te summe diligit, summamque tuam virtutem plurimi facis, per litteras salvere tuo nomine jubebo, quodque & illi, & bonis omnibus magno futurum est gaudio, nunciabo tertium librum de ædificatione Ecclesiæ te esse aggressum scribere, secundo jam absoluto. Vale XV. Calendas Octobris M. D. XLI. Venetiis.

EPISTOLA CCCLXXXII.

J. SAD. ANT. FLOREBELLO SUO S. D. (a) *Mutin.*

Eum sibi comitem petit.

SUperioribus proximis diebus dedi ad optimum virum Joannem Nicolaum patrem tuum

(a) Vide quæ de hac Sadoleti epistola habentur in Florebelli vita a nobis descripta pag. 5. editaque ad calcem Pontificiarum ejusdem Sadoleti epistolarum.

tuum mea manu scriptas literas, quibus cupiditatem illi meam tui reditus ad nos, non mediocrem significabam, magnopereque eum hortabar, ut is quamprimum te de nostra hujusmodi voluntate faceret certiorem. Quæ literæ satis ne fideliter perlatæ sint ignoro, nullum enim ad eas adhuc accepi responsum. Cum autem res ipsa, & tempus meum postularet, ut instarem & urgerem, quod tua aut alicujus tui similis (si tamen alii similes) opera, fide, industriaque vehementer egeo, statui mihi ipsi scribendum esse ad te, cum neque haberem quemquam, quem pro meo jure fidentius, atque amantius, quam te ipsum possem accersere, etsi multi essent ad nutum nobis parati, quem præferremus tibi, neminem tamen inveniremus. Ac ne mirere, unde hæc nostra tui evocatio tam incitata & vehemens nata sit, scito Paulum tuum, qui mihi in meis omnibus curis, studiis, actionibus, vigiliis, summa cum fidelitate, & diligentia præsto semper fuit, suoque labore, & in omni genere excellenti virtute operaque effecit, ut te tantisper abesse a nobis æquiore animo ferremus, novo nunc magistratu impeditum (hujus enim Provinciæ rector constitutus est) non ita multum esse jam nobiscum, neque eam, quam solitus est, operam posthac navare nobis posse. Cujus ego etsi honore laudeque virtutis vehementer lætor, & quod in eo munere tractando, ad quod est vocatus, ita se gerit, ut cum maxima laude omnium summaque & prudentiæ, & æquitatis fama, & suam & nostræ familiæ dignitatem reddat illustriorem; tamen non queo mearum rerum privatarum non sentire incommodum & pristinam illius consuetudinem utilitatemque non desiderare.

Qua-

Quapropter cogor alium quempiam sufficere in ejus locum, qui & mearum cogitationum particeps, & fortunarum socius existat. Eum ego te esse opto, mi Antoni, & præter ceteros expeto. Tu enim solus, aut certe optime omnium, & desiderium nostrum hoc lenire, & sarcire incommodum tua præsentia potes. Nam cum de tuo ingenio, doctrina, probitate, singulare judicium semper feci, tum te habui proximum, quem æque pene atque illum ipsum diligerem. Præterea te mihi obstrictum fide & promisso esse arbitror, discessisti enim a nobis, me concedente & permittente, cum Patavium es profectus, ea lege & conditione, ut simul atque inclamassem, opusque esse dixissem, revolaturum te reciperes. Quare cum tui accersendi tempus venerit, egoque te non vocem solum, verum flagitem etiam, atque expectem, tuarum nunc partium est, tuique etiam pudoris, & ejus ingenii, quod optimum in te cognitum & perspectum mihi est; non solum operam dare, ut restituas te nobis, sed ut confestim & sine ulla mora restituas. In quo ipse volo tibi persuadeas, te a me non modo in consuetudinis, & familiaritatis consortium, sed in omnis fortunæ tum dubiæ tum secundæ societatem vocari. Has ego cum scriberem litteras, cupiebam vehementer tibi eas cito reddi, ut tu primo quoque tempore, quid de hac re statutum haberes, facere me posses certiorem. Si enim tua consilia (id quod opto & spero) cum expectatione mea consenserint, ad iter statim te parabis. Sin autem forte (quod vix fas esse arbitror) alieno fueris a nostra voluntate animo, nosse aveo tamen, idque quamprimum, consilium omne tuum, ut si mihi

præ-

præcisa spes tui adventus fuerit, alicubi quærам, qui mihi & ad manum, & ad curarum communicationem præsto sit; quem tamen neque alium, quam te esse velim & potissimum omnium te fore confido atque auguror. Vale, & rescribe. Ex Feliciano nostræ dioeceseos, XVI Calend. Septemb. M. D. XLI.

EPISTOLA CCCLXXXIII.

JAC. SAD. LAZARO BONAMICO (a), *Patavium*

Jocose primum scribit de literarum brevitate; deinde amoto ludo, de Fregosii morte; de profectione Pauli Sacrati, deque Bonamici epistola ad Rullum verba facit.

ADventus ad nos Florebelli nostri, cum mihi per se magnæ voluptati fuit, tum eo etiam gratior & jucundior, quod & tuas i mihi attulit literas, & percontationibus mei quas habui de te peritissime respondendo, omnia tua diligenter est persecutus. Quo quidem sermonis genere, in quo videlicet Lazarus meus is & amicus & vir, quem ego & judicio animi & studio, & benevolentia complector prop singulari, ultro citroque versatur, nullum facile possum reperire suavius. Illud cupiissem ut te tuæ occupationes non detinuissent, quo minus ad me longiorem epistolam mitteres Non enim dici potest, quam libenter tuas epistolas legam, & quidem longissimas, quanqu libentissime, ut illas legens, tecum mihi videar loqui. Quod si olim in collocutionibus nostris, illud inerat & usitatum & dulce, quod libere & sine cura ulla, sine cautione inter nos effi-

(a) V. not. in epist. LXVI. part. 1. pag. 174.

efficiebamus quæcumque in buccam venerant, quam nobis licentiam familiaritas dabat, qui nunc convenit restrictos esse in scribendo, cum liceat eadem fiducia ex libertate loquendi literas conficere, qua sermones conferebamus? Sed tu vereris fortasse, ne tibi in epistolis tuas facundiæ opes explicanti, postea cum e suggestu juventutem doces, contra causidicos desit oratio, quorum tu, quanquam optimus dialectius es, captiones tamen vitare nequivisti. Quid vis fieri? Sua cuique hominum generi sophismata sunt, quibus captent adversarios, & in laqueum inducant; quanquam capitaliora fortasse quæ aurum, quam ea quæ mentem ex suis educant locis. Sed quid ago? cum ad jocandum minime idoneum tempus sit, & ego id non cogitans, ad veterem inter nos consuetudinem sic garriendi relapsus sum. Nam si verum scire vis, mi Lazare, ego cum has scriberem literas, & in maxima eram sollicitudine de Repub. quam vides ipse profecto quo in statu, vel potius quo in motu posita sit, omnia quidem ut adversa in ea & aspera horrere debeamus, & tantum doloris acceperam ex morte summi viri mihi collegæ omnibus & amoris & officii vinculis conjunctissimi Federici Fregosii (a), ut adhuc animus illo vulnere æger ex mœrore & tristitia recreari non posset, cui tamen vulneri paulum quid medicamenti induxit tui absentis recordatio. Nunc revivisceret dolor, nisi eum ego ab hujus argumento epistolæ penitus exclusum vellem, præsertim cum alia quadam mea lucubratiuncula tanti viri obi-

(a) Obiit Feder. Fregosius III. Idus Julii an. 1541. Lege not. in Sadol. vit. pag. IX.

obitum satis sim lamentis prosecutus. Eam schedam ad te perferet Paulus Sacratus meus, quem ego cupientem jamdiu vestrum istud gymnasium Patavinum invisere, & in eo dare operam non studiis solum artium optimarum, sed studiorum etiam in disputando & cum æqualibus differendo exercitationibus, libenter ad vos dimisi, tua fretus imprimis humanitate & in nos benevolentia. Non enim dubito, quin eum tu sis eodem loco habiturus, quo ego habere soleo. Itaque illum ne commendo quidem, satis enim tibi nostra amicitia commendat. Tuam ad Donatum Rullum epistolam legi perlibenter, non solum quia diserte & erudite scripta est, ita ut accedat ad antiquitatis laudem, sed etiam, quia ad hominem eum missa est, quem ego mirabiliter diligo; tum virtutibus ejus, tum etiam officiis erga me, vel beneficiis potius provocatus, cui ipsi, quæso meis verbis dicito, si nos dignos statuerit, quos aliquando in hæc loca veniens invisat, permagnum me ex adventu ejus, & ex conspectu lætitiam esse capturum. Vale mi Lazare XII. Cal. Octobr. Carpentoracti.

EPISTOLA CCCLXXXIV.

JAC. SAD. FRANC. TURNONIO CARD. (a) S.D.

Quod ejus opera Regisque clementia Gallorum militum hyberna a suæ Diœceseos locis fuerint remota, ei gratias agit, ac Pigbium in Galliam proficiscentem eidem commendat.

PRimum tibi ago maximas (ut debeo) gratias, quod tua opera, & authoritate est factum

(a) V. not. in epist. CLXXVI. part. 2. pag. 112.

factum, ut nos heic qui hybernis militum gravissime pressi eramus, Regis clementia & benignitate levaremur. Quod tuum in meos hosce populos beneficium hoc mihi accidit gratius, quam si in me ipsum proprie collatum fuisset, quo plus apud me ratio officii valet, quam commodi. Certe enim nihil est homini optandum, quod ego malim meum esse, quam eorum qui meæ fidei & custodiæ ab ipso Deo crediti & commendati sunt. Sed grati animi nostri erga te declarandi alius dabitur locus. Nunc instat occasio, ut eandem tuam humanitatem requiram, quam erga me propensam sæpe jam expertus sum. Albertus Pighius (a), cujus tibi quoque nomen propter virtutis & doctrinæ excellentiam, auditum esse arbitror, istuc venit, aditurus Regem aliquot de causis. Hunc ego tuæ fidei humanitatique diligentissime commendo. Amo enim hominem, idque majorem in modum. Nec solum amo, verum etiam admiror. Facile enim intelligo, idque audacter non dubito confirmare, eorum qui ex cæteris nationibus doctrinæ & literarum nomine ad cognitionem meam pervenerint, neminem neque doctiorem neque variis scientiis instructiorem atque ornatiorem, quam hunc, mihi notum fuisse. Accedit, quod theologiæ scientiam, qua mirabiliter est præditus, ad eos usus convertit, qui maxime sancti & salutares populo Christiano sint. Semper enim fidem catholicam & Ecclesiam Romanam nostram acri & invicta propugnatione, pluribus egregiis voluminibus editis est tutatus, ut hoc quidem nomi-

(a) De quo vid. notas in epist. CCCXIX. pag. 68. & 69. hujus partis.

nomine noster illi ordo plurimum debeat. Qu
circa cum ita se habeat res, tuaque in huj
modi homines propensa semper & benefica e
titerit voluntas, oro te amplissime Turnor
& omnibus precibus rogo, ut hominem in fid
& patrocinium tuum receptum, tua apud R
gem gratia, quæ maxima est, foveas & tue
re, atque ad eam benignitatem, quam t
sponte illi esses præstiturus, aliquid quoq
præterea mea causa addas, quo mihi facere n
hil gratius potes. Illud tibi confirmo, si h
minem hunc humanitate tua & liberalitate fu
ris complexus; maximam gratiam ab omnib
iis qui ubique terrarum optimis artibus ded
ti sunt, initurum te esse. Vale Carpent. Idi
Novemb. M. D. XLI.

EPISTOLA CCCLXXXV.

JAC. SAD. NICOL. RODULPHO CARD. (a) *Ro*

*Quod rarius ad eum litteras dederit sese ex
cusat.*

NOn oblivione mutuæ benevolentiæ n
stræ, rarius ad te do literas, quam fo
sitan usus veteris nostræ conjunctionis postule
sed pudore quodam id fit potius, quod vereo
ne tuis gravioribus curis intempestivus obstr
pam. Nam mihi quidem otium est (ut tu
scis) absenti a negotiis publicis, si tamen i
tantis calamitatibus Reipub. otium cuiquam
aliquod esse potest. Sed tamen ex alterius vo
luntate non dependent actiones meæ, quas ips
mihi ad meum arbitrium comparo. Itaque mi
hi a

(a) De Rodulpho consule notas in epist. CCCXVI
pag. 60. hujus partis.

hi ad scribendum tempus suppeditant, & soleo ego amicos libenter salutare literis. Sed ea, ut dixi, ratione deterreor, quod metuo, ne occupationibus illorum molestus interveniam, tuisque præsertim, qui publicis negotiis privata etiam tua domestica addidisti. Non enim tu ubi a senatu dimissus es, refers te continuo in otium, aut ullam partem temporis desidiæ & cessationi das, sed Reipub. curas, illa domi præclara artium optimarum studia excipiunt, in quibus ætatem tuam recte collocandam putasti. Est autem hoc tempore non modo prudens hoc consilium, verum etiam unicum propemodum & solum salutare, parare sibi quenque domi ad bene beateque vivendum copias. Cum enim videamus quanto labantur in deterius quotidie rationes publicæ, cur non domesticis bonis nos ipsos muniamus? quorum bonorum (ut tu optime nosti) caput omnium est, cum cæterarum quidem liberalium artium, tum Christianæ imprimis Theologiæ scientia. Quanquam vos quoque arbitror, sub sapientissimo Pontifice aliquid isthic opis atque auxilii cadenti Reipub. esse reperturos. Equidem qui lætis rebus & ex sententia fluentibus a strepitu ipso Urbis & curiæ, ab honoribus & pompis æquo animo absum, idem, si quid durius increpuerit (quod quidem Deus omen in barbaros hostes convertat) promptissime accurram, nec tam ut præsens consilio vos juvem (istud enim in me exiguum sane & parvi admodum momenti est) quam ut pietati meæ erga Remp. satisfaciam. Sed ut ad id quod primo proposueram revertar, cupio majorem in modum, doctissime humanissimeque Rodulphe, ut me sive loquentem tecum per literas, sive etiam tacen-

tacentem, manere tamen in eodem amore observantia erga te, tibi plane persuasum h beas. Vale. Carp. VII. Cal. Decemb. M. D. X

EPISTOLA CCCLXXXVI.

JAC. SAD. PAULO III. PONT. MAX. (a) Re

Gregorium Cortesium Pontifici magnopere co mendat, ut illum in Cardinalium Collegi adsciscere velit.

PRimum deprecor sanctitatem tuam, ut m liberius fortasse quam humilitatem me deceat, meum apud ipsam desiderium expr menti, ignoscere ne gravetur; deinde ut qu dicturus sum pro sua sapientia examinet & p pendat. In altero enim singularis tuæ sancti tis humanitas, in qua ipsa quoque vult, qua in honoribus fortunæ esse excelsior, dat mi fiduciam, alterum quia cum utilitate Reip. cum tua laude conjunctum est, dignum mi videtur, quod & a me proferri & abs te debe diligenter considerari. Etenim Pater Sanc ego mecum sæpenumero recordans illa præcl ra initia gerendi Pontificatus, tum cum sanct tas tua correctione morum sacerdotibus ind cta, multisque viris clarissimis & omni virt tis laude præstantibus, ad summos honores E clesiasticos vocatis, universum terrarum o bem in spem meliorum rerum erexit (Deu immortalem testor) cupivi ex eo tempore sen per ut illa propria & perennis tua esset glori neve eam unquam in deligendis optime mer tis hominibus aliqua adjuncta obscurior el ctio infuscaret. Memini enim quanta celebr ta

(a) Vid. not. in epist. CCXI. part. II. pag. 262.

tate famæ, quibus hominum sermonibus, qua admiratione virtutis, prudentiæ, magnitudinis animi tui, illud egregium & commemorabile facinus fuerit acceptum. Itaque ego, qui in colenda, amanda, venerandaque sanctitate tua arctiore multo beneficii vinculo, quam cæteri omnes, astringor, propterea quod alii multum quidem habuerunt in se omnes virtutis & meritorum, quamobrem beneficium tuum illis quodammodo debitum videretur, ego autem nihil, sed omnis meus honos, meæque dignitatis amplificatio, liberum fuit judicium & propria liberalitas sanctitatis tuæ, sicut plusquam cæteros tibi debere me intelligebam, ita majore etiam quam illi, in tanta tua gloria & prædicatione amplissimæ laudis, animi lætitia & voluptate perfruebar, qua assiduè quoque in posterum frui cupio. Nec mihi quicquam magis est in optatis, quam audire, sanctitatem tuam, non cupiditatibus hujus, aut illius, sed suæ potissimum sapientiæ & Christiani nominis utilitati inservientem, si supplendus ordo noster sit, quem suppletum iri fama nunciat, habere hominum dignissimorum, ut solita est, delectum, & optimos, ac doctissimos in amplissimum Collegium adsciscere. Namque Pater Sancte præter communis Reipub. commodum, quæ inclinata jam & propemodum corruens, talibus columnis maxime fulcienda est, hi præterea soli omnino sunt, qui fidem præstant suam honoris sui authoribus, quippe eos, & in ipsis & in posteritate eorum semper salvos, honestos, florentesque esse cupiunt, cæteris (ut sanctitas tua animadvertere sæpe potuit) qui non ex virtute, sed ex ambitione lecti sint, studia & actiones suas,
non

non officio aut honestatis decore, sed emolumenti compendio fere dirigentibus. Atque hæc quidem tuæ sanctitatis erit consideratio. Illud meum desiderium, de quo agere eram exorsus, ut in habenda Cardinalium cooptandorum ratione, unum tibi hominem nominarem, tua ut dixi, benignitate fretus, quem certè dignum omni honore arbitror, & in quo ornando judicium tuæ sanctitatis summam consecuturum laudem esse non dubito. Is autem est Gregorius Cortesius Abbas (a), de quo nemo est protecto, qui nesciat quæcumque in magno & bono Sacerdote postulanda sint, omnia in eo excellenter inesse, ingenium, consilium, eloquentiam, doctrinam, & quæ his quoque laudabiliora sunt, quoniam Christianis moribus sunt propria, pietatem præterea, continentiam, religionem. Neque vero aliter de eo sanctitas tua judicavit, tum cum eum vocandum in consilium maximarum rerum putavit. Hunc igitur ego in supplendo Cardinalium collegio sanctitati tuæ vehementer cupio esse commendatum. Et eo magis, quod Federico Fregosio tanto & tam præstante Cardinali nuper amisso, dolorem quem ex illius morte incredibilem accepimus, hujus honore, si tua ita voluntas feret, consolabimur. Atque ipse quidem nihil omnino hujusmodi rerum cogitat: ego autem laboro, qui & illum diligo, virtutis quidem causa, & imprimis tamen decus sanctitatis tuæ habeo mihi ante oculos propositum. Ad cujus insignem laudem si hoc

(a) Et sane in Cardinalium senatum a Paulo III. relatus est anno sequenti. Vid. notas in epist. X. part. I. pag. 28. & in Sadoleti vitam pag. LXVII. & LXVIII.

hoc factum redundaturum est, si consuevit ipsa nihilominus honores ecclesiasticos talibus viris libenter mandare, ne aspernetur quæso preces & obsecrationes meas, meque dignum efficiat, cujus voluntati suam rectissimam & benignissimam accommodet voluntatem. Equidem Pater sancte, si hoc me beneficio, & Christianam mecum una Remp. affectam esse videro, qui sum plurimis jam tuis erga me meritis devinctus, maximo me hoc munere cumulatum arbitrabor, tibique perpetuas & agam & referam, quoad licebit, habebo quidem certe & prædicabo gratias. Deum omnipotentem oro, ut sanctitatem tuam salvam & florentem diu nobis conservet. Carpent. VII. Cal. Decemb. M. D. XLI.

EPISTOLA CCCLXXXVII.

J. SAD. GREGORIO CORTESIO ABBATI, *Mut.*

Periclitanti Reipub. magnam illum, ait, opem ferre posse, seque omni studio eniturum, ut in Fregosii Card. demortui locum substituatur.

FRuctus nostræ amicitiæ, qui ex usu & congressu quotidiano, communicationeque sermonum & cogitationum omnium percipi uberrimus solet, fuit ille quidem nobis multa & rerum varietate & temporum interruptus, quod in simili & voluntate & natura, dissimilitudine quadam curarum atque actionum & longinquitate regionum fuimus fere disjuncti. Sed tamen & tua eximia virtus, præstansque optimarum artium scientia te animo meo præsentem semper constituit, & amicitiæ fides, (sicut ego mihi persuadeo) item me tuo, ut si abfuimus corporibus, animis tamen proximi,

copulatique fuerimus. At nunc tanto intervallo literarum inter nos facto, quod præter consuetudinem ad te scribam ne forsitan mireris; ratio tibi a me mei facti reddenda est. Ego te, Cortesi optime & doctissime, cum talem jamdiu virum esse cognovissem, qualem omnes existimant, omnibus ingenii, humanitatis, doctrinæ ornamentis præditum, amare cœpi ab initio non mediocriter, nec communi illo, quo omnes bonos diligimus, sed præcipuo quodam & singulari amore. Quam animi mei propensionem erga te, secuta aliquot locis inter nos, brevis illa, sed jucunda congressio, confirmavit. Neque vero postea memoriam unquam tui, quanquam absens, intermisi. Sed quod usu venire interdum solet, ut accidant res occasionesque nonnullæ, quibus ad acriorem amicorum absentium recordationem animus commoveatur, id mihi nunc contigit adventu ad nos vel reversione potius Ant. Florebelli nostri. Quem & ipsum doctissimum juvenem, mihique carissimum, cum per se libentissime vidissem; tum accessio ad eam voluptatem, quam ex ejus adventu cœpi, non exigua fuit, quod is de absentibus amicis ac necessariis meis ea quæ scire cupiebam, exposuit mihi omnia, in quibus multus de te nobis sermo, isque jucundissimus. Faciebat autem & conditio temporum & necessitas rerum communium, quas hodie videmus in grave discrimen adductas, ut in percontando de te diutius commorarer, partim id mihi sumens ad animi solatium & oblectationem, partim in eam solicitudinem atque curam, quam pro Repub. capio, convertens & referens. Ac mihi quidem in magno meo ac pene intolerabili dolore, quem ex Fe-

deri

derici Fregosii, utriusque nostrum, ut tute scis amicissimi, summi præterea & singularis viri ac Cardinalis, morte acceperam, non mediocris levatio erat tuarum insignium virtutum & mutuæ inter nos benevolentiæ commemoratio. De Repub. autem ita cogitabam, cum ea tali suo tempore ex tanti viri interitu gravissime esset affecta, debere nos omnes qui eam salvam & incolumem esse cupimus, dare operam, & elaborare pro sua quemque parte; ut ad ipsius gubernacula ii admoveantur, qui ferre illi opem & subvenire periclitanti possint. Quo quidem e numero tu, cum semper aptus, tum hoc tempore præcipue præstans eximiusque judicaris, cum reliquis tot jam luminibus extinctis eluceat virtus, & doctrina, & integritas tua. His ego curis & cogitationibus excitatus, præter & meam & tuam expectationem, ut ad te scriberem, adductus sum, non memoriam tui & benevolentiam, tanquam absoletam renovans, quæ semper apud animum meum incolumis servata est, sed hoc recens tibi consilium meum scribens, qui decrevi & statutum habeo curare atque eniti quantum in me est, ut ab iis quos penes est potestas, tui honoris ratio & utilitatis simul Reipub. habeatur (a). Hoc si in Urbe & curia præsens adessem, agerem fortasse accuratius & vigilantius. Nunc quando absum longe gentium, sicut ipse perspicis, ita contendam tamen, ut mea mihi teste animi conscientia, quam ego omnium rerum facio longe plurimi, nullum a me officium, quod sit vel amicitiæ vel Reipub. debitum,

(a) Vide proximam superiorem epistolam ad summum Pontificem datam pag. 287.

prætermittatur. Tu interim, ut valetudini se vias, salvumque te nobis conserves, & Isid rum Clarium tuum, hominem doctissimun virumque optimum meis ut salvere verbis j beas, abs te peto. Carpentoracti, M. D. XLI

EPISTOLA CCCLXXXVIII.

J. SAD. HERMANNO ARCHIEP. COLONIENSI (

Primo concilium episcoporum ab eo in Colonie provincia habitum, ejusdemque in illud com mentarios laudat; deinde de generalis Conc lii habendi necessitate, multis agit.

CUM legissem commentarios, quos tu concilio episcoporum provinciæ tuæ, m re majorum per te habito actoque, de corrige dis moribus sacerdotum, deque ecclesiæ sacr mentis eruditissime scriptos, in lucem dedi (a)

(a) Hermanno nimirum *de Moeurs*, qui quum n modo Coloniensi, sed etiam Mindensi, Osnaburgensi, Monasteriensi Ecclesiis multorum annorum spatio pr fuisset, anno tandem 1543. voluptatum illecebris irre tus, novatorumque ac Buceri præsertim dolis fallaciisq deceptus, ab Ecclesiæ Catholicæ unitate turpissime d fecit, & ad Lutheranorum castra transfugit. Nobilissi viri casum, cum Senatus, *Capitulum*, P. Q. Colonien tum ipse Carolus Cæsar summusque Pontifex commi rati nullum non moverunt lapidem, ut ejus mentem tanto scelere ad saniora consilia revocarent. Quod qu frustra diu multumque tentassent, omni demum dignit te spoliatus est a Paulo III. anno 1546., Adulpho ex C mitibus Schvvemburgiensibus eidem suffecto in Eccle Coloniensis procuratione. Itaque anno 1547. ab ea se expulsus, apud Lutheranos anno 1552. misere interii Vide Raynald. in Annalibus tom. XXI. part. 2. pag.

(a), equidem commotus admiratione tui præstantissimi consilii ejusque actionis, qua nulla major hoc tempore, nec Christianæ Reip. utilior suscipi potuit, auxi majorem in modum benevolentiam erga te meam, quam aliquot de causis conceptam antea habebam, teque & magnum virum & optimum antistitem, omnique honore ab omnibus dignissimum judicavi. Non enim solum tu primus aliquot jam seculorum spatio eam ad rite & sancte gerendum sacerdotium tuum, viam tibi aperuisti, quæ antea ob diuturnam desuetudinem, tanquam impeditissimis stirpibus penitus erat obsepta; sed etiam cæteris exemplum illustre præbuisti, ut te imitarentur, si qui vellent, & si quorum in cordibus pietas & religio Christiana locum aliquem haberet. Nec tamen omnibus hoc liberum fortasse, nec par atque eadem cunctorum conditio est. Vidi enim ego, cum in Urbe essem & cum in senatu nostro hæc de communi omnium Episcoporum concilio habendo, causa ageretur, multa revera ostendi impedimenta, quæ Pontificis Max. studium retardarent. Sed tamen ego & tunc ita sensi, & nunc sentio, aut una hac ratione concilii rite congregandi, subveniri posse his tot incommodis quotidianisque detrimentis, quibus urgetur & ad interitum agitur Christiana Respub. aut si hoc remedium non sit profuturum, nullo alio hominum consilio a peste summi exitii Remp. posse prohibe-

(a) Horum Commentariorum Hermanni Archiepiscopi nomine editorum clarissimum Theologum Joannem Gropperum Coloniensem Archidiaconum authorem extitisse, tradit Pallavicinus in *Hist. Conc. Tridentini lib.* IV. *cap.* XV.

hiberi. Non enim si concilium caste legitimeque habitum non proderit, alia erit expectanda medicina quæ opem ferat. Sed illud certe ab omnibus nobis existimandum, Deum infensum delictis nostris, reposcentemque a nobis scelerum & peccatorum pœnas, quæ ipse ad summum intelligat esse perducta, supremum jam decretum de interitu nostro fecisse. Quapropter occurrere illius iracundiæ nos oportet, & precibus atque operibus quæ a vera humilitate in nobis, vera religione, vera pœnitentia veterum malefactorum, novaque insequentis vitæ integritate & justitia proficiscantur, antevertere vindicantis severitatem, cujus lenitatem tolerantis tamdiu despeximus. Hoc enim si egerimus & confugerimus ad ipsius misericordiam, gemitusque eos ediderimus, quos acer peccati dolor a nobis expresserit, flectetur ipse, & ut bonus est infinite ac misericors, convertetur ab ira sua; simulac nos conversos a peccato senserit. Quo nobis reconciliato atque placato, cessabunt continuo ista quæ nos domi forisque perturbant, non solum hostilis arma crudelitatis, sed etiam venena domesticæ perfidiæ. Verum hæc reconciliatio nullo alio prorsus pacto universa & integra commode fieri potest, nisi generalis concilii quodam quasi feriendo fœdere sanciatur. Nam si uniuscujusque arbitrio (id quod fere nunc fit) suæ vitæ correctio permittatur, primum, haud ita multi sunt qui sua sponte moveantur ad pie religioseque vivendum; deinde quam multos esse existimamus, qui iter rectum nesciant, quam multos, qui in hoc vitiorum regno, quæ nostra hac ætate plurimum pollent vigentque, multa sibi arbitrentur licere, quæ tamen impro-

probanda & reprehendenda sint. De quibus etsi possunt a sacris literis & earum gnaris ac peritis doctoribus admoneri, tamen in hoc pene communi generis humani ad vitia consensu, obstrepit bonis & veris admonitionibus mala consuetudo, magisque plerique mores suos ex pravis eorum qui præsunt moribus, quam ex eorundem proba oratione effingunt, cum præsertim severa lex nulla sit, quæ homines a delinquendo coerceat. Quanquam non desunt quidem leges severæ, & graves, sed earum fidi custodes profecto desunt, defuerùntque jamdiu, ita ut non pravis solum & vitia ipsa consulto sectantibus, sed etiam cæteris, quos bona disciplina fortasse, si esset adhibita, efficere bonos potuisset, ampla præbita sit occasio, vel illecebra potius, corrupte inquinateque vivendi. Quibus omnibus damnis & detrimentis, divinæque una adversum nos iræ mederetur sine ulla dubitatione Concilium, quod & rite indictum esset & ex fide bona ageretur, si in id non solum a Rom. Pontifice & a nobis, verum etiam a reliquis Christianis principibus conveniretur. Quod enim publicæ utilitatis causa comparatum est, omnium debet assensu & comprobatione firmari; præsertimque eorum, qui opibus & potentia antecellunt, quorum cæteros possit authoritas permovere. Tale igitur si haberetur, celebrareturque concilium, non dubium est, quin aspirante bene cœptis rebus Deo, hominum studiis consentientibus, misera & infelici præsentis nostri status conditione demonstrata, facilis esset & parata in Christiano nomine malorum morum emendatio; quod & veteres leges sanctæ & salutares de integro sancirentur, & novæ promulgaren-

tur, malique pœnarum & ignominiarum metu; cæteri exemplis doctrinaque sacerdotum ad veræ pietatis & religionis erga Deum officia redigerentur, totaque consentiente in laudem Dei, & in correctionem Christiani populi catholica ecclesia, ex multis personis, ut est ab Apostolo Paulo dictum, multiplices preces & gratiæ referrentur ad summum Deum. Quod si hoc modo coire fortasse Concilium non possit (video enim tempora, video difficultates) multum sit omnino de spe nostra detractum. Sed tamen si qua reliqua ratio iniri queat, non tam confirmandæ nostræ quidem nec stabiliendæ, quam ad tempus aliquod sustentandæ salutis, ea mihi in isto potissimum concilio videtur esse posita, cujus tu initium in tua provincia fecisti, remque omnium pulcherrimam & Deo acceptissimam es auspicatus. Sic enim statuo, post Christi Dei nostri adventum ad nos, missionemque ab eo Apostolorum ad exteras gentes, nulla magis re crevisse, amplificatamque esse Christianam & Religionem & Rempub. quam his provincialibus Episcoporum conventibus, qui per nationes & provincias anniversarii fiebant. Qui mos jampridem una cum plurimis aliis optimis & probatissimis, penitus extinctus, magis desiderare nos cogit vetusta tempora, quam hodiernis confidere. Hunc igitur sanctissimum omnium & præclarissimum morem, quod tu in lucem & usum revocare conatus es, tuæque virtutis & religionis exemplo, tanquam quodam alte sublato lumine, aut ostendisti, aut certe in singulos dies es ostensurus, qui sint in Christiano sacerdotio Archiepiscopi aut primates illo honore & loco digni, & qui secus; vere tibi dicam Hermanne optime, & sapien-

pientissime nulla mihi laus videtur cum tuo isto facto posse comparari. Etsi non his quidem rebus & actionibus laus hominum quæritur, sed ad Deum sunt directa hujusmodi consilia, qui unus nostra merces, nostrum præmium est, & cujus in sancto nomine quæ geruntur, ea sola & recta & gloriosa sunt. Cujus quidem Dei immortalis & omnipotentis remunerationi atque judicio quoniam sunt bona hominum opera reservata; æquum est, ut nos hic de illis parcius commemoremus. Venio nunc ad sacramentorum librum quod tu Enchiridion appellas, cujus sum lectione incredibiliter delectatus. Omnia enim quæ pro Dei causa & catholicæ fidei ac religionis propugnatione, adversus illius inimicos & obtrectatores afferri possunt, sunt a te in eo libro accuratissime collecta, talibusque explicata cum verbis tum sententiis, ut cum summa rerum in illis divinarum cognitione, sedatus plane animus, & in docendo redarguendoque singularis modestia conjuncta appareat. Quæ scribendi ratio vere Christiana est. Non enim tantum in verbis pietas, sed etiam in moribus multo magis requiritur, in quibus verior quoque Christi est imitatio, cui cum malediceretur, ipse nemini contra maledicebat. Proinde sit hæc aliorum propria insolentia clamare, maledicere, convitia jacere, & invehi petulanter; atque utinam ne sit quidem, a cunctisque potius & animi æquitas, & studium amplectendæ veritatis adhibeatur. Nos sane mansuetudinem & Christianam charitatem teneamus, quæ a te magnifice in tuo libro retenta est. Itaque mihi non solum admirari & laudare doctrinam tuam, sed etiam morem diligere necesse est. Es enim

tu, quod hoc tempore rarum est, non solum scientia, sed etiam vita Christianus, quam nobis imaginem præstantis & virtutis & eruditionis tuæ, tua scripta repræsentant. Atque hæc hactenus. Unum tantum in tuo libro est, quod ego desiderarim, quodque mihi percontatione dignum visum sit. Sum enim tacitus mecum nonnihil admiratus, quod tu capite eo libri tui, in quo de sacramento pœnitentiæ verba facis, ubi ad tertium illius membrum quod satisfactio est, venitur, nullam prorsus in eo mentionem purgatorii facias, cum & hoc maxime locus ille requirere videatur, & nos cum catholica Ecclesia una teneamus, illa satisfactionis opera non tam ad declinandas temporarias pœnas, quas in hac vita a nobis pro peccatis nostris Dei severitas reposcit, quam ad levandas illas & mitigandas, quæ in altera vita nobis purgandis proponuntur, vim habere. Nisi hoc fortasse tu eodem modo intelligis, in pœnasque temporarias etiam eas includis, quæ subeuntur in purgatorio igne. Est enim temporarium quicquid non est æternum. Veruntamen (ut mihi videtur) oportuit in eo loco aliquam purgatorii fieri mentionem; ne adversariis in hac re fidem Catholicæ Ecclesiæ impugnantibus, quasi quodam silentio victoria traderetur, qui injuste certe & sine ratione insimulant Ecclesiam. Nam si remissa nobis culpa a misericorde Deo, pœna tamen aliqua restat, quæ solvenda sit, ut tu quoque pie religioseque confirmas; non potest hujusmodi pœna ex his tantum hujus vitæ temporalibus incommodis censeri. Primum quia hæc incommoda Christianis hominibus non semper mala sunt, sed habent plerunque virtutis in se & patientiæ

exercitationem, ut sæpe a Paulo repetitum legimus, sæpiusque bonis inferuntur a Deo, quam malis. Siquidem oportet Christi sectatores multa in hoc pati seculo, ut confirment erga se promissiones Dei, quemadmodum scripturæ sacræ multis in locis testantur. Deinde multi, qui gravia & improba multa admiserunt, postquam redierunt ad cor & ex poenitentia in gratiam sunt restituti, poenas tamen hasce in hac vita effugerunt, in quo esset quædam quasi injustitia summi judicis, si nullas usquam hi solverent peccatorum poenas, & nimirum nisi poenæ in purgatorio abeuntibus his ex hac vita, quanquam a culpa absolutis, sint propositæ, (si tamen poenæ appellendæ sunt, quæ non puniunt sed purgant), videatur vacillare Dei severitas & justitia, cujus ratio reddi idonea nulla potest, quamobrem ex eodem scelere is in hac vita a Deo puniatur, ille impunitus evadat, nisi, quod & impium est ita de Deo cogitare, & in purgatorio æqua sit omnium compensatio. Deinde, cujus esset erroris accersere sibi quempiam præsentia corporis incommoda, ut futura in hac eadem vita devitaret, jejunare, algere, sudare, bona sua elargiri, ut paupertatem in posterum effugeret, ut ærumnam, ut vigiliam, ut famem præsertim, quæ forsitan non essent eventura, sicut non omnibus, qui peccarunt; eveniunt? Non cohærerent ista, si effugiendarum hujus tantum vitæ temporalium poenarum causa poenas quasdam nobis in satisfactione, voluntarias adscisceremus. Sed hæc opera satisfactionis suscipiuntur omnia, primum obedientiæ & humilitatis causa, Deo enim & sacerdoti sic præcipienti obtemperamus, deinde, ut aliquo

nostri heic corporis incommodo aut tollamus omnino, si forte datum sit, aut certe minuamus alterius vitæ purgatorias pœnas, earumque aut magnitudinem aut longinquitatem contrahamus. Quæ potior mihi ratio ex sententia Ecclesiæ semper visa est, quare nobis Sacerdos confessis peccata nostra, opera illa satisfactoria post absolutionem imperet, quæ etsi valent, aptaque sunt ad nos in bono more recteque pieque agendi, magis confirmandos, quod & confiteor, & tecum una cumque Ecclesiasticis cæteris doctoribus sentio, tamen id potissimum in illis spectatum est, ut quoad possumus, post extremum diem, semper abundante erga nos Dei misericordia, aut nulla aut levia purgatorii ignis cruciamenta perferamus, cum eorum jam nonnullam in hac vita ejusmodi operibus subierimus partem (a). Hæc habui Antistes optime & præstantissime, quæ tibi, a me putarem literis esse declaranda, qui & eximiis tuis virtutibus mirabiliter faveo, omnique tibi cultu & benevolentia sum deditus, & in qua re aliquid a te prætermissum putem, ingenue de eo tecum & libere loquendum arbitror. Tu si meum erga dignitatem tuam studium amoremque singularem pari tua in me voluntate exceperis, efficiam profecto, occasione oblata, ut neminem tui amantiorem quam me facile reperias. Vale. Carpent. III. Cal. Decemb. M. D. XLI.

EPI-

(a) Consule his de rebus Catholicæ Ecclesiæ doctrinam in Concilio Tridentino, ac præsertim sess. XIV. cap. IX. *de pœnitent.*

EPISTOLA CCCLXXXIX.

JAC. SAD. GULIELMO POJETO (a) S. *Parif.*

Albertum Pighium in Galliam proficiscentem ejus fidei benevolentiæque commendat.

CUM neminem habeo ad quem libentius scribam quam ad te, tum vero id libentissime facio, cum quis & tua dignus benevolentia, & mea meis tibi literis commendandus est. Quod si alias unquam mihi accidit facere ut deberem, nunc profecto maxime debeo, quod eum tibi commendo, cui aut neminem, aut paucos certe, in omni laude doctrinæ & literarum judico esse pares. Nec tamen dubito, quin tibi Alberti Pighii nomen sit inauditum (b), tanta id & celebritate est omnibus pene in gentibus & eruditionis fama. Nos quidem qui complura ejus ingenii monumenta legimus, non solum probamus scientiam hominis & doctrinam, quæ multiplex in eo & varia & referta est, sed etiam propositum animi & insignem Christianæ pietatis cultum. Incredibile est enim quantum hic vir de fide Catholica & Christiana religione sit meritus. Is ergo istuc veniens, ut salutet ac veneretur nostrum Regem, agatque cum eo quibusdam de rebus suis tum sponte sua (est enim tui nominis amantissimus) tum suasu etiam meo; magnam spem habet in te suorum negotiorum bene expediendorum positam. Quæ ne eum spes fallat vehementissime te rogo. Multa sunt mi Pojete, quæ

(a) Consule quæ de Pojeto habentur in not. ad epist. CCCLXVI. pag. 240. & 241.

(b) De eo vide not. in epist. CCCXIX. pag. 68. par. 3.

quæ præclara & egregia facere potes, dedit enim tibi summum ingenium natura, fortuna etiam facultatem. Sed certe nihil videris facere posse præclarius, quam tales viros in fidem & patrocinium recipere, eisque adesse ubicunque sit opus, opera, gratia, benevolentia, authoritate. Quod nisi tua præstans humanitas mihi esset perspecta plane, & cognita, uterer verbis pluribus. Nunc tantum dico, quicquid in Pighium contuleris officii & studii, id a bonis omnibus in eam partem acceptum iri, ut si tu id, non in hominem, sed in virtutem ipsam & doctrinam contulisses, tantum nos & ipsius eruditioni tribuimus; & tuæ laudi gloriæque favemus. Illud extremum erit, ut te velim id quoque existimare, si eum amanter, comiterque mea etiam causa exceperis, mihi in ea re gratissimum te facturum. Vale. Carpentoracti Idib. Novemb. M. D. XLI.

ANNO M. D. XLII.

EPISTOLA CCCXC.

JAC. SAD. CARD. GULIELMO POJETO S. D.

De proximo suo ad Urbem itinere eum certiorem facit, suumque studium ac benevolentiam illi pollicetur.

PUto te audisse, nos omnes qui de Cardinalium Collegio sumus, summi Pontificis literis ad Urbem esse accitos (a). Itaque, etsi ægre ab Ecclesia mea divellor, mihique cum hoc iter, tum vero in Urbe mansio in omnem partem incommoda futura est, tamen quando excu-

(a) Vide Raynald. Annal. ad an. 1542. n. 47.

excusatio, qua usus fueram, accepta non est, ea quæ huic itineri necessaria sunt, comparo, meque his viginti circiter diebus, profecturum hinc arbitror. Memor autem nostræ mutuæ insignisque benevolentiæ, statui meum ad officium pertinere scribere hæc ad te; & tibi, si unquam alias, nunc quidem maxime, meam operam, studium, benevolentiamque deferre. Futurus enim sum in eis locis, in quibus, quo sim in te animo, multo illustrius tibi declaraturus sum, quam declarare potuerim in his, in quibus ad hoc tempus fui. Itaque quæ de laude, de honore, de virtutibus tuis mihi agenda & commemoranda erunt vel in nostro senatu, vel ad Pontificem, vel apud reliquos ordines, agam ipse per me, nec expectabo de ea re literas & admonitiones tuas. Si quid præterea erit, quod tu meam operam diligentiamque requiras, si me feceris literis tuis certiorem, dabo operam ut intelligas te id non frustra fecisse. Unum est quod ego multo usu rerum & observatione præteritorum eventuum edoctus, animadverti a vobis & in memoria haberi cupio; id porro est, ut Sedis Apostolicæ honorem & authoritatem, conjunctionemque cum ea, vobis cordi esse omnibus signis ostendatis, hoc enim si fiet, omnia vobis profecto erunt faciliora. Sed sapienti pauca, ut dicitur. Illud etiam a te mi humanissime Pojete postulo, ut omne quicquid ego sum, aut esse possum regi nostro meis verbis polliceare & deferas. Parum late fortasse & prudentia mea & authoritas patet. Sed certe quæ ab integerrima fide & summo amore postulanda sunt, ea illi a me non deerunt, si quid usu venerit, in quo gloriæ illius & majestati inservire possim. Extremum

est, ut meas absentis & meæ Ecclesiæ res, negotia, jura, itemque hujus patriæ mihi charissimæ salutem & tranquillitatem tuæ humanitati, fidei, virtutique commendem, abs teque petam, quod tibi pro tua præstanti authoritate agere facillimum est, ut ne quid aut mihi absenti, aut meis heic præsentibus oneris, molestiæ, injuriæque a vestris inferatur. Vale & nos mutuo dilige. Carpentoracti XIII. Calen. Martii M. D. XLII.

EPISTOLA CCCXCI.

A. M. CARLO GUALTERUCCI, *Romam*.

Negotium expeditionis Bullarum Ecclesiæ Carpentoracti pro Paulo Nepote illi commendat.

PER la lettera che io scrivo al Reverendissimo Signor nostro Polo, ed a Monsignor Blosio (a), vederete come io son risoluto di spogliarmi in tutto dell' amministrazione e cura di questo Vescovato, e dar loco alla succession di Paolo; parendomi essere oramai tempo, sì per l' età mia debole ed inferma, e sì per la sua già confirmata e piena, che sottentri in luogo mio a questo laborioso e santo esercizio ecclesiastico. Oltrachè tutti i disegni e desiderj miei sono oggi più che mai fossero allontanati dalle cure di queste cose, e maneggi nostri mondani, e volti allo studio e contemplazione delle cose divine, nel quale esercizio spero nella benignità di Dio, che io potrò fare qualche miglior frutto, e per me, e per altri, ò a questi, ò a altri tempi, che fin quì nell' altre mie

(a) Blosio Palladio Sabino, de quo vide notas in epist. CVI. part. I. pag. 311.

mie azioni non mi è ſtato conceſſo. Averete con queſta le procure per la ceſſione a mio nome. La qual ceſſione deſidero che ſia fatta per l'organo del Reverendiſſimo noſtro Polo, ſe così vi parerà che ſia conveniente alla dignità ſua, pregando Monſignor Reverendiſſimo Farneſe, che voglia appreſſo noſtro Signore proponer eſſo la coſa, e fare coll' autorità ſua, che ella ci ſia eſpedita favorevolmente, e maſſime quanto alla parte pecuniaria, ſiccome vi ſarà da Paolo particolarmente ſcritto, alle lettere del quale in tutto mi rimetto. Stimo bene, che per ottenerlo vi ſarà biſogno molto caldo favore, ma anche ſpero, che la benignità di noſtro Signore verſo di me, e ſimilmente del Reverendiſſimo Farneſe Signor noſtro, non ſarà fredda ò lenta, maſſime acceſa, ò ſprontata dai buoni officj del Reverendiſſimo Polo, e del noſtro Reverendiſſimo ed amantiſſimo Signor Bembo, ſe per caſo vi ſi troverà preſente. Vi raccomando tutta la coſa quanto vedete ch' ella c' importa, e quanto voi ci amate. Niuna coſa mi può oggimai venire non ſolo di ſimile importanza in quella corte, ma pochiſſime ancora da quì innanzi di qualunque importanza. Però vi prego non vi ſia grave tanti voſtri amorevoli ed a me gratiſſimi officj fatti per noi ne' tempi paſſati chiudergli ora con queſta opera, ed azione tanto ſegnalata. Attendete a ſtar ſano, e mi raccomando. Di Carpentras. A 20. di Marzo 1542.

EPISTOLA CCCXCII.

Al Cardinal Farnese, Roma

De his quæ præter suam Farnesiique voluntatem in Avenionensi Comitatu acciderant, sese purgat, eumque rogat, ut expensarum diminutionem in Bullarum, ut vulgo dicitur, expeditione, ad Ecclesiæ Carpentoractis regimen suscipiendum pro Paulo Sadoleto a summo Pontifice impetret.

Dopo il ritorno da Lione degli Ambasciadori di questo Contado scrissi assai lungamente a V. S. Reverendissima ed Illustrissima di me, e delle cose di questa Provincia per purgarmi appresso di lei di qualche calunnia, che mi era stata data, desiderando io solamente che non restasse nell'animo suo, siccome non è nell' effetto alcuna minima sospizione di quello, che di me l'era stato inculcato. Se però è conveniente, che in questa ultima età, e sì lunga esperienza della mia vita, si venga in dubbio della fede e sincerità mia; e sopra tutto della gratissima osservanza, ed ardentissimo amore che io porto a V. S. Reverendissima. Il qual mio amore verso lei solendomi io doler trà me medesimo di non aver più spesse e più illustri occasioni di mostrarle, quanto sia in effetti, mi saria pur troppo acerbo ed intolerabile, se ancora in quelle poche occasioni, che mi è concesso di adoperarlo in servizio delle cose di quà, fossero l'azioni mie interpretate e riferite nella contraria parte. Ma spero che V. S. Reverendissima avrà conosciuto ò conoscerà non solamente la mia innocenza in tutte queste confusioni di quà, ma eziandio i buoni offi-

officj ed ottimi consigli, che io hò sempre proposti e dati per beneficio e somma esaltazione e laude di quella, se i miei pareri, i quali erano ancor simili ai comandamenti, e volontà di Vostra Signoria Reverendiss. avesser trovato in chi apparteneva di esiguirli, quella buona disposizion d' animo e di volontà che dovevano. Ora per non aver io a venire in simil dubitazione e disputa, e per poter questi pochi giorni di vita che mi restano riposar quietamente nei miei studj e nella meditazione della vita avvenire, deliberando io, come scrissi a V. S. Reverendissima, di spogliarmi in tutto dell' amministrazione e cura di questo Vescovato, mando la procura della mia libera cessione di quello in persona di Paulo suo servitore, al quale già molti anni egli è destinato. Prego Vostra Signoria Reverendissima ed Illustrissima, che perseverando nella sua solita benignità e larga cortesia verso me, voglia in questa quasi ultima domanda ed espedizion mia, esserci favorevole, anzi pigliar tutta la protezion nostra, ajutandoci a farci esenti da quelle spese, delle quali sogliono esser liberi quelli, che per lor qualche buon opera e fedel servitù, hanno meritato che li padroni loro li facciano differenziati dallo stile commune, e dalla molto maggior parte di quelli che fanno espedizione. Dove se li nostri meriti non son bastanti, supplirà e tanto più di laude avrà il liberalissimo animo di quella, attento massimamente, che noi siamo in tutto impotenti a fare spesa d' importanza, come Vostra Signoria Reverendis. sarà informata e pregata a mio nome dal Reverendis. Polo, e da M. Carlo da Fano, ed io supplico lei a voler intercedere

per

per me, e il detto Paolo suo servitore appresso la somma clemenza e benignità di nostro Signore. Ed io Monsignor, che non posso più crescere in amore verso V. S. Reverendissima di quello a che son giunto fin quì; crescerò tuttavia più in obbligazione, non mi dolendo di non poter pagar li tanti beneficj, che ho ricevuti da lei, di che certo mi dorrei, se io avessi a fare con qualsivoglia altro Signore, ma rallegrandomi e congratulandomi, ch' ella sia arrivata tanto alto in beneficare li suoi fedelissimi ed affezionatissimi servitori; che a nissun modo si possa satisfare all' obligazione. Della qual cosa fare, prego Dio, che ogni dì più dia a Vostra Signoria Reverendissima e l'animo e le facultà. E baciando la mano, in sua buona grazia e memoria quanto più posso mi raccomando. Di Carpentras. A 20. di Marzo 1542.

EPISTOLA CCCXCIII.

JAC. SAD. JO. LOTHARINGO CARD. (a) S. D.

Missis legatis ad Galliæ Regem ob vexatam a militibus Venasini comitatus provinciam, Joan. Lotharingum orat, ut sua gratia & auctoritate, cum præsentium incommodorum levamen, tum adversus futura aliquod præsidium obtineat.

SÆpe mihi ad amplitudinem tuam scribere cupienti, & initia ejus familiaritatis, quæ olim summa tua humanitate mihi tecum contigit,

(a) De Joanne Lotharingio consule quæ diximus in notis ad epist. CXLVII. Parte 2. pag. 8. Hæc epistola *Carolo Lotharingo* Joannis nepoti erat inscripta. Verum quum

git, hoc literarum genere, quando majoribus officiis non possum, colere, illa res fuit impedimento, quod sum veritus; ne si tibi tot tantisque negotiis impedito inanes literas misissem, non satis tibi viderer, & gravissimarum occupationum tuarum, & publicæ utilitatis rationem ducere. Nam tu cum eas apud maximum istum Regem Reipub. partes geras, quæ summa tua virtute, summoque ingenio, tuaque, & majorum tuorum nobilitate maxime sunt dignæ, profecto curæ cogitationesque tuæ minime sunt interpellandæ, nisi cum se aliqua gravior occasio obtulerit, ut ad operam patrociniumque tuum pro necessariorum nostrorum commodis sit confugiendum. Quæ quidem nunc, cum mihi in primis opportuna esset oblata occasio scribendi ad te, ut tibi horum populorum, qui meæ curæ a Deo commissi sunt, res & commoda difficillimo ipsorum tempore commendarem, libenter eam arripui; existimans id quod re est, me neque honestiore ratione meæ summæ erga te observantiæ amorisque constantiam tibi declarare, nec justiore de causa tuam humanitatem, benevolentiam, atque amicitiæ fidem implorare posse. Ea autem

---

quum Carolus creatus sit Cardinalis VI. Kal. Augusti anno 1547. qui fuit Sadoleti vitæ postremus, hinc vel error irrepsit in mense & anno adscribendo, vel inscriptio *Carolo Cardinali* postea addita, vel demum *Caroli* nomen loco *Joannis*, cognomento præpositum perperam fuit a librario, quod profecto est verius. Ita enim scribit Sadoletus, ut Carpentoracti non Romæ esse videatur, & ad hominem scribit Cardinalis jam dignitate illustrem, quemadmodum id expresse indicat pag. 311. ut nullo modo ad Carolum Lotharingium epistolam datam esse, possit suspicari.

sentiæ diuturnitatem quicquam illi detrimenti aut diminutionis accidisse, meque eò esse animo quo semper fui, ut vestro honori, commodo, dignitati, ornamentisque omnibus, incredibili animi studio sim addictus. Sic enim & summa virtus vestra nobilitasque meretur, & meæ constantiæ ratio postulat, & tempora ipsa præcipue requirunt, in quibus turbato statu orbis terrarum divinis humanisque legibus penitus contemptis atque rejectis, vestra imprimis pietas, & sapientia, tanquam in tenebris lumen elucet. Itaque ego, qui ob propinqua pericula quæ instant nomini Christiano atque imminent, dies noctesque assiduè solicitor, nec ullam partem capio quietis; vehementissimè equidem optarim habere Stocamerum nostrum, aut alium quempiam tuorum, quicum ea quæ me angunt & solicitant, communicare tuto possem. Profecto enim si cæteris auxiliis, opibusque deficior, quas si haberem libentissime tibi deferrem, non omnino monita, consiliaque mea tibi aut ingrata essent interdum, aut inutilia. Sed tamen ita Stocamerum habere velim, si id quoque reliquis tuis rationibus conducat. Etenim scito me graviter angi, quod video nos omnes in extremum jum ruere discrimen. Quando ista auxilia apparatusque Germaniæ qui feruntur, me quidem non consolentur, sed perterreant. Quamobrem & quibus de causis, non est epistolæ committendum. Sed hæc hactenus. Et quando cum Romæ & apud Summum Pontificem sum, ita heic tibi operam, fidem, studium benevolentiamque meam defero atque polliceor, ut tibi hoc esse persuasissimum velim, neminem te unquam reperturum esse, aut amantiorem tui,

aut

neat; in quo ordine cum tu auctoritate, gratia, opibus, virtute, dignitateque tantopere excellas, debes profecto ea ipsa eximia, cum animi tui, tum fortunæ bona, quæ ad omnium commoda, qui tua opera indigeant, tam liberaliter adhibere es solitus, in primis ad eorum, qui tuæ fidei crediti sunt, salutem utilitatesque conferre, me vero ipsum tanto tuo beneficio devinxeris, si tum negotia hujus provinciæ, tum eos ipsos actores & nuncios tua illa insigni comitate fueris complexus, ut maximam tibi perpetuamque gratiam, si minus eam meis officiis referre possim (quod tua amplitudo tenuitatem fortunæ meæ longe exsuperat) gratissimo tamen & memori animo sim habiturus. Vale Cal. April. M. D. XLII.

EPISTOLA CCCXCIV.

JAC. SAD. GULIELMO DUCI BAVARIÆ S. D.

Stocamerum quendam apud se esse cupit cum quo plura de Reipub. Christianæ statu communicare possit.

CUm ab Carpentoractensi Ecclesia mea Romam rediissem Pontificis Max jussu non modo evocatus, verum etiam compulsus, nihil habui antiquius, quam ut ad te literas darem, per quas testarer illum ipsum amorem illam insignem benevolentiam simul & observantiam, qua te & fratrem tuum clarissimum virum, universamque domum & familiam vestram semel sum non casu nec fortuito, sed propter maximas virtutes, vestraque in Christianam Rempub. egregia merita complexus, manere & perseverare eandem, nec ob meæ absen-

sentiæ diuturnitatem quicquam illi detrimenti aut diminutionis accidisse, meque eò esse animo quo semper fui, ut vestro honori, commodo, dignitati, ornamentisque omnibus, incredibili animi studio sim addictus. Sic enim & summa virtus vestra nobilitasque meretur, & meæ constantiæ ratio postulat, & tempora ipsa præcipue requirunt, in quibus turbato statu orbis terrarum divinis humanisque legibus penitus contemptis atque rejectis, vestra imprimis pietas, & sapientia, tanquam in tenebris lumen elucet. Itaque ego, qui ob propinqua pericula quæ instant nomini Christiano atque imminent, dies noctesque assiduè solicitor, nec ullam partem capio quietis; vehementissimè equidem optarim habere Stocamerum nostrum, aut alium quempiam tuorum, quicum ea quæ me angunt & solicitant, communicare tuto possem. Profecto enim si cæteris auxiliis, opibusque deficior, quas si haberem libentissime tibi deferrem, non omnino monita, consiliaque mea tibi aut ingrata essent interdum, aut inutilia. Sed tamen ita Stocamerum habere velim, si id quoque reliquis tuis rationibus conducat. Etenim scito me graviter angi, quod video nos omnes in extremum jum ruere discrimen. Quando ista auxilia apparatusque Germaniæ qui feruntur, me quidem non consolentur, sed perterreant. Quamobrem & quibus de causis, non est epistolæ committendum. Sed hæc hactenus. Et quando cum Romæ & apud Summum Pontificem sum, ita heic tibi operam, fidem, studium benevolentiamque meam defero atque polliceor, ut tibi hoc esse persuasissimum velim, neminem te unquam reperturum esse, aut amantiorem tui,
aut

aut qui majore studio & diligentia tuis rebus deserviat. Vale, Romæ VI. Idus Maii M. D. XLII.

EPISTOLA CCCXCV.

JAC. SAD. GULIELMO DUCI BAVARIÆ S. D.

Respondet illi, cur Germanica expeditio contra Turcam se tantopere solicitum habuerit.

Accepi tuas Dux præstantissime literas, ex quibus duplici lætitia affectus sum. Nam & de tua, fratrisque tui clarissimi viri salute & incolumitate nuncium mihi optatissimum attulerunt, & vestram mei erga vos amoris memoriam, declaraverunt apud vos vigere. Quorum utrum mihi jucundius acciderit, judicare difficile est. Sed quod pertinet ad eas curas, & sollicitudines, quibus cum ad te scribebam, vehementer eram districtus, & ob quas Stocamerum heic adesse cupiebam; ut satisfaciam desiderio tuo, qui te cupidum cognoscendi esse scribis, quæ me res tantopere solicitum tunc habuerit, scito me, cum dolerem vehementissime & angerer, regnum Ungariæ ab immanissimo hoste nominis nostri Turca Christianæ Reipub. esse ereptum, majore quoque in metu præterea fuisse, ne expeditio ista Germaniæ, & conatus vester regni illius recuperandi, cumularet potius clades & ruinas nostras, quam levaret. Cur autem ita pertimescendum putarem, has habebam causas. Primum videbam exercitum conflatum ex variis nationibus, non facile in unum posse consensum conspirare, ut omnium prorsus eadem esset & vis & voluntas. Deinde intelligebam nullum esse certum nostri exercitus ducem ejusmodi, qui scientia

rei militaris regere, authoritate & fama rerum ante gestarum, milites ad prompte alacriterque parendum cogere & compellere possset. Tum autem territis altero jam, aut tertio adverso prælio nostrorum animis, non magnopere confidendum putabam. Postremo, ut essent tolerabilia cætera, videbam tamen in uno prælio periclitari fortunam totius Christianæ Reipub. quæ, si fusi fugatique essemus, (quod quidem Deus omen in suos hostes convertat) nullum mihi videbatur præterea habitura præsidium, quo aut se sustinere diutius, aut unde niti ad se vindicandam posset. Etenim quis non intelligat, si victus sit noster exercitus, Austriam continuo in hostium ditionem concessuram? Germanos Principes ut quisque proximus Austriæ sit, differendi supremi exitii causa, pactiones & foedera cum Turcis quæsituros? Maximum subito equitatum hostium in Italiam irrupturum? omnia denique terrore & tumultu completum iri? Atque hæc cum timerem, gravius etiam illa re exterrebar, quod contra apud hostes omnia se habebant. Unus Dux summa potentia & authoritate, exercitus numero infinitus, concors inter se atque consentiens, idem consuetudine vincendi ad pericula audax, æquitatus præterea prope innumerabilis, quem quidem equitatum quomodo nostri sustinere possent, non facile rationem inveniebam. Hæc cum cogitarem Dux optime, & perhorrescerem casum propinqui certaminis, non immerito (ut arbitror) quietem animo non percipiebam. Nunc pars mihi aliqua timoris adempta est, si Rex hostium (ut ajunt) ad exercitum non est venturus. Quanquam his paucis diebus contrarii venere nun-

nuncii, qui pertulerunt illum ad iter sese & ad bellum accingere. Habes rationem angorum & solicitudinum mearum. Sed de his satis. Ego tibi & fratri tuo, totique familiæ vestræ ita sum animo benevolentiaque addictus, ut nihil sit quod vehementius optem, quam & diligi a vobis & meum vobis amorem omnibus in rebus præstare atque ostendere. Vale Romæ, x. Cal. Augusti, M. D. XLII.

EPISTOLA CCCXCVI.

PAUL. SACRATUS JACOBO SADOLETO Avunculo suo. *Romam*

Pro quadam exacta pensione illi gratias agit, petitque ut valetudini operam det.

NOn sum nescius te mirari, cur adhuc tam raras, immo nullas ad te litteras dederim, cum summa erga te observantia mea in primis hoc postularet, ut te litteris sæpe salutarem; quod mihi quoque recordanti non potest non esse molestum, licet culpa carere me sentiam: neque enim hoc ulla mea negligentia accidit, sed inopia argumenti digni præsertim amplitudine tua. Nam si aliquid mihi in mentem venisset, quod ad te scribendum putassem, meam certe in hoc diligentiam non requisivisses. Nunc ego tuo novo in me beneficio admonitus, non putavi mihi esse prætermittendum, quin maximas tibi gratias continuo agerem, atque haberem, quod tu pro tua singulari humanitate mei commodi rationem duxeris. Scribit enim ad me Florebellus, te cum Episcopo Veronæ per familiares diligenter egisse, ut pensionem solveret; atque magna ejus parte exacta statuisse, ut integra

pecuniæ meæ summa ex Camilli pecunia conficeretur, quam deinde Carolus Venetiis curari mihi juberet. Quod tuum factum non mediocri mihi fuit argumento amoris erga me tui: plane enim ostendisti, etsi tot, ac tantis occupationibus distineare, meum tamen hic statum tibi valde curæ esse. Sed hoc meam erga te pietatem minime auxit, quod ego ad eam nihil addere possim, stimulos quidem mihi admovit, ut in eam cogitationem incumberem, quomodo tua in me beneficia sustinere queam: quæ etsi diffido ulla me unquam industria, diligentia, atque opera assequi posse, nisi me tua humanitate adjuveris, mea tamen summa erga te observantia pietateque efficiam, ut ea apud me posuisse te minime pæniteat. Te febrim tertianam habuisse, ex eodem Florebello cognovi, nec miratus sum, cum istis maximis caloribus, quibus nemo in hac regione meminit majores, pauci suam valetudinem tueantur, eoque morbo te liberatum esse ita sum lætatus, ut dolorem, secutum gaudium absterserit. Sed spero fore, ut in vinea tua belle ædificata, & satis amœna te ita reficias, ut pristinas vires recuperes, atque æstatis molestias sedes. Ego quoque quoniam hoc temporis est, mea studia intermisi, expectoque dum se calor frangat, ut alacrius ad ea redire possim. Interim valetudini do operam. Vale mi amplissime Patrone, ac perge me, si dignum statuis, tua benevolentia complecti. Hieronymus Niger, ac Lazarus noster Bonamicus multam tibi salutem adscribunt. Patavii a v. Non. Quintil. M.D.XLII.

EPI-

EPISTOLA CCCXCVII.

A. M. LUDOVICO CASTELVETRO (a), e suoi compagni. a Modena

Scribit de suspicione circa res ad fidem pertinentes, in qua Castelvetrius cum sociis venerat, & monet ut amisso omnis novitatis studio, se probos & Catholicos homines ostendant.

Jeri essendo in Consistoro fù ragionato di voi a Nostro Signore da alcuni Cardinali, i quali pare che di voi abbiano qualche sinistra relazione; di che io presi molto dispiacere e per minor male feci in modo che la cosa non si di-

(a) Hic Mutinæ honesto loco natus, Aristotelicæ Philosophiæ & optimarum artium cognitione clarissimus fuit, sed in poetica præsertim facultate excelluit. Quum Patavii Romulum Amaseum audisset, in patriam reversus, litteratorum hominum conventus quosdam *Academiæ* nomine instituit. In his quum nonnulla a sacris oratoribus imperite dicta, liberius quam pio prudentique viro decet, reprehendere & castigare cœpisset; in suspicionem venit una cum sociis Academicis desertæ Catholicæ fidei: quam suspicionem anno præsertim 1542. invaluisse, apparet ex hac & sequenti Sadoleti Epistola. Quamobrem, natale solum tandem deserere coactus, acerbisque percussus edictis, annos aliquot in Germanicis Rhætiæ Alpibus obscura & sordida peregrinatione delituit, donec a Maximiliano II. Cæsare una cum Joanne Maria Castelvetrio fratre accersitus ac sublevatus est. Neque tamen ab ingenio suo discessit. Itaque Romam ad dicendam violatæ (ut existimabatur) religionis causam vocatus, absens tandem damnatus est anno 1561. Obiit Clavennæ in Rhætia anno 1571. ætatis LXVI., VIII. Kal. Martii. Castelvetrii vitam diligenter descripsit vir clarisf. Lud. Antonius Muratorius.

vulgò per tutto il Consistoro, ne mi parendo allora tempo di ragionare a Nostro Signore di tal materia, feci pregare S. Santità che non volesse muoversi per queste suspicioni, a fare altro, finchè io non le avessi ricordato il parere mio. Ora perche vi amo tutti cordialmente, per la patria, per le lettere, per l'amicizia, e per l'opinione, che io ho, che tutti siate uomini da bene, come certo non dubito di quelli, che io conosco; ho voluto darvi avviso di questo, e dell'ufficio che fin quì ho fatto per voi, e che anche sono apparecchiato di fare per l'avvenire, essendomi molto difficile a credere, che trà voi sia alcuno macchiato di qualche opinione indegna d'uomini letterati, e veri Christiani. Ma quando pure ce ne fussero alcuni, il che mi dispiacerebbe grandemente per l'onore della patria e per il bene loro, e perche a chi io porto amore ogni incomodo suo reputo mio, e non è però maggior incomodo nessuno, che farsi sospetto di nove e non usate opinioni appresso i nostri maggiori uomini santissimi; esorto quelli tali, e prego a desistere da ogni novità, essendo cosa da uomini che poco considerino oltre la verità, il disonore, e danno che ne gli può avvenire, il cercare tali cose. E voi altri sinceri e diritti miei carissimi amici e fratelli, ancora esorto ad ammonirgli amorevolmente e fraternamente. E quando pure vogliano perseverare in qualche loro fantasia, separargli dalla compagnia e conversazion vostra, continuando voi sempre di essere uomini saldi e non mobili, e veramente cattolici, come spero in Dio che sarete, di che, e io piglierò molta consolazione e voi avrete maggiore onore appresso gli uomini e merito appres-

resso Dio. Vi prego a darmi presto risposta. State sani. Di Roma XII. di Giugno M.D.XLII.

EPISTOLA CCCXCVIII.

A. M. LUDOVICO CASTELVETRO e suoi Compagni. *a Modena*

Gratulatur falsum de eorum fide rumorem percurrisse, eosque ut de hac ipsa re ad Pontificem scribant, hortatur.

CON molta mia consolazione ho letto le vostre lettere, le quali non solo mi anno confirmato nella buona opinione, che io avevo de vostri ingegni, ma ancora certificato dell'animo Christiano e Cattolico, che avete. Del quale ancorachè io prima non dubitassi, anzi ne facessi fede, dove accadeva agli altri; pure perchè mi premeva sommamente per amore della patria, e vostro, che alcuni avessero preso qualche ombra di voi, questi dì mi mossi a scrivervi quella mia, e ora ho avuto carissima la risposta che mi avete fatta per poterla mostrare, e far conoscere anche ad altri e principalmente a Nostro Signore la innocenza e integrità e bontà vostra. Pertanto essendo jeri in Consistoro, e avendo avuto di voi privato e lungo ragionamento con Sua Santità, le riferii quel, che mi avete scritto, soggiongendo molte buone parole in vostra commendazione, le quali e la verità e l'amore mi sforzava a dire. Di che Sua Beatitudine, la quale mi ascoltò molto benignamente, mostrò, che ricevesse tanto maggior sodisfazione e piacere, quanto più le increscerebbe, che quella Città acquistasse infamia alcuna per quella paterna affezione e bene-

 volen-

volenza, che in più cose si è potuto comprendere ch' essa le porta. Ora io giudicherei che fosse molto a proposito, che voi communemente scriveste a Sua Santità una buona lettera del medesimo tenore, di che avete scritto a me, sottoscrivendo i nomi vostri; ne importerebbe ch'ella fosse volgare. E così vi esorto à fare, perchè non dubito, che Sua Santità come benignissimo Principe e Padre di tutti, massime di persone ingegnose e dotte, l'avrà gratissima, e conosco questo essere il più espediente partito di liberarvi da ogni molestia per l'avvenire, e serrare la via alle male relazioni d'altri, non solamente senza una minima infamia, ma anche con molto onor vostro. Perchè mi rendo ben certo, che come gli uomini prudenti e buoni e che amano e Dio e la salute e l'onor suo, debbono fare, così voi continuerete di esser sempre buoni e obbedienti figliuoli della santa Madre Chiesa, per essere questa la dritta e battuta strada, che ci conduce a quel sommo bene, che a tutti i buoni christiani è proposto: della qual Chiesa, come e i sacri Evangelj e tutti i secoli passati ci fanno indubitata fede, è capo questa Santa Chiesa Romana, ne può chi altrimenti sente, fuori della nave di Pietro, giugnere a quello desiderato porto di vita eterna, come voi e per istituzione di tutti i vostri maggiori, e per proprio vostro sapere e giudicio mi rendo certo che tenete e stimate: Pertanto torno ad esortarvi e pregarvi, se mi portate amore, e se conoscete che io amo voi di core veramente fraterno, che vogliate dichiarare il buono animo vostro a S. Santità, come ho detto con una lettera, la quale io a tempo e luogo le presenterò; e sono certo che appresso

so quella ne acquisterete commendazione e grazìa, e appresso tutto il nostro Sacro Collegio tal riputazione, che e a tutti insieme e a ciascuno di voi in particolare potrè in molte cose giovare, e nell'amore e nell'utile: oltrachè come vi affermo e replico, questa è sola la via di essere grato a Dio, e di tenere il loco e nome di vero Christiano. State sani. Di Roma li xv. di Luglio M. D. XLII.

EPISTOLA CCCXCIX.

A M. CARLO GUALTERUCCI, *Rom.*

Cardinalem S. Marcelli mortem obiisse dolet. De Bembi valetudine sollicitum sese ostendit, Herculemque Severolum negotiorum suorum curatorem laudat.

MEsser Carlo mio, vi raccomando me medesimo e tutte le cose mie. Quà avemo inteso la morte del nostro Monsignor di S. Marcello. Non sò qual mia disgrazia sia di perder così a coppie gli amici miei cari. Dio mi faccia grazia, che il mio fratello Monsignor Bembo stia sano, che in lui mi restano tutti li conforti di questa vita. Vi priego salutiate gli amici tutti da voi ben conosciuti, ed in primis il mio M. Camillo Peruschi rettor dello studio, il quale io detti in deposito a Monsignor Reverendissimo Bembo, amato da me di buon cuore; M. Flavio, e tutti gli altri di casa. M. Ercole Severolo nostro agente mi riesce in modo, che mi fà parere, che io abbia sempre ben giudicato, che voi abbiate buonissimo giudizio. Dell'altre cose non hò che dire. State sano ed amatemi, come voi fate. Di Tolosa. A dì XXII. di Ottobre M. D. XLII.

EPISTOLA CCCC.

HIERONYMUS NIGER JAC. SAD. CARD. S. *Carpi.*

Vitæ suæ vicissitudines, & auctas ob Contareni Cardinalis mortem calamitates elegantissime describit.

QUam gravi acerboque vulnere ex subita atque improvisa Contareni Cardinalis morte (a) perculsus ac pene confectus fuerim, tute potes optime Sadolete cognoscere, qui quanta illum observantia colerem, & quo ille me amore vicissim prosequeretur, compertum habes: ingratus equidem sim si privatas mei luctus rationes anteponam publicis, quum vester ordo, & Christiana omnis resp. tantum in eo casu jacturæ fecerit, ut parum addi posse videatur. Sed tamen nescio quo pacto fit, ut dum revolvo animo calamitates meas, quibus jamdiu sum afflictus, postremum hoc vulnus acerbius fiat in dies magisque recrudescat, nec succensendum mihi esse videatur, si secundo loco, mea etiam privata causa, doleo atque angor, præsertim tecum, qui sæpenumero me & consilio, & auctoritate juvisti. Agitur jam tricesimus annus, ex quo primum e scholis optimarum artium ad dura principum virorum servitia diverti, idque non ullo meo proposito, aut consilio, sed temporum necessitate compulsus feci. Ardebat enim tunc bello Italia, & provincia imprimis nostra, quæ in eum erat adducta discrimen, ut non quo pacto honeste viveremus, sed quomodo spiritum ducere-

(a) Obiit Contarenus Bononiæ Kal. Septembris anni 1542. Vid. not. in epist. CCCXXXV. pag. 138. & 139.

ceremus a nobis esset cogitandum. Verum apud eos principes in quorum familiaritatem forte incideram, iniqua semper fortuna laboravi, dum eorum alii odio haberent bonas artes, alii facultatem bene de me merendi non haberent. Nonnolli vero quum primum de me ornando cogitarent, repente de medio sublati sunt. Itaque pertæsus errorum meorum, statueram me mihi reddere, at in meo tandem nidulo conquiescere, quod consilium memini me tecum paulo ante quam ex Urbe istuc primum discederes communicasse; quod quum tibi probari animadvertissem, me in patriam receperam, ratus vix unquam fieri posse, ut ex hoc portu, fidaque statione, rursum me procellis objicerem. Sed nescio quo pacto Gaspare Contareno in Collegium Cardinalium divinitus (ut scis) cooptato, adductus hominis mei amantissimi, omnique genere virtutis ornatissimi summa humanitate ac benevolentia erga me, illum proficiscentem ad Urbem sum prosequutus, apud quem septennio fui, omnium consiliorum suorum conscius, omniumque fere laborum particeps, quos ille optimus & sapientissimus vir, pro sanctæ Ecclesiæ dignitate sustinuit. Postremo quum ex Germanica legatione, qua ille pie, fideliter, ac sapienter functus fuerat, in Italiam rediissemus, atque is Lucæ cum Pont. Maximo colloquio habito, palam meam fidem, ac diligentiam collaudasset; haud multo post in Bononiensem legationem missus, repentina oppressus morte, me omni spe dejectum atque orbatum reliquit. Neque vero tam molestum mihi est, post tot labores meos eo fructu atque iis præmiis carere, quæ multi sine virtute, ac sine ullis laboribus sunt assequuti,

quam jucundum videretur, ceteros homines intelligere, meam operam atque industriam summis viris non ingratam fuisse. Nam si in supino otio turpis & vecors ætatem omnem consumpsissem, jure quidem posthabitus, ac neglectus viderer; modo quum nunquam ferę toto vitæ meæ curriculo ab honestis laboribus conquieverim, ac Reipub. fidelem semper navarim operam; sane indecorum ac turpe mihi existimo, inertes homines (ne quid gravius dicam) præripere fructum laborum meorum, me vero præteritum jacere, quasi manifesti cujuspiam flagitii pœnas luam. Sed hæc ut homo perturbationibus obnoxius ad te scribo. Nam si revocare animum ad sese, eumque sistere volumus in proprio ipsius regno, hoc est in arce rationis, tamquam principem ac moderatorem cunctarum actionum cogitationumque nostrarum; quis non videat satis uberem ac gloriosum fructum esse laborum nostrorum, juvare Remp. & prodesse alteri quum possumus? Ipsa enim virtus quum sit optimum bonorum omnium, nullum potest habere præmium se ipsa majus; testificatio autem virtutis, quæ in honoribus consistit, neque vehementer a nobis concupiscenda est, neque pervicaciter aspernanda, quum præsertim videre liceat præmia hujusmodi sæpenumero sine delectu tribui solere, atque in ea nos tempora incidisse, quibus ob summam rerum omnium perturbationem, imminentesque calamitates ac ruinas, longe beatiores mea quidem sententia videamur esse iis, qui ad gubernacula sedent quassatæ ac periclitantis Reip. Valde enim vereor, ne jam subsidentibus fundamentis dignitatis vestræ, hoc est pietate & innocentia deficientibus,

tibus, vestra omnis dignitas & auctoritas uno momento concidant. Quæ sane ruina longe gravior atque intolerabilior futura est ipsis gubernatoribus Reip. quam tenuioribus. Vides me jam præripuisse tibi locum mei consolandi, ac monendi, dum ad communes locos philosophiæ confugio, locum autem juvandi me, atque ornandi integrum tibi relinquo, qua in re si forte facultas aut occasio deerit, voluntatem tibi nunquam defuturam certò scio. Vale.

EPISTOLA CCCCI.

JAC. CARD. SADOLETUS HIERONYM. NIGRO S.

Respondet proximæ superiori epistolæ.

LItteræ tuæ, quas jam antequam Carpentoracte discederem, accepi, eo tempore mihi redditæ fuerunt, quo cum ex remotioribus Galliæ regionibus meam me ad Carpentoractensem Ecclesiam recepissem (a), populos a Deo fidei meæ creditos, pestilentia, multisque præterea incommodis & difficultatibus vexatos oppressosque offenderam, ut meas omnes curas & cogitationes pro mea paterna erga ipsos caritate ad eorum tum levandas calamitates, tum consolandos animos cogerer conferre. Post a Pontifice Maximo in Italiam evocatus, quod iter maximo valetudinis meæ incommodo, & rei familiaris detrimento feci, non prius quietem & otium nactus sum, quam in hisce locis Pontificis ipsius permissu constiti.

(a) Ex Gallica scilicet Legatione: quod ineunte mense Decembris an. 1542. contigisse, patet ex epist. IX. Florebelli ad Bembum, quæ extat ad calcem Pontificiarum Sadoleti epistolarum.

ti. Eo factum est uti serius, quam aut consuetudo mea ferat, aut meus in te amor postulet, tuis litteris rescribam. Quibus quod Gasparis Contareni mortem defles, facile ex dolore meo tuum metior. Nam mihi quidem nihil ejus interitu in omni vita accidit luctuosius atque acerbius. Is enim occidit vir, quo nec meliorem, nec integriorem, neque omni laude & virtute præstantiorem, nec nostra, nec superior tulerat ætas. Quamquam is quidem, qui tam pie, tam caste, tam innocenter, tam sancte vixerit, non occidit, sed morte immortalitatem est adeptus, eoque præclarius cum illo actum est, quia eo tempore ex hac vita migravit, quo optimo & prudentissimo cuique propter maximam reipublicæ perturbationem, imminentesque illi gravissimas calamitates ac ruinas, omni spe opitulandi præcisa, mors miserrimæ vitæ propagatione longe potior optabiliorque ducenda est. Nobiscum vero, qui eum præcipue dileximus, actum certe est aliquanto durius. Nam & tu patronum amantissimum amisisti, qui ingenium, fidem, virtutem tuam spectatam sibi & cognitam maxime probabat; & ego eo sum amico orbatus; quem omni mecum amoris & necessidinis vinculo conjunctissimum, eximiisque [ac præstantissimis virtutibus præditum, utrum vehementius admirarer an diligerem, non facile dixerim. Quam quidem ego jacturam eo graviorem duxi, quo multis mihi antea ereptis hominibus amicissimis, iisdemque clarissimis, pauciores mihi, qui vere & ex animo diligant, sociique mecum ejusdem sint in Republica sensus ac voluntatis, sunt relicti. Sed nostrum quidem dolorem, illius (sic enim vere dicen-

dicendum est) mortis debet opportunitas, idque quod a Deo iis, qui cum fide & pietate vixerint constitutum & propositum est præmium, consolari. Quod vero ad incommodum tuum, mi Niger, attinet, damnumque quod illius obitu fecisti; doleo, te præter superiores, quas memorabas, fortunæ in te injurias, spe ea proxime orbatum, quæ tibi in illius auctoritate, summaqae erga te benevolentia reliqua erat, diutius iniquiore fortuna uti, quam excellenti virtute tua, probitate, industria dignum erat. Atque utinam, quantum tibi in Contareni auctoritate spei situm fuit, tantundem in mea erga te benevolentia posses reponere. Illud quidem persuasum habeas velim, quibuscumque rebus acciderit, opera, suffragatione, auctoritate, quantacumque in me est, tibique opus sit, me tibi nullo loco defuturum. Vale.

ANNO M. D. XLIII.

EPISTOLA CCCCII.

JAC. SAD. PAULO SADOLETO S. P. D. *Carpent.*

Primum quid Mutinæ agat, eum certiorem facit, postea de futuro Cæsaris colloquio cum Pontifice, deque viatico recepto multis agit.

DEcimo octavo die postquam a te discesseram, Mutinam veni Idib. ipsis Maiis: ibi Alfonsum fratrem offendi valentem, & salva cetera quæ quidem domesticas ad res pertinent. Sed illi pene inopinatus fuit adventus meus. Etsi enim imperium noverat, quo ego accersebar, de mea tamen voluntate fuerat dubius: itaque affui quasi improviso. Nostri qui-

quidem cives officiose atque amanter visum ad me & salutatum frequentes adierunt. Ego illo triduo Florebellum Bononiam misi, & ad Farnesium litteras, nihil dissimulans de mœstitia mea, & simul exponens, quam mihi grave extitisset venire in Italiam, & alienissimo meo tempore iter illud suscipere. Petebam autem, ut transacto cum Cæsare colloquio, liceret mihi Carpentoracte reverti, quod jam unum atque solum a summo Pontifice expeterem beneficium. Erat & illa excusatio in literis, me non continuo Bononiam profectum esse, quod de via fessus, aliquot dierum quiete, reficiendi mei caussa indigerem, me tamen quod ipsi imperassent esse facturum. Responderunt posse me Mutinæ ipsorum voluntate residere, donec vocandi adesset opportunitas. Quo ego nuncio accepto, in Corlianum nostrum me contuli, ubi sextum diem jam ago, nitens quoad possum reficere animum, eumque revocare ab iis sollicitudinibus, quæ me præter consuetudinem vehementer agitaverunt, quod litterarum in primis beneficio bona ex parte consecuturum me arbitror, tametsi libris careo, neque habeo præter duos aut tres. Sed tamen & perfeci librum illum de peccato originis, ut is jam exire in manus hominum me concedente possit; & alia commentor, quæ si res mihi facultatem dederit, in lucem editurus sum. Illud quidem mihi sentio usu venire, ut nunquam ex studiis litterarum tantum voluptatis cœperim, quantum hoc tempore, vel quod nullam aliam habeo suavitatem, in qua acquiescam, vel quod major in morbo medicinæ vis apparet. Heic rumor erat ortus (ut dicebat) Bononiæ mihi legationem illam a Pontifice esse

de,

decretam. Sed sine capite hic rumor; nihil enim habebat certi, nec constituti, tantummodo sermonibus hominum res jactabatur. Quod quoniam mea neutram in partem interest, utrum magis velim plane nescio. Ego, si mihi detur optio quid expetam, domum cupio, & reverti ad vos, & agere vitam cum meis amantissimis. Quod si procul a meis tamquam in exilio vitam ducere necesse est, reliqua est deliberatio, mihi ne expediat habere legationem. Sed de his satis. Adventus Cæsaris adhuc in expectatione est, nihilque de eo certi ad nos allatum. Dicebatur tempestatibus retentus conficere cursum non potuisse; & tamen sunt qui nuntient, pervectum eum ad Insulas, quæ supra Massiliam sunt. Quod si est ita, cito Genuæ illum habituri sumus. Nostrum quidem illud inventum ad concordiam pertinens, quod tu tantopere probabas, scito non suppressum modo fuisse, sed sic ubi fuit illius enuntiandi necessitas, alio atque erat modo interpretatum. Verum ista viderit Deus. Ego post discessum isthinc meum, nec literas a te, nec nuntium ullum accepi, quod mihi molestum est. Nihil enim vehementius opto, quam de te audire ea, quæ mihi jucundissima sint; ut recte valeas; ut in magistratu te geras; quid cives mei, quid reliqui omnes agant, quorum nobis & salus & memoria est jucunda. Tectum Felicianum absolvi volo. Viaticum hujus itineris pro ratione dierum, qui in itinere consumpti sunt, misi ad Carolum nostrum Gualteruccium uti peteret (a): res æqua & legitima nihil habuit difficultatis, trecenti statim numera-

(a) Vide Sadoleti vitam a Florebello descriptam p. XC.

merati sunt, in quo opera Ardinghelli eximia & amor erga me singularis. Illud ex mea postulatione mihi accidisse gaudeo, quod desierunt mirari ac reprehendere, quod ducentos illos reddidissem, postequam viderunt me trecentos poscere. Non enim jam illa morositas mea, sed religio judicatur. Adhuc hæc erant, quæ tibi ex me nota esse vellem. Si quid amplius evenerit, curabo uti scias; & vel ipse ad te mea manu scribam, vel delegabo Florebello. Catherinum, Glocerium, Verotum, & reliquos familiares nostros salvere jubebis meis verbis; curabisque præ ceteris rebus omnibus, ut mihi a te litteræ crebro longissimæque reddantur. Vale, mi Paule, & Deum precare ut redeamus. Iterum & sæpius vale. Ex Corliano, VI. Calend. Junias, M. D. XLIII.

EPISTOLA CCCCIII.

JAC. SAD. PAULO SADOLETO S. P. D. *Carpent.*

De suo Carpentoracte revertendi desiderio. De rebus Bononiæ primum, deinde Parmæ a Paulo III. gestis, deque proximo Cæsaris in hanc urbem adventu.

DAtis ad te litteris illis, quas in Corliano scripseram, hæc secuta postea sunt. Ego cum angerer animo, diremptum me ab eis optimarum artium studiis, in quibus beata mihi vita erat reposita; & reliquisse tamen cum illis una, cùm eos homines, qui mihi essent charissimi, tum eas regiones, in quibus mihi summa cum libertate animique jucunditate, meo arbitratu vivere erat concessum; tentandum & conandum esse duxi, si quo pacto possem me hinc explicare, & ad vos quibuscum esse

esse maxime cupio, primò quoque tempore me referre. Itaque cœpi consilium opinione mea solers plenumque summæ rationis, si tamen ratio omnibus in rebus locum haberet. Scripsi enim litteras, quarum exemplum tibi misi, & ad eum scripsi, qui maxime mihi suffragari meæ voluntati posse videbatur, idque ipse non nolle, quando eodem is studio mecum, eodemque erga litteras animo est conjunctus. Qui mihi post triduum rescripsit, omnia se summa egisse, longum habuisse cum Pontifice sermonem, visumque sibi illum animo erga me propenso & benevolo: certum tamen responsum meis postulatis in propinquum colloquium reservatum esse; & simul eisdem litteris me admonuit, ut cum primò commodo meo possem, Bononiam me conferrem. Erectus eram in spem, ut non diffiderem aliquid posse fieri eorum quæ cupiebamnec tamen plane confidebam. Res ipsa & postulatorum æquitas me ut sperarem, hortabatur. Cur enim difficilis deberet esse Pontifex in ea re mihi concedenda, quæ sine ullo onere ipsius proprio, & laudem illi & genus quoddam honestissimæ utilitatis esset allatura? Rursus conditio temporum & impendentes quotidiani pene undique metus, ab ea spe me abducebant, nonnihil enim in persona mea ad subveniendum tantis præsentibus Reip. fluctibus hominum judicio videbatur esse positum. Anceps igitur animi & dubius quid casurum esset, Bononiam perrexi nonis ipsis Juniis, diverti ad Paleotos, quorum vetus hospitium nobiscum hac nova familiaritate renovatum est. Postridie mane Pontificem summum conveni. Acceptus sum ab eo perbenigne, laudavit operas nostras legationis Gallicæ, adventum

tum nostrum ad sese sibi in primis gratum esse. affirmavit; ostendit sibi curæ fore commoda nostra, idque brevi nos re ipsa intellecturos pollicitus est. Egi gratias, commemoratisque causis, quibus ad veniendum effectus fueram difficilior, institi repetere eadem, quæ in litteris scripseram, nihil me malle in hac jam præcipitante ætate, quam in otio vivere, & quibus me donis Deus ornare (si tamen ullis ornavit) voluisset, ea ipsa dona ad illius laudem gloriamque convertere: esse mihi in animo laboranti fidei catholicæ ferre opem, si quam possem, præsertim quæ tam multis oppugnatoribus labefactata atque vexata, paucos qui se defenderent, jam haberet. Hoc autem dicebam, quod de duorum doctissimorum hominum morte, Alberti Pighii (a), & Joannis Ecchii nuntii huc pervenerant. Proinde rogavi, ut mihi reditum concederet in ea loca, in quibus hoc optime fieri a me & commodissime posset. Respondit in præsentia nihil se de hac re constituere posse: videre me statum periclitantis christianæReipublicæ:in ea regenda egere se ope multorum atque consilio, in eoq. nonnihil mihi subblanditus est. Hoc sermone habito, (dabatur enim eo die Senatus Episcopo Genevati nuper in Cardinalium collegium allecto, tum primum ad Pontificem venienti,) sessum omnes concessimus. Postridie, qui fuit dies VI. Id. Junii, senatus iterum vocatus est. Causa conveniendi fuit, quod cum superioribus diebus fuisset de consilii sententia decretum, si Cæsar Bononiam venire recusaret (pro-

(a) De Pighio, consule quæ habentur in notis ad epistolam CCCXIX. par. III. pag. 68. & 69.

(proparare enim dicebatur, nec spatium habere tam longe ab itinere declinandi) ut ne ulterius procederet Pontifex, sed vel illum Bononiæ exciperet, vel si id non contingeret, inappellatum abire pateretur; cum tamen si quid in congressu agendum esset, id mittendis nuntiis facile posset sarciri: ratio autem ita decernendi fuerat, quod videbatur hoc dignitati & gravitati Sedis Apostolicæ maxime convenire, simulque ætatem Pontificis pergrandem tot itinerum laboribus obiici non placebat. Ergo hæc eadem res iterum adducta erat in disceptationem, placeret ne ulterius obviam procedi nec ne. Nam Cæsar quidem Parmæ se ostenderat Pontificem libenter conventurum. Hic quinque ante me rogati in sententia pristina manserunt, cum exceptione tamen, nisi certa spes aliqua de pace esset oblata, quæ iter suaderet; tum enim iri oportere censuerunt. Ego rogatus contrariam sententiam dixi, de valetudine & incolumitate corporis ad Pontificis judicium rejeci; dignitatem in eo dixi positam, si quæ utilia & commoda Reip. christianæ essent, agerentur: hanc unam me agnoscere, neque aliam præterea ullam in ecclesiasticis hominibus dignitatem: inquirere certam spem in eis rerum eventibus, quos suæ potestati Deus reservasset, non esse nostrum: velle & conari bona, quod in nobis esset, ad nos id pertinere: me tamen sperare cum Cæsar & tempus anni & Pontificis ætatem laboresque conspexisset, habiturum illum officii rationem, & ad pacis consilia si non prompte (quod tamen ipsum a tanto Principe expectandum non esset) attamen inductum pudoris stimulis, facilius sese daturum: in hac quidem re suadenda plus effectu-

ćturum esse præsentem Pontificem, quam si absens per nuntios hæc eadem ageret. Postremo vel hac una ratione necessario dixi proficiscendum, ut rumores hominum comprimerentur. Erat enim sermo late dissipatus, ortas esse Pontifici cum Cæsare simultates, quarum, si fuisset colloquium devitatum, non sine periculi alicujus suspicione altius hominum mentibus opinio insedisset. Hac a me sententia dicta, ab omnibus deinceps in eandem est discessum. Itaque Parmam venimus, herique Pontifex ingressus urbem est: cras vero aut perendie Cæsarem expectamus. Is porro si venerit, poteritque a nobis conveniri, quod dabimus operam ut fiat, & spatium cum eo habuerimus colloquendi, non deero officio & pietati in Rempublicam meæ: animo equidem sum optimo, sed divina in primis benignitate est opus. Illud mihi admodum molestum est, quod non potest persuaderi hominibus ex hoc congressu aliud quippiam quæri, nisi privatum aliquorum commodum. Itaque mira jactantur in vulgus, quæ vobis quoque audita esse arbitror. Ego quoquo animo fuerint alii, integrum me quidem a labe omni servabo. Hæc scribebam XVI. Calend. Julii cogitans cras convenire Farnesium, agereque cum eo de iis rebus, de quibus tu ad me scripseras, ut commendem illi causas populorum suorum, qui non voluntate, sed prope necessario magistratuum imperio minus audientes fuissent. Nec diffido juvenem illum, ut est clementia insigni & bonitate præditus, ad omnia æqua descensurum. Jam sum cum Farnesio locutus, gratum habuit consilium nostrum, omnia uti fierent, quæ ego suadebam præcepit: negotium datum Ardinghello est homini prudenti (ut

tute

tute scis) & erga nos inprimis officioso. Tu rem totam quomodo se habeat ex Florebello cognosces. Ego in hac molestia & dolore animi, quem ex publicis rebus capio, hoc tamen me consolor, quod careo ipse omni culpa, & quæ mihi aut monenda aut accusanda videntur esse, libera voce pronuntio, sumque hanc libertatem perpetuò servaturus. Omnibus quidem ex locis terra marique adversæ res audiuntur. Itaque mihi impendere videtur jam extremum. De Cæsare adhuc incertum, sit nec ne Parmam venturus. Incidunt enim quotidie nodosiora quædam, quæ explicatu perdifficilia sunt. Cum enim hodie aut cras expectaretur a nobis, in x. Calend. rejecti repente sumus. Utinam mihi liceat aliquando redire ad vos: cui meo optato si fortuna vel Deus ipse potius faverit, nunquam isthinc vivus amplius exiturus sum. Mea me suavissima studia & studiorum amœna diversoria, inprimisque libertatis tranquillitatisque cupiditas, & vigilantem & in somnis semper ad vos rapit: unumque jam meum est desiderium cum hominibus istius provinciæ mei amantissimis, vicissimque mihi carissimis & habitandi & vivendi, quos tu omnes quidem præcipueque Carpentoractenses meos & privatim & publicè meis salutabis verbis; eximieque eos quos scis a me valdè diligi: quamquam in amore quidem pares habeo cunctos, in familiaritate non ita. Joan. Francisco & ceteris nostris contubernalibus salutem dic, ipsumq. inprimis hortare, ut ad me & crebro & copiose scribat. Si res meas constitutas haberem, statuerem quid agendum mihi esset, quod pertinet ad eum & ad ceteros. Adhuc nihil habeo nisi
verba,

verba, quibus in septimum usque annum sum productus. Sed hæc Deus viderit. Tu mi Paule vale, & nos amanter expecta. Parmæ xv. Calend. Julii M.D.XLIII.

EPISTOLA CCCCIV.

JAC. SAD. PAULO III. PONT. MAX. *Rom.*

Pontifici commendat Hieronymum Capoferrum & Thom. Campegium, ut eos in Cardinalium ordinem cooptare velit.

FAcere non possum, ubi virtuti & dignitati, multisque præterea & magnis erga Sanctam Sedem Apostolicam meritis, testimonium mei judicii tribuendum est, quin id tribuam; partim natura in hanc erga bonos voluntatem adductus, majore autem ex parte Sanctitatis tuæ clementia & benignitate provocatus. Quæ cum potestate & amplitudine cæteris hominibus omnibus antecellat; majorem tamen vult suæ humanitatis esse, quam potestatis gloriam. Ea igitur fretus, non possum tibi non commendare homines eos, qui mihi tuo judicio, digni etiam honore, qui fructus est judicii, esse videantur. Cum ergo proximis Cardinalium comitiis, quæ instare jam jamque & prope adesse sermonibus hominum circumfertur, sit Sanctitati tuæ locus, suam quemadmodum consuevit liberalitatem & beneficentiam in benemeritos exercendi: putavi ad meam fidem atque officium pertinere, duos tibi commendare, quos tibi ipsi non dubito esse probatissimos. Quod equidem facio, non illorum precibus efflagitatus, absunt enim ambo a me longe gentium, meæque hujus cogitationis penitus ignari sunt, sed hoc officium atque operam, virtuti, veri-

veritati & amicitiæ ſponte tribuens: Sunt igitur quos ego digniſſimos omni honore exiſtimo, Hieronymus Capoferrus deſignatus Nicenſium Epiſcopus & Thomas Campegius Epiſcopus Feltrenſis (a). Neque ego hos duos ita laudo, ut cæterorum laudibus, ſi qui ſunt, qui virtutibus ornati, curiam iſtam ſequantur, eſſe detractum velim: ſed quia in his præter eximia animi & ingenii ornamenta, quibus uterque eorum præditus eſt, illa quoque inſunt, quæ maximè movere animum tuum & ſolent & debent, ut magnam tibi horum honoris & commodorum habendam eſſe rationem putes. Alter prope ſimulatque natus eſt in fidem abs te & clientelam receptus, ubi acceſſit ætas, qua declarare animum atque ingenium illius poſſet, nihil aliud unquam ſibi propoſitum habuit, quam ut ſuas omnes curas, omnes voluptates, ſtudia omnia in Sanctitatis tuæ cultu, atque obſequiis figeret, & locaret. Multis in Urbe & magnis muneribus ac negotiis abs te præpoſitus, extra Urbem etiam maximos ad Principes ſæpe, maximiſque de rebus miſſus, nec fidem ſuam, nec conſilium, nec diligentiam uſquam paſſus eſt deſiderari, omniaque præſtitit, quanquam pene etiam adoleſcens, quæ a viro prudentiſſimo & ætatis uſu eruditiſſimo requiri

(a) Quod ad Hieronymum Capoferreum pertinet, ſtatim Paulus Pontifex huic Sadoleti commendationi ſatisfecit, an. ſequenti 1544. in Cardinalium numerum illum adſcribens. At non idem præſtitit in Thoma Campegio, cui quoque eumdem honorem mandaſſe, Ludovici Donii d' Atticby teſtimonio nixi, perperam ſcripſimus in notis ad ipſius Sadoleti vitam pag. LXXI. quum nunquam Thomas ea dignitate fuerit exornatus.

atque expectari solita sunt. Quodque in eo mih peregregium & commemorabile imprimis visum est, non ille suos labores, suas vigilias sua & corporis & fortunarum dispendia, cun tibi inserviebat, ad spem honoris & commodorum suorum direxit, aut retulit; sed tantum illud spectavit, ut Domino, & Principi su satisfaceret, fidemque & pietatem, non spen ullam propriam sibi habuit propositam. Qua si rara sunt & omnibus prope seculis in pauci animadversa, singularem quoque ea promerentur a tua benefica voluntate ac natura & honorem & benevolentiam. Quid cætera commemorem, quæ in eo præclare insunt? ingenium literas, humanitatem, comitatem, liberalitatem, illamque venustatem & elegantiam moris atque sermonis, qua in rebus gerendis it aperte utitur, ut non minus gratiosum te reddat iis Principibus, ad quos missus est, quan illis, a quibus missus? Omnia sunt in hoc homine ejusmodi, Pater Sancte, ut ipsa per se sine ullius commendatione & testimonio, vincire animum tamen etiam durioris alieniorisque Pontificis posse videantur. Quid mitissim facient? quid liberalissimi? quid benevolentissimi? Non enim dubito virtutes Capoferri Sanctitati tuæ non notissimas modo esse, verum etiam charissimas. Quare cum de honore eju certus esse debeam, qui & de gratissima ac beneficentissima tua mente atque natura certu sum, hoc officio perfunctus, ad alterum convertar. Atque heic ego intelligo, obiici mih posse nimiam quandam inprimis audaciam, ve temeritatem potius, qui tantis de rebus cum maximo & meo & omnium Principe, tam familiariter, & tam libere agam. Sed in hoc m

ta

tamen illa summa & prope incredibilis humanitas tua consolatur. Illud est difficilius; quod ego quorumdam hominum virtutes & merita Sanctitati tuæ demonstrans, videor non satis intelligere, quo cum Principe mihi agendum sit, quam sapiente, quam sagaci: cujus acre ingenium, summum acumen, admirabilem perspicaciam, nihil est omnino quod fugiat aut lateat. Verum heic mihi ignoscat quæso Sanctitas Tua, & patiatur me meo animo, & illi benevolentiæ, qua optimos viros prosequor, morem gerere. Si enim de quoquam commode sentio, si quenquam videor propter ejus virtutes, & propter singularia partim erga me ipsum, partim vero maximè erga sedem Apostolicam studia atque officia diligere debere, Thomas profecto Feltrensis Episcopus (a) mei & amoris & judicii, in his rebus omnibus primas partes obtinet. Quod si ego solus ita sentirem, mea tamen apud te commendatio aliquid habere deberet, si non auctoritatis, at certe excusationis. Sed ego mihi sic persuadeo, eadem in talem virum & mente & opinione, cum reliquos, tum te ipsum imprimis existere. Atque ego mitto in eo splendorem nobilitatemque familiæ, quæ summo honore nuper in Laurentio Campegio ejus fratre ornata atque florens, postquam ipso illo honore, fortunæ, & mortis injuria spoliata est, videtur ea ab æquissimo clementissimoque Pontifice in pristinum decus restitui debere. Quæ tua tamen plena bonitatis & prudentiæ consideratio in pluribus jam perspecta est. Mitto etiam literas, juris civilis Pontificiique scientiam, bonarum artium

 cul-

(a) De eo vide not. in epist. CCCXXIX. pag. 120.

tultum, in theologicis rebus usum, intelligentiamque pene singularem. Illud est quod ego Sanctitati tuæ potissimum in hoc homine cogitandum propono, quod nullus eo in Romana curia publicisque negotiis laboriosius, fidelius diuturnius, justius his quamplurimis annis versatus est, cum interea in tanta varietate rerum gerendarum, nemo unquam illius superbiam, nemo avaritiam, nemo negotiorum, quæ is suscepisset neglectum, nemo ullam vel minimam suspicionem criminis in eo annotavit Variis laboriosisque muneribus diutissime exercitatus, libellis postulatisque supplicum au scribendis, aut referendis, causis litigantiun committendis judicibusque dandis, regend quoque & in officio continendo scribarum or dine; in quo horum munerum non egregian fidem, prudentiam, abstinentiamque præsti tit? Tanta in audiendis hominibus mansuetu dine, in expediendis negotiis diligentia, in re bus omnibus integritats & innocentia, ut præ clarum in eo exemplum verissimi & optimi ma gistratus, ac sedis Apostolicæ ministri fueri constitutum. Quod quidem exemplum Pate sancte abs te pro tua gratissima mente admira bilique sapientia, merito honore afficiendun est. Etsi enim caput ipse es totius orbis, ta men propius atque conjunctius urbis Roman es caput, in quo tuo præcipue corpore, mem bra quæ præstantiora sunt, beneficiis tuis or nare debes, ut inde animi voluptas ad nos, a te bene judicandi laus perveniat. Quanquar non his solum de causis Thomas Campegiu Sanctitati tuæ debet esse commendatus, sed e eis quoque laboribus, & operis, quas is pe culiares tibi præstitit. Toties abs te in lega
tic

tiones missus, non solum difficiles & asperas verum etiam periculosas, tam multis negotiis, curationibusque præfectus; quem laborem unquam periculumve refugit, quo Sanctitati tuæ tanquam illi addictus toto & corpore & animo deserviret? Cujus quidem ad mandata omnia peragenda, solitam suam secum ipse semper & diligentiam & integritatem, voluntatem autem unius tuæ Sanctitatis, non suam, extulit. Sed non omnia commemorabo, (nota enim tibi sunt). Tantum ego alumnus amatorque Romanæ curiæ illius honestatem atque decus cordi habens, orabo atque obtestabor ipsius curiæ Principem, & Principem quidem, non solum potestate, sed magis etiam omni illa, quæ isthic plurimum potest, polletque, acie ingenii, electissimaque sapientia; ut in Feltrensi Episcopo, doctissimo, justissimo, laboriosissimo, & nos omnes qui virtutibus favemus, & ipsas virtutes, & Romanam imprimis curiam, proprium ac præcipuum corpus tuum, quæ illius honore ornari se arbitrabitur, hocque impense ipsa poscit atque desiderat, tibi habeas commendatam. Dominus Deus Sanctitati tuæ omnia semper prospera & felicia largiatur. Ex Feliciano Carp. diœc. VI. Idus Aug. M.D.XLIII.

EPISTOLA CCCCV.

JAC. SAD. JOAN. BAPT. SPECIANO, *Mediolan.*

Sermonem repetens per literas, quem antea cum Speciano habuerat de homine a publicis negotiis ad privatam vitam traducto, suam Carpentoractensem mansionem defendit.

SIcut mea & natura & consuetudo erga amicos postulat, facio hoc & sæpe & libenter,

ut absens te absentem meis cogitationibus proponam, gratamque recordationem usurpem, cum virtutis tuæ, tum mutuæ benevolentiæ nostræ. Quin illum quoque diem, quo postremo fuimus una, sermonemque totum, quem contulimus inter nos, in memoria semper habeo, cum tu mihi Carpentoracte redeunti ad portam Mediolani in diversorio præsto fuisti, mecumque primo amicissime conquestus, quod non introissem in urbem, quod nec tuo, nec summi viri fortissimique Ducis Alfonsi Davali hospitio essem usus, cum tibi mei facti atque consilii rationem attulissem, consuluisti boni: ad eaque officia mihi tribuenda conversus, quæ maxime tempus illud meum & itineris ac periculorum quæ impendebant ratio requirebat, nihil prætermisisti, quod vel in me adjuvando, studium tuum atque amorem, vel in docendo & commonefaciendo prudentiam desideraret. Quo quidem tempore illud mihi fuit jucundissimum, quod vidi, tibi quoque quem ego alieniorem ab hujusmodi sententia fore arbitrabar, meum relinquendi res propemodum perditas, & in solitudinem abeundi consilium probari. Habebat autem nonnihil controversiæ & disceptationis res, utrum liceret homini hoc honore prædito, partesque eas in Republica obtinenti & auctoritatis & scientiæ, quas longa jam ætas & usus rerum plurimarum mihi attribuerat, discedere a consiliis publicis & ad privatas cogitationes se referre. Quanquam hoc quidem modo re proposita, nulla videretur esse excusatio, quæ me vindicare a culpa & peccato posset. Quo quid homini, ea quæ gerat recte atque ordine gerere cupienti, posset accidere gravius? Exponamus

mus igitur causam alio modo, & ita quæramus: utrum licitum sit homini in aliquo munere publico & honore posito, cum adversis omnium voluntatibus videat nihil se proficere posse, quod ad Reip. pertineat salutem; habeat autem idem domi & privatim præclaras genere actiones, in quibus versari & se exercere commodo ejusdem Reipublicæ queat; dimittere curas publicas,& ad privata studia se conferre, quæ præsertim nihilominus in publicam utilitatem reditura esse videantur. Sic enim proposito statu causæ, facilior erit explicatio veræ rationis, & mei facti defensio. Nam si ego operam meam utilem esse Reip. existimans, subtraherem me a negotiis publicis, & otii fruendi ac desidiæ causa Urbem curiamque relinquerem, ne me ipso quidem judice, a maximi criminis culpa essem absolvendus. Etenim quid cogitari potest injustius, quam si quæ habeas animi aut ingenii bona, quæ in communi hominum utilitate elucere possint, ad eaque exhibenda tui honoris munere atque officio sis obstrictus; non illa ad publica emolumenta convertere, sed quærere tibi ipsi privatim otium, cum tuus labor proficere ad plurimorum hominum fructum & utilitatem possit? Vera hæc est ratio, neque excusationem habet hujusmodi voluntas. Sed si, quo res collapsæ in suum ordinem & locum restituerentur; veraque regendi & gubernandi ratio a principibus nostris iniretur; neque temeritati & fortunæ cupiditatibusque inconsultis permitterentur omnia, multa sæpe a me & dicta & tentata sunt, nihilque prætermissum, quod vel ad docendum, vel ad cohortandum,vel ad rogandum etiam valeret. Porro autem nullæ meæ sint in Rep. præ-

terquam sententiæ dicendæ & consilii explicandi partes. Quid facere debui, postquam omnia conatus, niti me frustra & laborare intellexi? An contra fluctum flatumque (quod ajunt) navigio tenui, remis velisque contendere? Quod si spes aliqua tamen extitisset melius fore aliquando, & si isti, quorum imperium summum est & potestas, non præcipitanter prorsus & prærupte; sed cum timiditate tamen & cautione aliqua in ea consilia se conjicerent, quæ sunt & ipsis perniciosa & Reip., potuissem aliquandiu forsitan dolorem pati, potuissem occasionem expectans dissimulare, quoad veniret tempus, in quo ex mei animi sententia, quæ certe in hoc genere rectissima & sanctissima est, posset opem ferre auxiliumque Reipublicæ, eum conatus meos & labores omnes, quos pro illa susciperem fore illi subsidio, nec casuros irritos existimarem. Cum vero nostri Principes, qui maxime tueri & regere Christianam Remp. deberent, nihil videantur sibi habere propositum, nisi exitium & eversionem earum ipsarum nationum, quarum præcipue salus a præpotente Deo illorum est fidei commendata & credita, cumque ea illi sola consilia exquirant & appetant, quæ sibi ipsis, omissa consideratione Reip. arbitrantur utilia (in quo falluntur quidem, sed doctorem monitoremque non recipiunt) seseque ita gerant, ut quasi mercede a barbaris hostibus nominis Christiani conducti, operam illis ipsis in profliganda re Christiana strenuam studeant navare, quid me tandem agere consulereve oportuit? Spectatorem ne me communium miseriarum constituere? & essem tam ferreo animo præditus, ut atrocitatem illius spectaculi perferre possem? Qui enim

enim mœror meus in calamitate tot populorum, qui animi dolor esset? qui non mihi corporis vel asperrimus cruciatus, levior tamen illa acerbitate accideret? An cum in hoc communi tanquam nominis & generis nostri incendio, omnes fere non ad auxilium, sed ad direptionem conveniant, ego quoque particeps aliqua ex parte illius prædæ esse debui? At mihi prius millies mors acerba eveniat, quam ut illiusmodi culpam labemvè ullam suscipiam: de qua ne cogitari quidem posse sine scelere & parricidio ab homine ullo puto. Ergo id, quod fuit reliquum atque solum sumpsi mihi, & constitui concedendum mihi esse in ea loca, quo nec Pelopidarum nomen nec facta meas ad aures prolaberentur. Quod etsi non omnino assequor, multas habeo tamen & jucundas a molestissimis hisce curis & sollicitudinibus animi aversiones, quas mihi potissimum præclara artium optimarum studia suppeditant. Et si verum scire vis; ego cum viderem multis & variis mod. ac impugnationibus labefactari rem religionemque Christianam, habereque eam hostes & externos & domesticos, qui hoc etiam deteriores perniciosioresque existunt, quod illi externi bona hæc terrena sua sponte caduca per seque interitura, nobis eripiunt; hi cœlum & patriam illam beatam atque sempiternam conantur eripere: quæ ad vim hostilem reprimenda idonea sunt arma atq. consilia, ea principibus terrenis a Deo permissa sunt, si illi metum & voluntatem Summi Dei voluerint attendere; quibus verò pravæ hujusmodi opiniones, quæ in Christi fidem veramque & puram Dei religionem, magno cum omnium salutis beatæque vitæ amittendæ periculo, non

diu ante irruperunt, coerceantur & retundantur, illa ego mihi sumo, & ad hoc opus saluberrimum atque sanctissimum, studium, operam, laborem, curam, diligentiamque meam omnem polliceor atque profiteor. Itaque si meis optatis Dei benignitas affuerit, opera ea sum effecturus, quæ si non magnitudine & numero at perspicuitate & diligentia, certe multa fidei in Christum nostræ mysteria ita apertam in lucem proferent, ut velut magno illato lumine, facile sit futurum unicuique, qui animum modo æquum attulerit ad cognoscendum, inter verum atque falsum discernere & judicare. Quod meum consilium cum maxime ad commodum & summam christianæ Reip. spectet utilitatem, ejusque ad partem illam tuendam fovendamque pertineat, quæ præcipue ægra, eademque nomini Christiano maxime salutaris sit; ego qui ex illis fluctibus in hunc portum nec recepi, & in eis commoror nunc locis, ubi plurimum illi opitulari & prodesse queam, non deseruisse curam cogitationemque de Republica, sed illam nunc demum vere & utiliter suscepisse sum existimandus. Sed ut ad prima redeam, cum antea te dilexissem & virtutibus tuis multis, & etiam officiis erga me provocatus; tum vero extremus ille congressus noster, prudentiam maxime mihi tuam & æquitatem animi probitatemque aperuit. Vidi enim, vidi te, & lugere eosdem Reip. casus, quibus ego afflictor, & eodem animo appetere honestum otium, quo ego id sum consecutus. Quod etsi felicius mihi obvenit, quam adhuc fortasse tibi; magnum tamen præsefert probi & sapientis animi indicium illa ejusmodi mens, quæ tædio male re-

rum

rum contractarum, & exitum sibi, & facultatem fruendæ libertatis quærit. Quod solet accidere ferme iis, qui optimo ingenio & natura ingenua in lucem editi, postquam diu versati in principum negotiis, aliquando perspexerunt, quam illa aliena a tranquillitate animorum, vel potius inimica beatæ & jucundæ vitæ sit vivendi ratio: quippe quæ tota angoribus assiduis, maximisque sollicitudinibus tamquam sentibus & spinis, intestinos sensus nostros lacerat atque cruentat, è vestigio si possunt, aut saltem pedetentim & caute illis sese laqueis & compedibus conantur exsolvere. Quæ cum in utroque nostrum similis voluntas sit, eodemque ambo studio, optimis & artibus & litteris dediti simus, ad multas & graves nostræ conjunctionis mutuæque benevolentiæ causas, hæc quoque similis sensus & communium studiorum ratio, tam magni momenti pondus affert, ut ego amorem quem erga te suscepi, quoad vixero perpetuum sim servaturus. Quod ut de me tibi polliceor, sic mihi vicissim de te persuadeo. Tu si ejusdem erga me animi conscius es, id mihi litteris tuis si declaraveris, facies rem mihi vehementer optatam atque gratam. Alfonsum Davalum, cujus ergo virtutem, nobilitatem, magnitudinem animi mirifice & cultu & benevolentia mea prosequor, ut salvere jubeas meis verbis, summeque me ab eo cupere diligi, illi ut confirmes, magnopere a te peto. Vale. Carpent. Idib. Septemb. M. D. XLIII.

ANNO M. D. XLIV.

EPISTOLA CCCCVI.

JAC. SAD. REG. CARD. POLO S. D. (a) *Rom.*

Gaudet illius fortunas Joan. Matthæi Giberti Episcopi Veronensis morientis judicio commode esse fundatas, & provinciæ suæ commotiones & turbas describit.

PEtrus Paulus familiaris meus Roma ad nos rediens, ea mihi de te retulit, quæ mihi semper optatissima sunt, nempe te in omnes partes rectissime valere, veteremque tuam, & summam obtinere prudentiæ, & virtutis, & integritatis laudem, fortunasque tuas idem mihi narravit amici morientis judicio commode jam fundatas, & constitutas esse; quæ omnia mihi vehementer grata, hoc postremum etiam perjucundum fuit. Nam ut antea dolore afficiebar, te hominem singulari sapientia & virtute præditum, carere iis fortunæ subsidiis, quæ ad sustinendam ejusmodi dignitatem, & nobilitatem necessaria sunt, sic nunc incredibiliter lætor habitam aliquando esse virtutis, & dignitatis tuæ rationem; atque ita habitam, ut non humano consilio, sed quodammodo divinitus honesta tibi vivendi conditio tributa esse videatur. Gratulor igitur tibi quidem primum, sic enim conjunctio nostri amoris postulat, quod facultatem es adeptus rei tuæ familiaris & domesticæ non ad commoditatis solum, verum etiam ad liberalitatis munia, qui tuus præcipue est mos, conferendæ. Sed illi optimo & san-

(a) De Polo vid. not. in epist. CCCXLIII. pag. 159.

sanctissimo viro mortuo vehementius etiam gratulor qui quidem dignum priore vita sua exitum est consecutus, cum pietatem, & munificentiam, quam vivus exercuit semper, eandem in morte sua etiam cumulatiorem optime meritis hominibus præstitit: cui quidem præter ea præmia, quæ in cœlo talibus animis ab Deo proposita sunt, nos quoque gratam illius pulcherrimorum operum atque factorum memoriam exhibebimus, nomenque Joannis Matthæi Giberti Episcopi Veronensis, perpetua commemoratione, & benevolentia prosequemur (a). Quæ vero de tuo animo erga me, mirificaque voluntate, quam omni in re orationeque ostendis, idem Petrus Paulus mihi exposuit; ea mihi optime atque humanissime Posso, nec unquam nova, & semper tamen accidunt grata. Quid enim mihi optatius esse potest, quam amari ab eo, qui propter omnem virtutis excellentiam omnium cultu atque amore dignissimus ipse est? Sed tu singulari tua humanitate quadam hoc facis, ut quos propter bonitatem naturæ tuæ diligis, eos videare propter illorum merita aliqua, virtutesque diligere. Quod tamen mihi usuvenire a te non moleste patior; quæcumque enim tibi causa sit mei diligendi, modo ut me diligas, id quod summe cupio optoque, illa mihi, & gravis & justa videatur necesse est, cupiditate videlicet, non ratione sic mihi persuadente. Sed si tu sponte tua, atque, ut dixi, bonitate adductus hoc facis, quid me tot vinculis obstrictum facere in te convenit? Non enim ego solum te, & tuam virtutem, humanitatem, pro-

(a) De Giberto, vide not. in epist. LXV. par. I. p. 170.

probitatemque diligo, sed tua plurima erga me officii amorisque indicia, & agnosco libentissime, & gratissima recordatione prosequor. Quando enim mihi aut dubitanti consilium a te defuit, aut laboranti subsidium? In quo ego absens plus spei, quod ad meas res pertineret, quam in te uno reposui? Cujus opera, cujus patrocinio fidentius sum usus? Quid? illa præclara consensio in Republica nostra, societasque consiliorum, nonne me tibi omni obligationum genere devinxit? Cum ego sententiis in senatu dicendis te potissimum intuerer, tibi me dederem, facile intelligens illa rectissima esse, quæ tu sentires; in quo sæpe recordor meas sententias, quanquam e republica prolatas, minus interdum ponderis fuisse habituras, nisi tua approbantis gravissima auctoritas accessisset. Sed efferor longius, amore inductus videlicet. Illud igitur breviter concludam, te a me non amari solum, sed omni cum honore, summaque cum pietate & observari, & coli. Quod vero subiunxit in sermonibus idem Petrus Paulus, hasce provinciæ hujus commotiones, atque turbas (sic enim appellandæ sunt) ad te quoque fuisse perlatas; teque non minimum esse admiratum, quod ego illas aut non prohibuissem nasci, aut non extinxissem subito concitatas, de ea re video esse necesse meum & sensum, & animum tibi aliquanto accuratius exponere. Nam si quisquam omnium hominum est, cui lites controversiæque displiceant, ego me vel in primis eum esse profiteor. Quid enim a vita, & studiis meis abhorrentius, quam contentiones, & rixæ? Sed cum eum inter hos populos, quod tute optime nosti, obtineam locum, ut ad me

pri-

primo querimoniæ provincialium de injuriis, si quæ illis illatæ sint, perveniant; quod cum caput Provinciæ, sive primarium membrum sit Episcopus Carpentoractensis, præcipua quoque ejus videtur esse cura apud Præsides, Legatosque interveniendi, quo jus, & concordia in provincia teneatur; quod munus semper sancte a me ac diligenter servatum est, ego quod mei fuit muneris, atque officii, quod honeste non potui pieque subterfugere, principio egi, ut Præsidem Episcopum Bononiensem adhortarer (a), cum aliquot populi de judicibus quibusdam ab eo missis vehementer conquererentur, magnamque ab sese pecuniam contra leges ab iis ablatam esse dicerent, resque esset insigni infamia, ut judicium constitueret repetundarum, gravemque ab se, & ab legationis honore ac nomine opinionem hominum removeret, quod ille mihi accipere tum in bonam partem visus est. Sed cum constituto judicio, furtisque jam extantibus, patere cœpisset illorum judicum improbitas, quæ tamen non recenti, sed vetere infamia jamdiu erat notata, sententiamque de illis ferri propediem oporteret, Præses nescio qua re, rationeve mutatus, repente potestatem judicandi Judicibus eripuit. Qua vulgata re, & rescissione sanctissimi judicii in publicum prolata, tantus animorum motus in provincia factus est, ut tumultum pene metueremus. Nam cum summa cum aviditate eventum judicii homines expectassent, deque maculosis & improbis, ut vetus

(a) Fuit hic Alexander Campegius Episcopus Bononiensis & Avenionensis ditionis prolegatus, de quo diximus in not. ad epist. CLIV. par. II. pag. 373.

vetus cunctorum opinio est, hominibus, quorum nonnullos tu quoque, cum hic esses, nosse potuisti, aliquid severius statui concupiissent; ubi se delusos irritosque viderunt, indignitate rei & dolore iracundiaque vehementissime fuerunt perturbati. Quorum ego clamores, querimoniasque ferre non valens, ex meo rure Feliciano exaravi ad Bononiensem epistolam, per quam sumpta mihi majoris, superiorisque persona, sicut & ætati meæ & honori conveniebat, enumeratisque in ea furtis, expilationibusque judicum illorum, quæ mihi & juratorum testium dictis erant notæ, illum cum severitate quidem, sed amanter tamen corripui. Quam meam libertatem tulit ægerrime, semperque deinde omnia in meam quasi contumeliam meditatus, leges tam communes, quam hujus provinciæ peculiares, & proprias (quæ isti privilegia appellant) passim sine ulla religione perfringere, expostulationibus nostris iracunde respondere, pauperes illos, qui querimonias primum ad Judices detulerant, ac præcipue Carpentoractenses meos infesto animo insequi non destitit. Vellem posse tibi ostendere, quas ego ad illum postea scripsi litteras, quam humanas, quam mites, quam illum suppliciter prope deprecantes, ut consuleret quieti provinciæ, judicium restitueret, Judices daret, qui suspecti populis his non essent: nam ille quosdam ad arbitrium suum surrogaverat, quorum, interposita appellatione, judicium subituram se recusaverat provincia. Sed quid ago? Non ego acta rerum gestarum, sed epistolam scribo, eamque ad virum quidem gravissimum, & in Reipublicæ cura occupatissimum; sed tuæ admirationi occur-

occurrere fuit animus, qui me existimares fortasse hos auctoritate mea motus reprimere potuisse. Atqui scito auctoritatem meam, si quæ modo est in me, nunquam apud quemquam neque contemptiorem, neque despectiorem fuisse, quam ea a Bononiensi nostro, & repudiata postea omnibus plane in rebus, & pro nihilo habita est. Cujus in eo tantæ, & tam subitæ mutationis causam, neque nunc exquirere facile mihi est, neque, etiamsi habeam exquisitam & cognitam, litteris illam explicare. Unum hoc sic habeto, Bononiensem ipsum, per se si spectetur, optimum virum esse, expertem omnis ejus labis, & maculæ, quæ vel ex intemperantia, vel ab avaritia profecta videatur. Sed in gerendo magistratu, qui solet esse uniuscujusque naturæ, atque animi acerrimus explorator, nimium illum pravis astutisque hominibus se permittere, neque discernere ipsum facile in quo jus injuriave consistat. Cui damno remedium idcirco nullum est, quod ipse in opinionibus quibusdam suis ita hærens infixusque est, ut convelli ab iis nulla ratione posse videatur. Sed ego illum, quanquam alienum a me, amare tamen non desino, neque desinam, vel summæ quam habeo erga omnem ipsius familiam benevolentiæ hoc tribuens, quam præsertim benevolentiam virtus & probitas, & summus amor erga me Episcopi Feltrensis (a), verissimi amici constantissimique confirmat, vel christiana mente ad sic faciendum adductus, Deumque & homines contestor, neque me acturum dicturumve fuisse quippiam,

(a) Thomæ Campegii scilicet Alexandri patrui, de quo in not. ad epist. CCCXXIX. pag. 120.

pſam, quod eſſet contra ejus voluntatem, niſi fides me, atque officium meum coegiſſet, & cogeret, & nunc eo animo eſſe, ut, ſi ipſe imperio æquo, atque legitimo provinciam regere conſtituat, id ſim in maximi beneficii loco ab eo accepturus. Quippe qui nullam ad rem avidius ardentiuſque anhelo, quam ad pacatum & tranquillum ocium, ſtudiumque jam unicum litterarum ſacrarum, in quibus, id quod mihi fuit moleſtiſſimum, minus quam volebam, hac hyeme ſum verſatus; partim harum turbarum cauſa, quæ nondum etiam reſederunt, fit enim quotidie aliquid, de quo queratur doleatque provincia, partim, quod incommoda valitudine ſum uſus: nam novis quibuſdam diſtillationibus, & longa ac difficili gravedine ex aſperitate cœli tempeſtatibuſque laboravi, quibus tamen ab incommodis emergere jam videor. Sed ſi hæc mihi vitæ conditio in his locis eſt propoſita, in quibus ego ſpem ſummam quietis ac ocii reponere ſolitus ſum, ut mihi ſit, non meo quidem, ſed provincialium nomine, ad quod faciendum fide officioque, ut ſcis ipſe, aſtringor, adverſus injurias aliquorum Magiſtratuum, pro juribus & pace Provinciæ reſiſtendum; mihi prorſus conſtitutum eſt & provinciam, & cauſam hujus neceſſitatis relinquere. Tradita enim illi Eccleſia cui jam deſponſa eſt (a), ipſe vinculis ſolutus, ab hac conſtricta, & obligata vita, ad liberam illam, & beatiorem commigrabo, quo unus jam dumtaxat Deus, una illi

(a) Paulo Sadoleto fratris patruelis filio qui adjutor eſt in Carpentoractenſi Eccleſia regenda a Clemente VII. datus fuerat uſque ab anno 1534.

illi soli inserviendi mea obtemperandique voluntas, unus amor, unum studium me jampridem vocat, nec aliud video perfugium his miseris perditisque temporibus, ex quo & illi inhærere uni, & agere, ac navare, quæ ipsi sunt grata acceptaque possimus. Sed de omnibus meis cogitationibus consiliisque scribam ad te alias plura, tuamque opem ad omnia, ut soleo, flagitabo, tibi interea & fidei tuæ commendans hos populos, qui maximam in te spem habent positam. Tu ut valeas nosque amare ne desinas, tibique persuadeas nos tui esse amantissimos, magnopere rogo. Priulo meo (a), & cæteris tuis familiaribus salutem. Vale. Carpentor. VIII. Cal. Martii M. D. XLIV.

EPISTOLA CCCCVII.

AL CARDINAL FARNESE, *Roma*

De rebus in Avenionensi provincia gestis ad contentiones tollendas, eum certiorem facit.

PEr due lettere di Vostra Signoria Reverendissima a me gratissime e giocondissime, l'una di X. e l'altra di XVIII. d'Aprile, hò conosciuto quello che già mi era ben noto; l'animo giusto e costante di quella; e che non si lascia volgere alle relazioni ed informazioni dell'una parte, riservando sempre il suo saldo giudizio ad intender prima le ragioni dell'altra. La qual virtù non solo naturale, ma ancora piena di alta prudenza, che sia congiunta con le molte altre, delle quali Dio hà ornato

(a) Aloysio Priulo scilicet, de quo consule quæ dicta sunt superius in not. ad epistolam CCCXLIV. pag. 165. & 166. hujus partis.

nato quel nobilissimo animo di V. S. Reverendissima, sommamente mi congratulo & allegro con lei, e fà che ogni giorno più mi si accresce, non l'amore, che in quello a me par d'essere già da gran tempo fà pervenuto al sommo, ma quello intrinseco contento, che io piglio d'amare, riverire, ed osservare sì degno, e sì nobile Signore, e Padrone: il qual giudizio ed amor mio verso lei, io porterò fino alla morte. Quanto alle cose di quà non mi stenderò per ora molto, sapendo certo che il tempo e la fama, e le molte testimonianze delle genti risolveranno e chiariranno Vostra Signoria Reverendissima chi di noi quà ha procurato l'onore, e l'utile di quella, e chi hà sostenuto le parti della giustizia, pazienza, e mansuetudine senza cercar d'alzarsi più di quello, che l'officio suo porta. Perchè invero io son pur quello, che mi ritiro quanto possо, e piuttosto inclino a vivere in solitudine, che nella frequenza e concorso delle genti: ne mi muovo dal mio proposito, se non per forza costretto dalla fede ed ufficio mio. Il quale ufficio doppiamente mi hà sforzato ai giorni passati, e per essere io Vescovo di Carpentras, obbligato a mantenere e conservare questo paese patria mia carissima e patria datami da Dio, non dalla natura, obligato cioè nelle cose giuste ed oneste, non altrimenti; e per aver sempre infisso nel cuore l'onore e buona estimazione di V. S. Reverendissima. La quale in tutte le mie azioni hò sempre difesa e mantenuta quanto mi è stato possibile, ne mai avrò impresa alle mani, che più volentieri io faccia, che di ponere ogni cura, e studio, e sentimento ed industria mia che il nome di

V. S.

V. S. Reverendissima sia esaltato ed onorato, quanto per me si potrà e saprà, come le virtù di quella meritano, e l'amor ch'io le porto mi fà desiderare. Le lettere di V. S. Reverendissima circa lo sindicato, hanno rimesso lo spirito a queste buone genti, ed io non son mancato all'occasione di raffermar l'ottimo animo di quella, e ritornarle nell'amore e buona opinione di prima, dalla quale certo erano alquanto disviate; come Gismondo Commissario ha potuto vedere e toccar con mano. Il quale in queste differenze si porta molto discretamente, e cerca pacificar gli animi di tutti, e mostra con saviezza ed integrità esser vero e fedel servitore di V. S. Reverendissima; ed ora è intrato di consentimento mio di accordare che sieno restituiti li danari estorti dai Commissarj sindicanti a quelle povere genti, tanto aspramente trattate, per trovarsi molte difficoltà nel sindicato, e per non potersi venire al punto della verità per le cotidiane cavillazioni, e sutterfugj che si fanno. Il Vicario tenuto vomo diritto è forte ammalato. Gli altri due sono palatini, timidi, e non arditi fare ne dire contra i sindicanti, che sono in estremo favore e potenza. Li testimonj temono: vomo di corte non è in Avignone che voglia parlare per li querelanti, vedendosi le aspre vendette che si son fatte contra chi si è osato mostrare contra coloro. Il paese stà costante, e domanda tuttavia giustizia; ma credo pur che si lasseranno condurre a contentarsi che si pigli il partito dell'accordo. Si stima che gli officiali sindicanti, ove dovevano aver sessanta scudi per tutte quelle commissioni, ne abbino esatte parecchie centinara,
e que-

e queste da genti povere, ed anco prima esauste e mal trattate da passaggi di Soldati, e da Giudei; e poi ancora oppresse dalle pene eccessive esatte da loro questi giorni passati con molta acerbità, e in vendetta delle querele che avevano portate a giudici sindicatori. Ma ancor di questo non accade parlar più. Quanto al cedere il Vescovato a Paolo mio, invero Monsignor Reverendissimo, questo è stato già molto tempo fà mio desiderio, aspirando io ogni dì più al viver solitario, e ad aver la mia vecchiezza quieta e riposata. Vero è che sempre hò anteposto il servizio di V. S. Reverendissima ad ogni mia commodità, e sono per anteporre. Parendomi dunque a questi giorni passati, che ci fosse qualche occasion di farlo, e che quella ci avesse a pigliar a commodo e piacere, mi era messo ad eseguire il mio disegno, avendo però sempre quello proposito fermo nel mio animo, che non solo Paolo, ma io medesimo, e non solo in officj onorevoli, ma infimi, e vili, e non solo con la fatica della persona, ma con la vita e sangue nostro, siamo apparecchiati servirla, ubbidirla, ed accommodarla senza niuna eccezzione, dove a lei piaccia valersi, e satisfarsi del nostro servizio, essendo dalla parte di lei tutto l'Imperio, dalla nostra tutta l'ubbidienza e fedelissima servitù. E pregando Dio, che doni a V. S. Reverendissima ogni contentezza e prosperità, bacio le mani di quella, raccommandandomele con ogni riverenza ed affezione. Da S. Felice. A VIII. di Giugno 1544.

EPI-

EPISTOLA CCCCVIII. (a)

J. SAD. GREGOR. CORTESIO CARD. (b) *Rom.*

Suum de purgatorio librum ei corrigendum mittit.

MUtua nostra vetusque benevolentia, quam sancte & fideliter ab utroque nostrum cultam esse intelligo, facit ut in meis maximis rebus, quæ nunc quidem in sacrarum literarum studio omnes mihi constitutæ sunt, tuum imprimis amorem, tuamque eximiam excellentemque doctrinam mihi requirendam esse putem. Cum enim (ut tute scis) commentarium quendam de peccato originis jam pridem confecissem, hacque (c) maxime re & ratione facultatem in has regiones revertendi a Summo Pontifice essem consecutus: quod me (quoad possem) otium & tranquillitatem nactum, literis, & scriptis sanctam fidem Catholicam decusque & authoritatem Apostolicæ Ecclesiæ defensurum pollicitus essem, statui mihi ut primum huc me retuli eundem esse (d) librum accuratius retractandum. Quod cum diligentissime fecissem addidissemque non pauca, quæ mihi ad rem uberius explicandam idonea visa sunt, illum tamquam meæ diligentiæ testem, Pontifici ipsi maximo authori mei otii mittendum putavi (e), scripsique ad amplis-

(a) Hanc epistolam uti & sequentem contulimus cum rarissimo libro epistolarum Card. Cortesii edit. Venet. 1573. cujus varias lectiones adjecimus. (b) De Cortesio, vide not. in epist. X. par. I. pag. 28. & par. 2. pag. 121.

(c) *maxime re & postulatione* (d) *de peccato originali*

(e) *dedicandum putavi.*

plissimum Card. Farnesium, ut cum quibusdam ex Collegio nostro tibique imprimis legendum & considerandum traderet (a). Quod factum fuisse etsi certi nihil dum scio, ut confidam tamen adducor. Nunc alterum ὑπόμνημα jam elucubratum in manibus (b) habeo, nondum illud quidem expolitum, quemadmodum & res ipsa & mea diligentia postulat, sed tamen ejusmodi ut (c) ex eo, quamquam imperfecto, intelligi possit quid ego habeam de purgatorio persuasi atque certi, quæ res una omnium maxime hoc perturbatissimo tempore (d) ab Ecclesiæ (ut scis) hostibus oppugnatur. In quo & Catholicæ suffragor Ecclesiæ, quod sane mihi in omnibus meis & curis & actionibus semper est propositum. (e) Eum ego librum statui mittendum ad te esse, ut tu mi optime doctissimeque Cortesi, pro tua in me benevolentia, proque ea fide, quam ego tibi habeo summam, laborum meorum multarumque vigiliarum partem aliquam (f) mecum subeas, meque adjutum velis opera & sapientia tua. Primum ut quæ scribuntur a me, ea sancte & recte & ex integra veraque religione scripta sint, deinde, quæ pertinent ad politiores literas, quando utriusque facultatis summum tuum est judicium, de his etiam me admoneas, neque patiaris quæ apte & ornate imprimis oportet scribi, ea me barbare & incondite scribere. Quanquam hoc (g) levius fortasse est. Illud (h) gra-

(a) *considerandumque permitteret* (b) *habens* (c) *in eo* quamquam imperfecto, *velut quadam in forma prospici & cerni possit* (d) *ab Ecclesiæ hostibus* (e) Desunt tria hæc verba sequentia (f) *atque onus communiter subeas* (g) *alterum* (h) Illud *primum* gravissimum

gravissimum, ut ne quid prorsus a nobis effluat, quod cuiquam bene intelligenti, queat vel minimum aliquem spiritum perversæ religionis afflare. Etsi enim ego in hoc quidem offirmantissimo sum animo, ita ut corpus & vitam potius, quam studium veræ pietatis amittere paratus sim, idemque cum catholica Ecclesia arctissimè sum conjunctus, propter tamen imbecillitatem ingenii mei (a) tenuitatemque doctrinæ diffidere mihi cogor, & doctiorum ac sapientiorum quam ego sim, hominumque præsertim nostri ordinis judicia implorare. Quo e numero cum mihi præcipue occurras, qui consulendus sis, mihique jamdiu persuasum sit, te & velle mea causa, & pro singulari doctrina, qua es præditus, posse plurimum mihi opis & subsidii afferre, omni animi studio te obtestor, ut quicquid futurum est negotii & laboris in legendis duabus hisce nostris lucubrationibus, eisque (b) acriter expendendis, id ne te pigeat summo tuo in me beneficio suscipere ac perferre, cum honoris mei, tum aliorum etiam utilitatis causa, cum omnes qui in hoc gradu tanti honoris locati sumus, hæc aut agere ipsi, aut agentibus adesse favereque debeamus. Vides tempora, vides hominum mores; ut quisque nostrum aliquid edit in publicum, quod aut contra falsas religiones, aut pro veris scriptum sit, non modo, qui palam adversantur nobis & repugnant (nam hi fortasse minus pertimescendi sunt) verum etiam qui nostrarum ipsarum sunt partium quasi ex insidiis repente egressi circumsistunt, accusant, invehuntur, ve-

---

(a) *debilitatemque* doctrinæ (b) *Severe animadvertendis ac notandis*

veluti proditionis insimulant, nec quicquam hoc tempore periculosius est quam de rebus bonis sanctisque disserere. A quo genere scribendi si abstinere velimus, cautiores forsitan sapientioresque judicabimur, justiores certe & meliores non erimus. Non enim qui talentum condidit sub terra, sed qui id exercuit, fructumque ex eo quæsivit is, a Domino in Evangelio laudatus est. Quem quidem ego negotiatorem bonum studeo imitari, ita animo paratus, ut omnibus iis qui me redarguunt, meaque mihi errata indicant (a) modo ut ipsi sine contumelia id agant, non solum non succenseam, sed magnarum etiam illis gratiarum debitorem me confitear; neque enim quicquam facere erga me possunt quod mihi accidere queat vel utilius vel gratius. Quamobrem mi optime Cortesi, cum ego & judicio tuo plurimum & voluntati erga me omnia tribuam, simque ipse (ut recte nosti) semperque fuerim tui cupidissimus & amantissimus, da mihi hanc operam quæso, & in hac re officio veræ amicitiæ inservi, ut meæ lucubratiunculæ tua sint doctrina & lima emendatiores (b). Vale & nos dilige. Ex Feliciano Carpent. Diœcesis V. Idus Junii M. D. XLIV. EPI-

(a) *faciunt manifesta.*

(b) In eadem Epistolarum Cortesii editione hæc adduntur. *Quem ad laborem curamque corrigendi, ut tibi adjungas homines nostri ordinis gravissimos & eruditissimos Polum, Burgensem, Salvatium, Moronum, Bembum, & si qui alii ejusmodi sunt, qui bonas artes literasque sectentur, magnopere a te peto. Nam qui in alio quodam genere doctrinæ versati sunt, neque attigerunt musas politiores, eos te arbitror existimare minus ad nostra hæc dijudicanda idoneos esse posse, qui soleant vos non tam* ad

EPISTOLA CCCCIX.

GREGORIUS CORTESIUS CARDINALIS Jac. Sadoleto Card. S. D. (a) *Carpentoract.*

Respondet proximæ superiori epistolæ.

ETsi ratio officii postulat, ut post tuum a nobis discessum crebras ad te literas darem, quibus & de rebus publicis & de privato rerum mearum statu fieres certior, (hoc enim & constitutæ inter nos amicitiæ & maximis (b) beneficiis in me tuis fuisset consentaneum); nescio tamen quo pacto factum esse dicam, ut cum dies nullus esset, quo non id facere cogitarem, omnes tamen re (ut ita dicam) infecta elaberentur. Cum vero tandem me diuturni silentii suppuderet, constituissemque omnino in posterum ejusmodi negligentiæ maculam epistolarum frequentia delere, repente redditus est mihi a te fasciculus, in quo non solum ad me, & ad complures amicos literæ fuerunt, sed elegans de Purgatorio loco libellus, cujus

 (ut

ad catholicæ fidei sanctæque universalis Ecclesiæ instituta atque decreta, quibus propense & sine cunctatione ulla parendum & obediendum est, quam ad suos quosdam nimium litigiosos & parum graves magistros judicesque revocare. Sed de his satis. Illud quoque te rogo, quoniam ex Italia discedens amplissimo Card. Sanctæ Crucis pollicitus fueram, me hanc compositionem de purgatorio, cum primum habuissem confectam, illi esse missurum; ut eam tu cum acceperis, continuo cum illo communices, quo meæ promissionis fides apud eum constare possit. Facies hoc quoque mihi gratum, ut cum Ambrosio Catharino meum hunc libellum conferas. Vale. (a) Pro Jacobo Sadoleto legitur *Amico cuidam* (b) *multiplicibusque* beneficiis.

(ut facile intellexi) maxima apud omnes ex
pectatio jam antea concitata erat, quod dun
tu Bononiæ esses, nescio quid de ea re & do
ctis & tui amantissimis fuisses pollicitus, vi
sum est nobis nihil opportunius accidere po
tuisse. Quod enim prius, cum nihil haberen
quod scriptione magnopere dignum esset, face
re cogitaram, ut ad te scriberem, nunc tali pro
posito argumento longe facilius mihi videor es
se facturus: etsi adhuc quidem accidit incom
modissime, tanta enim fuit flagitantium mole
stia, ut vix semel libelli legendi & idipsun
cursim, facultas nobis data fuerit. Qui enin
literas tuas reddidit, nescio qua ratione intel
lexerat, librum in eundem fasciculum fuiss
conjectum, cumque id (a) ex eo cognitum fuis
set, non potuit a me, amicis postulantibus
diutius denegari (b). Ex eo tamen quod pri
mis ut ajunt labris gustare licuit, intellex
(c) maxime obscurum locum, & a nullo ante
satis diligenter tractatum, & nescio an om
nium, qui nunc præcipue in controversiam ve
nere, longe difficillimum, a te & tractari com
mode & luculentissime explicari. Qua de r
tamen, non solum quid ego sentiam, cun
ex amicorum manibus librum recuperavero
sed & quid ipsi judicaverint, summa fide &
diligentia te faciam certiorem. Nunc ea tan
tum de causa ad te scripsi, ne fortasse, u
nunc sunt tempora, suspicareris, literas tua
ad nos non pervenisse. Quod ad publicas re
attinet, scito omnium animos (d) de rerun
even

(a) *palam prædicaret*; non (b) *præsertim illis ipsis a
quibus ad me scripseras*. Ex (c) *maxima obscuritatis* lo
cum (d) *ex rerum eventu heic suspensos esse*

eventu heic magnopere esse sollicitos; nec quieturos prius quam ad hujus miserrimi belli exitum perventum fuerit. Etsi enim non magnopere adhuc Romæ tumultuatum est, summi Pontificis consilio, (a) singulari & providentia; cum tamen omnia armis undique circumsonent, vix fieri potest, ut ex aliorum calamitatibus, non cogamur de propriis periculis cogitare. Tu quando honestissimum otium nactus es, & in (b) eo potissimum oppido in quo & tui Sacerdotii munera præsens obire potes, & quod cœli clementia, & amœnitate locorum, maxima te potest afficere jucunditate, partem velim credas magnam felicitatis esse assecutum, præsertim cum propè omne tempus insumas in opprimenda extinguendaque perditorum hominum impietate; qui non jam ut antea, occultis cuniculis, sed apertè arcem ipsam caputque totius religionis invasere. Vale, & recuperato ab amicis libello, longiores a me literas expecta. Romæ Calend. Jul.

EPISTOLA CCCCX.

JAC. SAD. GREG. CARD. CORTESIO S. *Rom.*

Commendat ei Sigismundum Albanum, qui Urbinatis Ecclesiæ sacerdotium petebat.

SIgismundus Albanus Urbinas, ex eo videlicet genere hominum, qui tuæ fidei, justitiæ, religionique crediti & commissi sunt; idemque præstantissimi Cardinalis Farnesii familiaris, heic nunc apud nos procurat negocia

(a) *& pene divina providentia* (b) *Ea potissimum civitate in qua &c.*

quædam, quæ ad dominum suum, & ad summum Pontificem pertinent, quorum ipse agendorum & curandorum causa, dedita opera ab illis in hæc loca missus est: procurat autem e[i] modo, ut quantum perspici adhuc a nobis, & cognosci potuit, neque integritatem in eo nec prudentiam desideremus. Quod hoc magis etiam a nobis omnibus animadversum, & summa laude dignum visum est, quod ejusmodi habet ille mandata, quæ nec temporum nunc quidem, nec rerum perturbatio facile patiatur ad effectum suum perduci. Is a me in amicitiam studiose receptus, & mihi factus perfamiliaris, rogavit me, uti causam quandam suam & seipsum unà literis tibi diligenter commendarem. Non enim dubitat, quin pro nostra mutua, insignique benevolentia, magni momenti apud te mea commendatio esse debeat, in ea re præsertim etiam, quam si minus mihi esset tecum quam est familiaritatis, tamen ab æquitate atque humanitate tua speraremus posse impetrare. Ea porro hujusmodi est. Sacerdotia Ecclesiæ tuæ Urbinatis, quæ Canonicatus vocamus, ea conditione esse idem Sigismundus affirmat, ut si quod forte vacèt illorum, pertineat novi Sacercerdotis cooptatio ad collegium illic Canonicorum quos habere jamdiu dicit & jus & consuetudinem cooptandi, quorum Sacerdotiorum nuper unum cum ejus morte qui id obtinebat vacaverit, ipseque jure expectativæ, quæ sibi a summo Pontifice dudum concessa, consensu etiam, & cooptatione Collegii totius sit comprobata, aditum se habere confidat ad eum Canonicatum jure optimo possidendum; tamen intellexit nec sine aliqua quidem mea suaque molestia te aliter de ea re ac nos vellemus statuis-

tuiſſe, inque demortui locum alterum in illo Sacerdotio Canonicum ſuffeciſſe. Quod etſi optimo animo abs te eſſe factum arbitramur, nec ut cuiquam jus ſuum eriperes, ſed ut tuum conſervares, tamen quoniam negociis Principum ſuorum non ſolum, ſed utilitatibus etiam & bono hujus provinciæ heic nunc apud nos Sigiſmundus detinetur, quod eam multis rationibus perturbatam ipſe dat operam, me quidem hortante & adjuvante, quoad poteſt, ut pace, & concordia ſedet ac leniat: ob eamque rationem abſens nequit tibi coram cauſam ſuam exponere; & ipſe abs te hoc deſiderat, & ego omni animi mei ſtudio & conatu te rogo atque oro, ut quoad ipſe redeat in Italiam, quod proximo Septembri menſe omnino facere conſtituit, velis ita trahere & ſuſtentare rem, ut cum eum audiveris, cauſamque omnem cognoveris; namque alium neminem Sigiſmundus præter te totius juris ſui judicem & diſceptatorem habere vult, ſit tibi integrum quod verum tunc & honeſtum tibifuerit viſum, ex conſueta tua virtute, prudentia, æquitateque decernere. Non enim dubitamus quin acturus omnia ſis, quæ ab integerrimo & ſapientiſſimo homine expectanda ſunt. Porro Sigiſmundus ipſe eo animo eſt, tantique æſtimat gratiam & benevolentiam tuam, ut etiam jus ſuum poſteaquam tibi probaverit, ſit tamen paratiſſimus, ſi tu ita juſſeris anteponere tuam voluntatem cuicumque commodo ſuo. Ego vero qui illius cauſa laboro non ſecus quam facerem mea, aut hoc etiam amplius, quod honeſtius eſt pro amici utilitatibus, quam pro ſuis curam & laborem capere; peto a te optime Corteſi, ut in hac re in qua nihil tibi detrahitur, tantum benigni-

tas & comitas tua a nobis flagitatur, velis omnibus iis, qui fortasse nesciunt, ostendere plurimi a te fieri & voluntatem & commendationem meam. Quod cum feceris, & mihi egeris gratissimum, & Sigismundum ipsum, qui te summo cum honore & colit & observat, hoc tantæ humanitatis tuæ signo atque officio, tibi in perpetuum obstrinxeris. Vale. Ex S. Felice prid. Cal. Julii M.D.XLIIII.

EPISTOLA CCCCXI.

JAC. SAD. JAC. SABELLO CARD. S. D. (a)

Animi ingeniique illius bona commemorans, Sabellum orat, ut suo erga eum amori pari benevolentia respondeat, ejusque patrem salvere plurimum jubet.

ANtonius Florebellus, maximus laudator & observator tui, ex Italia reversus ad nos, cum multis aliis de rebus me docuit, quæ in istis locis publicè geruntur; tum ea de meis pri-

(a) Hunc ab origine ultima nobilissimæ Romanæ stirpis generatum, Paulus III. Pont. Max. cujus erat consanguineus, in Cardinalium ordinem cooptavit anno 1539 XIV. Kal. Januarii. Patre usus est Joanne Baptista, Constantia Bentivola matre. Optimis disciplinis domi imbutus, Patavii Jurisprudentiæ Græcisque litteris operam dedit, in eaque urbe versabatur, quum purpuræ dignitatem obtinuit. Julii III. Pontificius in Piceno Legatus Provinciam cum ab intestinis discordiis, tum a Turcarum insidiis liberavit. Ecclesiis Neocastriensi, Eugubinæ ac Beneventanæ præfuit, summique Pontificis *Vicarii in Urbe* munere multorum annorum spatio functus est. Obiit enim anno 1587. sepultusque est in templo Jesuitarum ab Alex. Farnesio Card. extructo. Vid. Oldoinium in Ciacconii opere tom. 3. col. 674.

privatis amicitiis ac necessitudinibus mihi nuntiavit, quæ ego maxime audire expetebam. In quibus id mihi fuit gratissimum, quod eorum quos ego diuturno jam amore & fideli benevolentia prosequor, animum tuum erga me, & parem voluntatem esse declaravit. Quo equidem nuntio nihil unquam possum audire optatius. Nam cum natura mea ejusmodi semper fuerit, ut omnem propemodum meam delectationem vitæ in bonorum & doctorum amicitiis habuerim constitutam; nunc cum una hæc mihi, cæteris, aut jam plane amissis, aut certè extenuatis exolescentibusque voluptatibus, remaneat jucunditas, quod in amicorum cogitatione & memoria suaviter acquiesco; cum de eorum officio ad me perfertur; nihil est ex quo lætitia affici majore possim. Ac ille mihi de aliis quidem multa; de te vero, Sabelle optime atque humanissime, ea mecum locutus est, quæ ego cum in te etiam tum adolescente, multis primo mihi nuntiantibus, deinde brevi illa consuetudine nostra, tanquam florescentia perspicere cœpissem, gaudeo ferre illa nunc eos maturitatis fructus, ut jam non sperare sed admirari tuas eximias & singulares virtutes debeamus. Amabam equidem nobilitatem & animi & generis tui, elegantiam morum, in congressibus humanitatem, in dictis factisque constantiam. Sed illa me res præter cæteras delectabat, quod videbam, qua voluntate in publicam rem Christianam esses, quo studio erga optimas artes, qua mente ad cupiendum, ut rectè omnia fierent moverere. Quæ tibi egregia & summa animi bona, primum a natura insita, deinde educatione disciplinaque firmata, Dei primum omnipotentis,

deinde etiam bonarum artium literarumqu auxilio, ad eam nunc frugem perducta sunt ut habeamus in viridi etiam nunc tua ætate quem cum gravissimis & probatissimis ordinis nostri patribus conferamus. Atque hæ ornamenta animi ingeniique tui, etiamsi mih tecum nihil unquam fuisset, si non te amore eo prosequerer, quo jampridem mirifico sum complexus, tamen me ad te amandum non invitarent solum, verum etiam inflammarent. Cum vero de homine mihi & virtutibus suis & amicitiæ nomine charissimo, tales ad me nuntii perferantur, statuere ipse potes, quanta ex eo lætitia & animi jucunditate afficiar. Sed me cogitantem de te & pene ante oculos imaginem tuam habentem, etsi ut persistam diutius quasi in colloquendo tecum, benevolentia hortatur, retinet tamen modestia, aptius enim & liberius de tuis laudibus cum aliis (ut soleo) loquor, quam cum teipso. Quare finem faciam, si duo hæc prius precatus fuero, unum ut tibi ea fortuna sit, quam ista virtus probitasque meretur; alterum ut in nostra amicitia conjunctioneque tuenda quo ego in te animo sum, tu similem mihi in me diligendo voluntatem præstes. Quo quidem munere nullum a te præstantius accidere mihi potest. Patri tuo clarissimo viro, quem ego omnibus de causis jure facio plurimi, cupio salutem per te plurimam meis verbis nuntiari. Vale. Carpent. v. Idus. Junii M. D. XLIV.

EPI-

EPISTOLA CCCCXII.

JAC. SADOLETUS JOAN. MORONO CARD. (a) Legato Bononiæ S. D.

Gratulatur ei de adepta legatione Bononiensi, ac Hieronymum Gratum redeuntem Bononiam illi etiam atque etiam comendat.

TE honorifico Pontificis Maximi, totiusque Apostolici senatus consensu atque decreto electum esse, qui Bononiensi civitati præesses, partem Italiæ vel florentissimam regeres, & legatione illa nobili fungerere, summopere & tibi gratulor & mihi ipsi gaudeo. Quod enim video, honorem esse habitum virtuti atque pru-

(a) Hic Mediolani nobili genere natus est anno 1509. VIII. Kal. Februarii. Politioribus litteris domi eruditus, gravioribus deinde studiis ac disciplinis Patavii operam dedit. Annum agens undevicesimum Romam demigravit Clemente VII. Pont. Max. quem adeo in sui admirationem pertraxit, ut eum annos natum XX. Mutinensem Episcopum fecerit. Tanta indoles vel tum in Morono erat. Commissam sibi Diœcesim quum multorum annorum spatio pie sapienterque administrasset, a Paulo III. ad Urbem accersitus, & ad gravissima sacerdotii & Imperii negotia adhibitus, tantam pietatis, doctrinæ, prudentiæque suæ opinionem apud sapientissimum illum Pontificem excitavit, ut & in Collegium Cardinalium adscripserit anno 1542. & Bononiensi civitati summo cum imperio præfecerit, & in Cardinalis Gonzagæ locum ad Concilium Tridentinum apostolicæ sedis Legatum miserit. Tantis muneribus egregie perfunctus Moronus, ob quasdam in rebus fidei suspiciones in arcem Adrianam conjectus est Pauli IV. Pont. jussu. Verum Pius IV. optimi Cardinalis innocentia rite cognita, non mo-

dentiæ, quam ego in te semper eximiam esse judicavi, lætor duplici de causa: & quod homini amicissimo præmium meritum persolutum est, & quod ego memet in illo simili pene honore affectum arbitror. Etsi enim impar laude, neque eodem fructu, ego easdem artes semper secutus sum, in quibus tu excellis, tamen quidquid virtuti datur; quoniam ego ejus perquam studiosus sum, id mihi quoque ipsi dari & tribui puto. Sed meus quidem a me jam pene ætatis cursus confectus est: tu viridi etiam nunc ætate, cum tam mature in tantas laudes ingressus sis, quo te sperare debemus esse perventurum, & existimationis & amplitudinis? Equidem pro mea summa erga te benevolentia hunc legationis honorem, & hanc summam hominum de tuis clarissimis virtutibus opinionem, Deum tibi fortunare, & quotidie magis augere cupio. Hoc doleo, me tibi non potuisse præsentem gratulari: cognosceres enim apertius quo in te animo affectus sim. Atque utinam suavissimam tuam consuetudinem diu antea mihi expetitam, deinde breviter, & quasi in transitu ostentatam, tum cum ego Roma in Galliam legatus proficiscerer, continuare diu inter nos potuissemus. Neque ego humanitatem tuam, nec tu meam erga te obser-van-

do illum e custodia liberavit, sed plurimi semper ejus operam fecit. Pio IV. e vivis erepto, parum abfuit, quin S. Caroli Borromæi Card. potissimum opera, eveheretur ad fastigium summæ dignitatis. Itaque apud S. Pium V. & Gregorium XIII. eodem gradu fuit; quorum nomine plures suscepit legationes. Obiit Romæ an. 1580. ætatis primo & septuagesimo Kal. Septembris, quum esset Episcop. Ostiensis & S. Collegii Decanus. Vid. Ciacc. tom. 3. col. 680.

vantiam desiderasses, tum autem de nostris inter nos rebus ambo familiariter & libere collocuti fuissemus. Sed posteaquam id non contigit, sumusque non regionibus locisque solum, sed dissimilitudine etiam actionum consiliorumque distracti; erit tuæ integritatis & fidei, idem facere erga me, quod ego me tibi præstaturum esse polliceor; ut nunquam nomen tuum neque ea benevolentia, qua te jamdudum sum complexus, ex animo & ex sensibus egrediatur meis. Atque hæc hactenus. Nunc aptum atque oportunum mihi visum est, patefacere fores benignitatis tuæ, ut per eas homini omni virtute doctrinaque ornatissimo mihique charissimo, ad tuam ipsius amicitiam & benevolentiam sit aditus. Is est Heronymus Gratus ex ista ipsa civitate, cui tu præfectus es, & ex hac nobili in ea genere familiaque procreatus: qui primo ætatis suæ tempore, cum ad juris civilis disciplinam se contulisset, media ferme in adolescentia, omnium consensu promeruit, ut ad id docendum, quod licet præmature, tamen præclare videbatur didicisse, se dederet. Itaque conductus honestissima mercede, jus civile aliquot annos in patria sua docuit. Post quærendum sibi nomen atque famam in externis nationibus existimans, sane forti animo patriam suam domesticosque penates liquit, & huc in transalpinam Galliam pervectus est: ubi celeriter cognitus habitusque in honore & admiratione; Valentiæ diu magno stipendio & majore sui nominis fama, juri civili docendo & consulentibus respondendo, qui undique ad eum pene certatim confluebant, insignem operam dedit. Itaque charus his gentibus, egregieque probatus cum de ejus

augen-

augendis commodis mercedeque amplificanda quotidie ab eis cogitaretur; repente decreto civium suorum & severo & vehementi in patriam revocatus, istuc parat proficisci, revisens quidem patrios lares libenter, sed tamen magnum desiderium sui his nationibus relinquens, quo ipsius quoque animus non potest non commoveri. Eum ego advenientem, ut tu, humanissime Morone, omni tua comitate & benevolentia amplectare, quanto animi possum studio te vehementer etiam atque etiam rogo. Quanquam de isto quidem fortasse non es rogandus. Quid enim tibi familiarius, quam tales complecti viros & amore & beneficiis tuis? præsertim qui sint ex eo genere hominum, qui tuæ fidei & curæ commissi sunt. Sed ego ad illam tuam solitam erga bonos humanitatem libertatemque accedere aliquid abs te insignius mea causa opto: ut Hieronymus ipse cognoscat re ipsa & experiatur, valde sibi profuisse commendationem apud te meam, seque propterea amplius quiddam & majus assecutum quam communis tua bonitas & natura cæteris largiatur. Hoc ego a te ita expecto, ut nihil sit quod possim expectare gratius aut optatius. Vale. Carpent. IX. Cal. Julii M. D. XLIIII.

EPISTOLA CCCCXIII.

HIER. NIGER JAC. SADOLETO CARD. *Carpent.*

Laudat ejus consilium permanendi Carpentoracti, deque Paulo Sacrato nepote, ac Lazaro Bonamico sermonem instituit.

MAgna solicitudine liberatus sum tuis literis, quæ VII. Idus Junii abs te datæ, redditæ mihi sunt X. Calend. Sextilis. Cognovi enim

enim ex eis, te ex diuturno morbo, in quem ob superioris hyemis asperitatem incideras, aliquando tandem convaluisse. Nam quod consilium reversionis tuæ in ista loca non sine justis de causis a te captum fuisse ostendis, rem agis minime necessariam (a). Id enim non solum mihi, qui omnes animi tui motus jampridem exploratos habeo, sed etiam alienis hominibus atque invidis adeo jam probari cœpit, ut nemo fere sit, qui non te beatissimum esse prædicet, qui iis tempestatibus sis prope solus in portu, fructusque vitæ percipias jucundissimos. Quæ profecto sic instituta a te vitæ ratio non modo voluptatem tibi & gloriam, sed cæteris quoque mortalibus & viventibus & posteris utilitatem maximam est allatura. Tua enim opera atque industria in explicandis obscurioribus sacrarum literarum locis & in tuenda Ecclesia, quam sceleratissimi homines quotidie vexant & oppugnant, plus profutura est Reipublicæ, quam si Romæ in Senatu sententiam diceres, cujus omnis auctoritas ad unius hominis optimi quidem & sapientissimi voluntatem est redacta. Quod certe sanctissimum propositum atque institutum tuum, ut tute pie ac sapienter admodum scribis, non tuæ prudentiæ, sed Dei benignitati & clementiæ adscribendum censeo. Animadverti enim jampridem te sub præcipua illius tutela & præsidio esse positum, cujus ductu & secunda aura qui navigant, nullos unquam scopulos, nullas pro-

(a) Atqui Niger ipse ita hac de re Sadoleto scripserat epistola CCCXVII. pag. 62. hujus partis, ut ejus in Ecclesia sua permanendi consilium multis rationum momentis in medium prolatis, a plerisque improbari ostenderet.

procellas perhorrescunt, ne ... tuæ ... (a) impedire aut remorari possunt. Memoria teneo quo primum tempore te ex Romana clade atque ex illis cruoris gurgitibus, quibus ego pene absorptus fuit, divino beneficio sui ripuisti, fuisse nonnullos, qui discessum illum ex Urbe tuum non probarint, quod Clementem Pontificem Maximum, cui non ingratam neque levem præstabas operam in tantis rerum fluctibus & jactationibus deseruisses; at illi ip vituperatores tui paulo post relicto eodem Pontifice rebus jam profligatis & perditis consilium tuum quod potissimum damnaverant sunt sequuti.. Quorum e numero fuit Joan Matthæus Gibertus Veronensium Pontifex (b) quem postea neque spes amplissimorum hono rum, neque labor Provinciæ, quam sustineba unquam loco movere potuerunt, in qua i vixit atque ita est mortuus, ut magnum nego tium tantæ virtutis æquandæ successori rel quisse videatur. Itaque imprudentium est ho minum (ne quid gravius dicam) reprehender officium quod cum pietate conjunctum sit, a que aliorum studia & actiones ad suum sensu voluntatemque interpretari. Sapientis autem viri esse arbitror ob inanes vulgi rumusculo ab honesto non discedere, atque inprimis qua personam initio fabulæ sumpsit, eam ad ex tremum usque actum sustinere, ne (quod mu tis ætate nostra accidit) spectatoribus lud brio sit, solemque invisibilem intimos anim rum recessus & latebras omnes penetrante

offe

(a) Desunt heic fortasse aliqua verba.

(b) De eo consule quæ habentur in notis ad epist. LXI partis primæ pag. 170.

offendat. Sed hæc tu melius. Amicis nostris qui heic sunt, fere omnibus salutem dixi tuis verbis, atque eis quos in epistola privatim nominas Theupulo & Michaeli literas etiam tuas legendas dedi,(a) qui salutem tibi reddunt cumulatissime. Sacratus tuus (b) qui apud nos est, magnos progressus facit in studiis optimarum disciplinarum, ut de hoc juvene summa omnia nobis polliceri debeamus. Lazari nostri (c) assiduus est auditor, qui constituit sequenti anno divinos libros M. Tullii de Oratore & Aristotelis Rethoricam prælegere. Nosti hominis eruditionem, diligentiam, probitatem, quamquam magna mihi est in eum expostulatio & querela. Statueramus enim una venire ad te, & æstatis particulam tecum agere jucundissime: at nunc homo elegans impedire se inquit, quod non tam libris quam liberis sibi danda sit opera, patri ut obtemperet suo, sic enim se adversus accusatores suos defendit, Sed non despero fore ut aliquando conveniamus. Paulum nepotem, Florebellum, Herculem meum salvos esse & valere cupio, familiares præterea reliquos, qui mihi tua causa sunt charissimi.

(a) Hæ Sadoleti literæ, quibus Niger hac epistola respondet, desiderantur.

(b) Paulus scilicet sororis Sadoleti filius, quem patruus anno 1541. Patavium miserat ad Lazarum Bonamicum, ut patet ex epistola CCCLXXXIII. pag. 282.

(c) De Lazaro Bonamico consule notas in ep. LXVI. part. I. pag. 174.

EPI-

EPISTOLA CCCCXIV.

AL CARDINAL FARNESE, *a Roma*.

Petit ut suae ab Urbe absentiae tempus prorogetur.

IO sono avvisato dagli amici miei, come N.S. disegna di chiamare in breve per conto del Concilio tutti i Cardinali assenti, onde pensiamo che Sua Santità farà a me ancora intendere, che io vada. Il che mi saria sopra modo caro di poter fare, sì per ubbidire, come sempre è stata la volontà e l'obbligo mio ai commandamenti suoi, e per far anche io in queste occorrenze della santa Chiesa parte dell'officio di Cardinale. Ma ostando a questo mio desiderio e prontezza d'animo l'impossibilità, come vostra Signoria Reverendissma ed Illustrissima oramai può sapere, ho voluto con questa pregarla, che come ha per il passato per grazia sua sempre fatto, voglia anche ora avermi in protezzione appresso Sua Santità. Perche nel vero le facoltà mie sono tali, che non posso in alcun modo non dico venire, ne starmi in quella corte, ma ne anche far viaggio di quattro giornate con quello apparato necessario a un ben mediocre Cardinale, tanto sono piccole e deboli l'entrate mie, le quali ne anche in tutto si possono dir mie, bisognandomi dispensar buona parte di esse in pagar debiti, da quali non sono ancora in tutto libero; ed ancora per averne assegnata parte a lochi ed officj pii, donde non si può levare. Oltrechè di cavalcature, di muli, e di tutte l'altre cose che questo grado pur ricerca, sono più sfornito, che altri fusse mai. E sò ben che a sua Santità è

nota

nota la necessità mia; la quale avendomi più di una volta dato intenzione di provvedermi, mi rendo certo, che mai non glie ne sia mancata la buona volontà; ma mi persuado, che non ne abbia fin quì avuto buona occasione per la difficoltà de' tempi. Ma la medesima difficoltà dovrà scusare me ancora appresso il benignissimo animo di quella, se non potrò venire essendo chiamato; appresso eziandio la quale prego di nuovo e supplico Vostra Signoria Reverendissima, che voglia essere mia protettrice, e farle fede del mio buon animo, e della impossibilità in che mi trovo, acciocchè il mio non venire non sia interpretato in altra parte. Ma acciocchè Sua Santità conosca, che io in questi tempi non desidero di starmi ozioso, anzi di far officio di buon Prelato, ed adoperare a onor di Dio, e della sua santa Fede e della sedia Apostolica quei doni che mi ha donati, quali si sieno, dico, che non potendo in modo alcuno venire, ne starmi in Roma senza estrema sordidezza e derisione del Cardinalato, quando a Sua Santità piaccia, desidero di ritrovarmi a questo santo Concilio dovunque si farà, perchè quel poco che io ho mi basterà per andarvi privatamente, e quasi come Vescovo mediocre, ed andandovi (come penserei di fare) in questo modo, ogni quantunque piccolo numero di servitori, ed ogni positivo e basso stato, mi parria che non solo in tal luogo non disdicesse, anzi fusse onorevole e laudabile. E quando Sua Santità si contentasse, che io andassi, come fosse tempo, mi sforzerei con l'ajuto di Dio, di non far disonore alcuno, nè a lei, nè a quella santa sedia, nè al sacro Collegio. E piglierei così volen-

lentieri in questi miei ultimi anni per servizio di Dio questa incomodità (se però così si dovesse chiamare una tanto santa peregrinazione) che quando fusse certo di dovervi lasciar la vita, non resterei di esseguir il mio desiderio. Il che ho voluto far sapere a Vostra Signoria Reverendissima per la molta fede che ho in lei, e per la servitù che le porto e porterò sempre, non cedendo a qualsivoglia suo affezionatissimo ed obbligatissimo servitore. E baciandole le mani, me le raccomando con tutto il core. Di Carpentras a XIX di Dicembre M. D. XLIV.

ANNO M. D. XLV.

EPISTOLA CCCCXV.

JACOBUS SADOLETUS JOANNI TOLETANO Episc. Burgensi S.R.E. Card. (a) S. D. *Rom.*

Omnium facultatum fortunarumque suarum statum exponens, ob quarum tenuitatem de suo ad Urbem adventu cogitare non poterat; eum sibi patronum hac in re apud Pontificem Maximum constituit.

LOngum intervallum est, cum literas ad te dedi nullas. Quod accidit non remissione observantiæ in te meæ, nec oblivione virtutis & humanitatis & benevolentiæ erga me tuæ sed quia multis & molestissimis occupationibus im-

(a) Hic anno 1488. V. Idus Junii Toleti in Hispania natus, patre Federico Alvarez Albæ Duce, matre Isabella Pimintella, adolescens Dominicanæ familiæ nomen dedit; in qua quum & gloria majorum, & vitæ integritate;

impeditus, fratris etiam mei mihi chariſſimi morte, qua graviter affectus ſum, omnes meas curas ad luctum mœroremque revocante, alia quoque officia permulta deſerere coactus ſum. Nunc cum tempus venerit, quo tempore, ſi alias unquam tua mihi & benevolentia & authoritate maxime ſit opus, fretus tua virtute & bonitate, cauſam omnem meam tibi imprimis exponendam commendandamque putavi. Pontifex Maximus me per literas ad Urbem vocat: quod ego facturus ſim libenter, vocantique obtemperaturus, ſi mihi id per meas rei familiaris anguſtias & maximas difficultates facere liceat; eaque habeam facultatum ſubſidia, quibus & itineris ſumptum & urbanas illas impenſas ſuſtinere poſſim. Video enim quid mei officii ſit: quid poſtulent ſedis apoſtolicæ tempora; cui ſi non ingenium atque que prudentiam, quæ in me aut nulla, aut ſane quam exigua eſt; at animum certe bonum, & fidelem operam præſtare debeo. Sed ita omnium ad iter ſumptumque neſſariarum rerum inops atque egens ſum, ut ab omni iſtuc veniendi & voluntate & conatu, deſiſtere cogar. Et quoniam te æquum judicem & ſapientem nactus ſum, ſi hoc non alienum tua gravitate exiſtimas, audi quæſo brevem meorum præ-

---

te, & rerum divinarum ſcientia unus omnium maxime floreret, Cordubenſis primum, deinde Burgenſis Epiſcopus renuntiatus, anno demum 1538. XIII. Kal. Januarii Caroli V. precibus a Paulo III. Pont. Max. Cardinalis S. R. E. factus eſt. Hac dignitate auctus, Compoſtellanam quoque Eccleſiam obtinuit, deceſſitque Romæ anno 1557. XVII. Kal. Octobr. ætatis LXIX. Vid. Ciacconii opus tom. 3. col. 645.

præteritorum temporum rationem, & sermoni meo benignitatem tuam accommoda. Ego olim honestissimum locum apud Summmos Pontifices Leonem & Clementem obtinens (ut te scire arbitror) cum magnos ex illius authoritate loci, bona & usitata ratione, quæstus facere possem, & ad opes facile divitiasque pervenire, abstinui tamen: neque me studium coacervandæ pecuniæ ullum unquam tenuit, sed gratuitam omnibus tam urbanis, quam advenis, operam meam ac diligentiam assidue præbui. Postea voti causa ad Lauretanum Divinæ Virginis templum profectus, cum absens a Leone Episcopus pronuntiatus essem, ut primum in Urbem redii, onus illud a me quoad potui, excutere conatus sum. Non enim hujusmodi honores mens mea unquam appetierat, liberamque ego vitam magis sequebar. Atque harum rerum gravissimos amplissimosque collegas nostros Salviatum, Rodulphum, Gaddum, testes tibi exhibeo, & si qui alii sunt, quibus illorum temporum res actæ, curæ fuerit cognoscere. Postea Leone mortuo, in meam hanc Carpentoractensem Ecclesiam adveniens, cupidissimus in ea perpetuo manendi, facto Pontifice Clemente, statim ab illo evocatus sum. Cui optime antea de me merito, fidem operamque meam negare non potui. Hoc cum eo tamen pactus, ut operam illi meam triennium navarem: quod reliquum vitæ tempus, non jam hominibus, sed uni Deo in Ecclesiæ meæ custodia tribuere statuissem. Quod ille, ut erat natura bonus & mihi pollicitus est; & præstitit. Roma igitur profectus, viginti diebus ipsis antequam urbs caperetur, eo animo Carpentoracte redii, ut heic domicilium non solum cor-

corporis & fortunarum, sed omnium rationum consiliorumque meorum, totius denique meæ vitæ perpetuum collocarem. Itaque & literis iis quæ hujus maxime loci sunt & muneris, tum me penitus dedidi, & quod solent hi qui frugalitate & rebus exiguis delectantur, nec veste, nec argento, nec supellectili lauta, domum meam ornare atque instruere unquam curavi, tantum meos reditus annuos in eos sumptus qui obtingebant integros erogabam, ut vertente anno, nec deesset mihi quicquam nec superaret. In hac mihi jucundissima & vere beatissima conditione vitæ cum decem annos fere exegissem, repente ab hoc Summo Pontifice Romam accersitus, in sacrum vestrum istud Collegium, nihil tale suspicans, cooptatus sum. Cujus quidem tanti beneficii gratia a me huic Pontifici Maximo debetur sempiterna. Sed magnus honor & meis longe superior viribus, infirmis admodum, & imbecillis ad sustinendum humeris meis impositus est. Ego enim qui nec pecuniam unquam numeratam possederam, & instrumento omni honestiore carebam, meosque fructus annuos, qui mille ferme & sexcentos aureos efficiunt (tot enim ad me omnibus deductis possunt pervenire) universos expendere eram solitus, novis subito & magis oneribus sumptibusque oppressus, magnum æs alienum conflare necesse habui, nec mihi postea rem familiarem meam explicare licitum unquam fuit. Accesserunt tot itinera, tam multæ & crebræ ultro citroque prætervectiones, ex Urbe in Galliam, & ex Gallia rursus ad Urbem, ut nunc plane omnibus consumptis atque detritis, non solum equis, mulis, veste, instrumento ad hoc iter

iter idoneo nullo munitus sim, sed ne spem quidem videam aut rationem ullam reliquam instruendi mei, cum nihil omnino sub cœlo habeam quod meum propriumque sit, quodque si sumendæ mutuæ pecuniæ fiat, (quod tamen ipsum in hac jam ætate est miserum) creditoribus pignori & fiduciæ esse possit, præter unam tantummodo vineam, quæ mihi in Urbe est, quæ ne ipsa quidem a creditoribus est libera. Has meas difficultates ipse Summus Pontifex non ignorat, qui mihi etiam sæpe ostendit, se meis commodis consulturum, idque aliquo ecclesiastico reditu, nam alio genere subsidii non delector. Quod cum ille adhuc non fecerit, non voluntate quidem, quæ optima certè illius erga me est; sed difficultate temporum impeditus; æquum erit mihi ignosci, si necessitate cogente, cui divina etiam cedere veteres Philosophi dixerunt, ad Urbem me conferre non potero. Etenim voluntas quidem mea prompta ad parendum est, sed facultas penitus mihi erepta. Quamobrem peto a te precorque, Joannes amplissime, ut pro tua authoritate, quæ merito maxima apud omnes est, tueare, ubi opus esse videris, & causam & famam clientis tui, neque meum factum in aliam partem, quam ut a me tibi res est exposita, accipi, interpretari patiare, si tamen jure & rectè te id facere posse existimas. Namque ego qui mearum rerum satis mihi conscius sum, eum, qui magis etiam est conscius, Deum omnipotentem testor, & invoco, me non videre, quemadmodum possim ita in Urbe domicilium constituere, ut illas impensas urbanas sustineam, præsertim qui nec petitor unquam, nec flagita-

gitator nec Sacerdotiorum auceps esse animum induxi; sed semper his fui contentus, quæ aliena sponte, non meo flagitatu delata mihi fuerunt. Summa hæc est, cum omnes meæ facultates & fortunæ tenues ipsæ per sese, æri etiam alieno multisque aliis oneribus hoc quidem tempore impeditæ sint, egoque præterea & a pecunia & ab omni itineris instrumento imparatus sim atque nudus; nullo modo honestè me posse de meo adventu ad Urbem cogitare. Quod si aliqua in hoc motu rerum & expectatione propinqui (ut homines ferunt) concilii, opera mea requiritur, (quanquam ego in tanto cœtu sapientissimorum & doctissimorum patrum infimus sum omnium) tamen & per amplissimum Cardinalem Farnesium antea Pontifici maximo, & denuo per meas literas paratum me esse ostendi, ad concilium ipsum (si ei videatur) ire, etiam privato meo nomine, si ita magis placuerit: eaque ibi, quantum mea infirma & tenuis authoritas patietur, officia & studia Sanctæ Apostolicæ Sedi, & summo ipsi Pontifici præstiturum, ut mea & integra & grata in ejus sanctitatem maxime extet voluntas. Etenim potero commodius illò, quam ad Urbem accedere. Propterea quod quæ in urbe Roma ordini nostro indecora sunt, illic arbitror fore honorifica, tenuitatem, frugalitatem, comitum paucitatem, & omnium rerum humilem summissamque modestiam. Habes causam meam, quam totam tuæ fidei, virtuti, humanitatique commendo. Tu quicquid in me studii, officii, benevolentiæque contuleris; persuadeas tibi velim, te in hominem gratissimum & tui observantissimum esse collatu-

rum. Vale. Carpentoracti XIV. Calend. Februar. M. D. XLIV.

EPISTOLA CCCCXVI.

JAC. SAD. PAULO III. PONT. MAX. S.D. *Rom.*

Idem argumentum.

ACcepi sanctitatis tuæ literas, per quas illa dignum me duxit, quanquam nullius admodum pretii hominem, perinde tamen ac si momenti alicujus futura sit præsentia isthic mea, ob hæc Reipub. tempora, ad urbem Romam accersere. In quo quantum mihi officii onus impositum, sane intelligo. Sed ego paucis ante diebus scripseram amplissimo Card. Farnesio, rogans eum & obsecrans, ut si quid tale accideret ut vocarer; mihi ipse apud sanctitatem tuam testis esset, cupidum me quidem esse parendi & obtemperandi, sed ob domesticas multas magnasque difficultates, hoc tempore nullo modo venire posse (a). Quem quidem, qua diligentia atque humanitate est, officio functum esse non dubito. Etsi non videtur egere hæc causa apud sanctitatem tuam testibus. Sed tamen quoniam sæpe hoc jam contigit, ut vocarer, egoque majorem in eo voluntatis tuæ quam incommodorum & difficultatum mearum rationem habui, iisque propterea etiam magis nunc oppressus teneor; cogor nunc necessario omnem meam causam eidem sanctitati tuæ breviter exponere, audacius fortasse, quam aut humilitati meæ, aut summæ illius amplitudini conveniat. Sed opinor illa admirabilis humanitas, quæ tuam maxime ornat, augetque digni-

(a) Vide Epistolam ccccxiv. pag. 378.

mum, mihi quidem certe opportunissimum & necessarium donum recusare. De quo etiam nunc rogo & deprecor Sanctitatem tuam mihi ut ignoscat. Non enim profecto aut perversitate ingenii, aut moris naturæve contumacia in id rusticitatis sum lapsus; sed quod diu ante statueram, meorum Sacerdotiorum fructibus dumtaxat vivere, nihil pecuniæ extraordinariæ capere, quodcumque aut undecunque unquam mihi obvenisset. Itaque constantiam illius meæ sententiæ retinere volui. Quod sive recte egi sive perperam, certe nihil unquam postea sum assecutus, quod ad sustinendam molem hujus tanti honoris, mihi auxilio esse posset. In hoc ergo statu meo, consulo ipsam Sanctitatem tuam quid me agere par sit. Si habuissem a principio subsidia mihi tuendo honori necessaria, nunquam ego ab ejus latere discessissem. Non inficiabor equidem, si meum sit judicium liberum, me nunc quietam & litteris deditam vitam, omnibus honoribus & divitiis ante laturum esse; sed tamen, [illegible] cium, ipsaque cupiditas [illegible] xum me tibi semper [illegible] fortunis, perexiguis [illegible] nulla satis instructus, [illegible] ne cogitare quidem [illegible]. [illegible] ipse me facerem, [illegible] sentemque auctoritatem [illegible] lem fore arbitrarer, [illegible] sum; nec indignitatem, [illegible] famem si esset [illegible] obeunda, pro [illegible] tatis dignitate [illegible]. [illegible] cœtu prudentissimorum, [illegible] trum, mea [illegible]

X 5

dico, neque tunc me, neque unquam antea, neque adeo etiam post, aut pecunia, aut veste, aut argento, aut lautiore aliqua supellectili ornatum instructumque fuisse, sed nec desiderasse me ista confirmo. Stulte fortasse, sed tamen solutum animum ab his cupiditatibus habere valde me juvabat. Tantum annis illis decem quibus in mea Ecclesia commoratus sum, reditus annuos meos quotannis integros expendebam, ita ut vertente anno nec deesset mihi quippiam, nec superesset. Non enim ullum unquam omnino coacervandæ pecuniæ studium me tenuit. Interim sanctitate tua ad Summum Pontificatus honorem meritissimum sublata, secundo opinor anno sum ab ea in amplissimum ordinem S. R. E. Cardinalium cooptatus, cujus sui judicii rationem ipsa novit. Equidem quod ad me attinet nec meritis ullis nec virtutibus meis, dignum me tam honorifico ejus judicio, & tam eximio honore unquam arbitratus sum. Quo etiam major tibi a me gratia debetur, ac prorsus tanta, ut si vitam pro tuo honore dignitateque profundam, ne minimam quidem partem ejus beneficii sim consecuturus. Accessit cum ego ægrotarem, cognossetque sanctitas tua multis rebus me egere, ut suo illo excelso & liberali animo commota, magnificentissimum donum mihi mitteret, præsentem pecuniam satis grandem, & præterea subsidium centenum aureûm nummûm in menses singulos ex fisco suo constitueret. Qua ego tam singulari & eximia benignitate ac liberalitate pene attonitus permansi. Atque heic est locus, Pater Sancte, in quo ego aliquantum hæreo: qui tam duro & agresti animo tum fui, ut potuerim illud honestissimum

mum, mihi quidem certe opportunissimum & necessarium donum recusare. De quo etiam nunc rogo & deprecor Sanctitatem tuam mihi ut ignoscat. Non enim profecto aut perversitate ingenii, aut moris naturæve contumacia in id rusticitatis sum lapsus; sed quod diu ante statueram, meorum Sacerdotiorum fructibus dumtaxat vivere, nihil pecuniæ extraordinariæ capere, quodcumque aut undecunque unquam mihi obvenisset. Itaque constantiam illius meæ sententiæ retinere volui. Quod sive recte egi sive perperam, certe nihil unquam postea sum assecutus, quod ad sustinendam molem hujus tanti honoris, mihi auxilio esse posset. In hoc ergo statu meo, consulo ipsam Sanctitatem tuam quid me agere par sit. Si habuissem a principio subsidia huic tuendo honori necessaria, nunquam ego ab ejus latere discessissem. Non inficiabor equidem, si meum sit judicium liberum, me hanc ociosam & litteris deditam vitam, omnibus honoribus & divitiis ante laturum esse; sed amor, officium, ipsaque cupiditas referendæ gratiæ affixum me tibi semper tenuisset. Nunc tenuibus fortunis, perexiguis facultatibus, re idonea nulla satis instructus, quomodo isthuc veniam, ne cogitare quidem possum. Quod si tanti ipse me facerem, ut meam isthic operam, præsentemque authoritatem vel mediocriter utilem fore arbitrarer, venirem quoquo modo possum; nec indignitatem, si esset perferenda, nec famem si esset patienda; nec mortem si esset obeunda, pro sedis Apostolicæ & Tuæ Sanctitatis dignitate refugerem. Sed cum in tanto cœtu prudentissimorum, & doctissimorum patrum, mea opera potius supervacanea futura

sit, ego autem impotens omnino ad veniendum isthuc sim; rogo, oro, obtestorque Sanctitatem Tuam, velit aliquando mearum difficultatum graviumque detrimentorum aliquam rationem ducere. Si occasio dederit, ut aliqua ejus liberalitate, aliquibus subsidiis Ecclesiasticis sublever, non expectabo donec accersar. Egomet enim adero, meque Tuæ Sanctitati ita adjungam, ut nulla deinde ab ejus conspectu & comitatu fortuna me unquam separatura sit. Nunc si non venero, cum iter mihi jam toties per Italiam faciendum sit, inter tot notos & propinquos, & ad eam Urbem accedendum, in qua apparatus, impensæ, domestica onera meis pusillis facultatibus plane intolerabilia sunt; spero æquissimum animum tuum justissimam excusationem meam boni consulturum, mihique heic manendi veniam daturum. Quod si ad Concilium, si modo id futurum est, accedere me oporteret, qua de re ad eundem Farnesium scripsi, nulla harum rerum & difficultatum me impediret. Nam & per ignotos liberum ac sine rubore iter, & in Concilio frugalitas laudi potius esset. Quod Sanctitati Tua puto accurate esse considerandum. Nam si in Germania futurum est Concilium, verumque est id, quod a multis mihi nuntiatur, meum nomen apud illas gentes non omnino esse contemptui, cum suspicer magnos in Sanctitatis Tuæ & Sedis Apostolicæ dignitatem seditiosorum hominum fore impetus, possum fortasse illic esse, Deo adjuvante, idoneus ad prohibendum aliquid, & moderandum, si eò sponte mea venirem, quo etiam alii Cardinales, Galli præsertim, privato suo nomine ituri dicuntur. Sed de hoc, ut dixi, Sanctitas Tua, si videbi-

tur

tur cogitabit: cujus voluntati omnes meas rationes cogitationesque permitto. Ego quicquid sum, quantulumque possum & valeo, Deo primum omnipotenti, ejusque sanctissimæ fidei, deinde sedis Apostolicæ & Tuæ Sanctitatis nomini, honori, dignitatique devoveo totum ac dedico. Quo in eodem officio multos doctiores, graviores, prudentiores habitura est Sanctitas Tua, fideliorem quidem certe & officiosiorem quam me, neminem. Deus Sanctitati Tuæ omnia sua vota optataque secundet. Carpent. XII. Cal. Febr. M. D. XLV.

EPISTOLA CCCCXVII.

JAC. SAD. PAULO III. PONT. MAX. S.P.D.

Eum in obitu Constantiæ Farnesiæ Bosio Sfortiæ S. Floræ comiti nuptæ, consolatur.

HOdie cupienti mihi accedere ad sanctitatem tuam, coramque illi dolorem meum declarare, quem ex ejus domestico mœrore & incommodo accepissem, qui præsertim etiam ad me ipsum mœror, propter eximias præstantissimæ illius fœminæ virtutes, meamque in illam & ejus liberos observantiam, benevolentiamque pertineret; cum hoc ita esset responsum, nolle sanctitatem tuam silentium & cogitationes suas interpellari, visum tamen non alienum est, hoc quidquid esset mei sensus & animi, ad ipsam scribere, & quod præsens non potui, id per literas efficere, ut hominis amantissimi & tuæ sanctitati deditissimi officio aliquo fungerer. Quanquam hoc ipsum imprimis mihi dubitandum esse video, utrum mœstitiam tuam lenire verbis, an constantiæ ejusdem, animique virtuti gratulari debeam.

Cum enim amissa tali filia, qualem tot & tam eximiis ornamentis præditam, virtutis, ingenii, humanitatis, prudentiæ, nostra non alteram extulisset ætas, nos hesterno die sanctitatem tuam maximo dolore affectam, & prope afflictam esse arbitraremur, essetque ei tunc divina res facienda, nihil ipsa tanto vulnere retardata, in conspectum omnibus sese dedit, obivitque ea, quæ ad religionem & summum Deum pertinebant, neque eorum colloquia, qui ab ea aliquid petebant, devitavit. Talem denique se omnibus in rebus præstitit, voce, vultu, sermonis animique firmitate, ut miraremur cuncti, mutuoque inter nos quæreremus, quonam telum illud abiisset, quod tam valide immissum in tuum pectus a fortuna videbatur. Sed profecto res ita se habet, ut nullum sit munimentum nec animi, nec corporis, sapientia præstantius, qua sanctitas tua complures jam annos socia & adjutrice consiliorum actionumque suarum omnium cum sit usa, non est, quod vereamur, ne huic novo vulneri & dolori carissimæ amissæ filiæ cedat illa atque succumbat. Quod si tamen, quæ est & naturæ nostræ infirmitas & humanarum rerum varietas, altius fortasse in animo tuo iste insedit dolor, quam ut facile possit vel ratione comprimi, vel ea, quam adhibere in omnibus rebus soles, sapientia tolli; putavi mihi esse faciendum, non ut te quidem docerem ea, quæ melius multo ipse nosti, quam quisquam nostrum, nos omnes homines esse, ea conditione natos, ut nullo habito delectu vel ætatis, vel generis, vel fortunæ, in quemvis nostrum liberam habeat mors ipsa potestatem, neque in re, quæ certa sit, de incerti tem-

temporis eventu queri nos oportere, si forte maturius quam expectaremus, accidit nobis id, quod casurum omnino sciebamus. Cum in hoc præcipue vis prudentiæ maxima insit, ut ad ea quæ incerta sunt, muniat se & præparet, in rebus autem certis, natura, non prudentia, habeat dominatum. Non, inquam, ut hæc & his similia multa commemorem, quæ sanctitati tuæ & longo usu, & doctrina notissima sunt, sed ut tibi redigerem in memoriam, quæ nunc maxime instant, quæ aguntur, quæ premunt, hæc a me opera, conjuncta officio, meæque in sanctitatem tuam pietati est suscepta, si forte animus tuus luctu impeditus, minus hæc nunc animadverteret. Quod tamen in tanta tua sapientia, tantaque animi virtute, minime est credibile. Sed tamen in hac orbis terræ perturbatione, cum alienatis tot gentibus, infensis multis regibus, dissensione de rebus divinis & humanis ubique fere gentium excitata atque commota, spes tota rerum meliorum in unius sanctitatis tuæ authoritate, prudentia, consilioque reposita sit, non decet profecto talem animum, qui maximis vulneribus Christianæ Reip. medendis atque sanandis, Dei hominumque consensu idoneus, qui præficeretur judicatus sit, parvis ipsum ictibus fortunæ commoveri, & in quo Pontifice gravitas, & temperantia, & rerum omnium moderatio, sedem ac domicilium constituisse visa est, in eodem vulgares hasce & quotidianas animi imbecillitates, non inesse quidem (non enim nec veritas, nec mea unquam opinio huic verbo assensura est) sed tamen tanquam insint, ab ignaris rerum commemorari. Quæ quidem

commemoratio mihi sane quam molesta est. Sive enim magno dolore, (ut nonnulli prædicant) afficiare, non possum non propemodum æque atque tu pro mea in te propensissima voluntate, & in illam mortuam benevolentia dolere; sive hoc ut cætera moderate agas, & perferas, molestum tamen mihi est, summi Pontificis virtutem singularemque animi magnitudinem in aliam ac debeat partem ab imperitis accipi. Sed ego, si recte novi, (ut mihi quidem videor) quæ sit mens tua, quæ totius vitæ ratio, quæ cura tuendæ servandæque gravitatis, & cum considero te optime nosse, quid a te expectetur, qui sit in te oculorum animorumque nostrorum conjectus, quam omnia a nutu tuo & arbitrio pendeant, nullo modo dubito, quin posteaquam naturæ & amori exiguum quid dederis, tantum videlicet, quantum & humanitas postulat & ipsa plane sapientia nequit recusare, ad pristinam tuam animi magnitudinem reversurus, & omissis his omnibus, quæ populi sunt & quorumlibet hominum communia, ad id quod in te est singulare & proprium, nempe orbis terræ, & Christiani generis tutelam, regimen, procurationem, celeriter rediturus sis. Cum præsertim illi, quam lugemus omnes, nihil evenerit triste nec acerbum. Sed qua virtute illa inter nos versata est, cum & gratiam qua plurimum valebat, & ingenium quo admirabili erat prædita, & opes quibus egregie florebat, ad subsidium impotentium, ad tutelam viduarum & pupillorum, ad gratificationem omnium qui ad ejus opem auxiliumque confugissent, semper omnes converterit atque adhibuerit, eadem virtute sibi ad æternam fruendam beatitudi-

nem

nem munierit viam, & velut de domo in meliorem domum, sic e terris in cœlum, Dei illam clementia excipiente, migraverit, ejusmodi sobole filiorum relicta, quam nostrum omnium spes atque opinio, ipsorum autem nota jam atque perspecta in plerisque excellens atque eximia virtus, tali dignos matre, tibi avo suo jucundos, nobis omnibus gratos & venerabiles reddit. Quæ omnia Pater sancte tibi debent esse solatia doloris, firmamenta animi, monumenta divinæ erga te indulgentiæ & bonitatis, ut cum hæc sanctitas tua meminerit, suisque cogitationibus proposuerit, referat se ad suam veterem atque perpetuam firmitatem animi atque constantiam, quemadmodum & nos precamur, & reipub. tempora imprimis requirunt & postulant. Vale. Romæ VII. Calend. Junii M. D. XLV.

EPISTOLA CCCCXVIII.

JACOBUS SADOLETUS CARDINALIS

Jo. Bapt. Speciano S. D. *Mediol.*

Narrat caussas, quibus Romam accedere coactus fuerit. Speciani in latine scribendo elegantiam commendat, ac de sua quadam oratione multis agit.

LItteræ tuæ datæ Kal. Martii Mediolani, mihi ineunte Maj in urbe Roma redditæ sunt, quo ego Pontificis Maximi accersitu veneram, omnino & tempore & itinere mihi perincommodo. Sed non potui vel auctoritati illius bis terve me magnopere vocantis, vel ei caussæ propter quam vocabat, non parere. Prætendebatur enim huic vocationi comparatio propinqui

qui Concilii, quod diu ante indictum, postea que intermissum, nunc pace inter Principes facta, concordiaque constituta, omnium consensione expeti, inprimisque necessarium Christianæ reipublicæ esse videbatur (a). Quo ego publicis consiliis interessem, ageremque & sentirem pro mea parte ea, quæ judicarem esse Reipublicæ utilia, idcirco huc accitus, iter meum & adventum, ut ante dixi, nec Deo, nec Reipublicæ negare potui. Quamquam ut intelligo difficile sit perspicere quid boni allaturum nobis sit hoc Concilium. Ita enim sunt omnia insidiis, odiis, suspicionibusque referta, ut quid sperari possit non appareat. Sed hasce res, opinor, gubernabit Deus. Ad litteras redeo, quas ego tuas & Davali nostri Ducis præstantissimi una, mirum in modum mihi jucundas & pergratas accepi. Recognovi enim in eis amorem vestrum omnem, singularemque eam humanitatem, qua excellere semper voluistis, tuamque etiam, mi Speciane, scribendi in illis latine elegantiam, gravitatemque perspexi. In quo illud me incredibiliter delectavit, quod dum tu lucubrationem meam (b) laudibus efferebas, summa in eo laude dignus ipse judicabare. Sed quod scribis probatam esse oratiunculam meam omnibus iis viris doctis, qui illam legerunt, gaudeo equidem; sed illud mihi pluris est, quam omnia, si ea tuo judicio probata est. Nolo enim

(a) Et sane mense Decembris hujus anni 1545. Œcumenicum Tridenti Concilium est inchoatum. Vide Pallavicinum in Hist. ejusd. Conc. lib 3. cap XVI. & seq.

(b) Orationem scilicet ad Carolum V. Cæsarem, qua ei pro pace Christiano nomini concessa gratias agit.

enim te putare, Speciane suavissime, a quoquam malle me mea legi & probari, quam a te, & quidem hoc animo miseram ad te illam, tu eam ut corrigeres. Quis enim ad hoc munus te uno erat aptior, vel doctrina, vel judicio, vel ea, quam scimus omnes eximiam in te esse prudentia, cujus quidem in hoc genere scriptorum judicando maximæ partes sunt. Sed tu, ut video, amori omnia tribuisti, & qui in consiliis capiendis præcipue acutus esse soles, hac una in re aliquantum hallucinatus, plus benevolentiæ quam judicio indulsisti. Quapropter ego severior in memetipsum fui judex. Mutavi enim eam aliquot in locis, & emendatiorem reddere conatus sum, quam si putarem esse edendam, mitterem continuo ad te. Sed nonnulla sunt, quæ me ancipitem reddunt. Inprimis quod ab eo, ad quem scripta est, ne minimi quidem est existimata, quod sive consulto ab illo, eo quod contemnat studia hujusmodi, sive etiam quadam incuria & oblivione factum est; non debemus tamen nos qui sacris musarum mysteriis caste & legitime initiati sumus, earum dona illis proiicere, quos his non amicissimos esse suspicemur. Sed de his satis. Ego enim te, Speciane optime, usque eo amo magnique facio, ut nihil mihi quoque accidere possit, vel tua benevolentia carius, vel opinione, quam habere de me præfefers optatius. Quod cum ita sit, dabo equidem operam, ut omnia mea summa erga te officia semper constent. Vale, & nos, quod facis, ama. Romæ. VIII Idus Junii, M.D.XLV.

EPI-

EPISTOLA CCCCXIX.

JACOBUS SADOLETUS CARD., ADAMO ab epistolis Ferdinando Regi Rom. S.D.

Illius erga se benevolentiæ significationibus amicissime respondens, Joannem Marsupinum eidem commendat.

JOannes Marsupinus, homo ea comitate, eoque ingenio, quod tibi quoque video esse notum, atque idem in rebus gerendis summa fide, diligentia, assiduitate præditus, sæpius olim ad me cum Roma abessem, de tuis virtutibus permulta scripserat; taleque tibi testimonium apud me dederat, ut ego te cum virum doctum atque gravem, tum vero etiam inprimis prudentem. & jure isti clarissimo Regi gratum atque probatum esse judicarem. Posteaquam autem & idem ascripsit, & ego ad Urbem paulo ante reversus, ex eis quas ad eum dedisti literis ipse perspexi, te non solum mei amantissimum, sed scriptorum etiam meorum perstudiosum esse, quæ abs te undique conquiruntur, ut quam plurimum mecum quasi colloqui posses: dicam id quod res est, in tantum tui studium & amorem adductus sum, ut continere me non potuerim quin has statim ad te exararem literas, tibique & animum meum totum & sensum patefacerem. Nam si quisquam est, optime & suavissime Adame, qui aliqua significatione alterius erga se benevolentiæ capiatur, ego me eum esse confiteor, cui nil accidere possit optatius, quam a bonis viris & tui similibus diligi. Nec vero fructum ullum in agenda vita majorem aut uberiorem per-

percipi posse arbitror, quamprimum quidem mereri, deinde etiamsi non ita plane mereamur, tamen adipisci aliquo casu, ut chara sit prudentibus viris atque bonis, non modo salus nostra sed etiam memoria. Quod quando non tam meo quidem ullo merito quam tua præstanti humanitate consecutus sum, ut abs te tantopere diligar tantique fiam: nisi par tibi in omnibus officiis benevolentiæ extitero, hominem ipse me non putabo. Quamobrem velim sic tibi persuadeas, habeasque certissimum, neminem esse qui tui amantior, quam ego sum, esse posthac possit: omniaque & studia & officia amicitiæ, in quibus ego servandis ac retinendis admodum sum diligens, tibi ita a me prompta esse & parata, ut gratissimum sim habiturus si mihi occasionem aliquam obtuleris, per quam mea erga te voluntas & animus amicissimus perspici liquido possit. De meis scriptis nihil sane erat quod tibi pollicerer. Habebam equidem inchoata nonnulla, sed nihil erat perfecti, nisi forte orationem libenter lecturus es, qua ego Cæsari pro pace Christiano nomini concessa superioribus mensibus gratias egi. Ejus ego orationis describendæ, si id voluerit, faciam Marsupino nostro potestatem. Atque ipsum Jo: Marsupinum prorsus amantissimum & studiosissimum tui, etsi minime opus esse arbitror, tamen ita tibi commendo, ut majore studio, magisve ex animo, neminem cuiquam commendare possim. Amo enim juvenem hunc mirabiliter, cum ingenio ipsius, & singulari probitate, tum plurimis erga me ejusdem officiis adductus. Quare sic existimes volo, quicquid in illum studii & benevolentiæ tuæ contuleris, totum id abs te in

me

me collatum, me esse judicaturum. Vale Romæ v. Idus Julii M.D.XLV.

EPISTOLA CCCCXX.

JAC. SAD. GULIELMO DUCI BAVARIÆ S. D.

Causas affert, quibus toties sedem ac, domicilium commutare coactus fuerit, Gulielmique fratrem mortem obiisse dolet.

QUod post reditum meum ad Urbem, non continuo dederim ad te literas, nec veteris meæ erga te observantiæ benevolentiæque memoriam renovarim; non mea negligentia neque adeo oblivione mutui nostri amoris, sed potius pudore quodam accidit. Cum enim sæpius jam conatus essem, exolvere me his urbanis curis atque negotiis & in Ecclesia mea Carpentoractensi Deo & mihi & populis meis duntaxat vivere, studiaque ea persequi, quorum & liberalissima est cognitio & fructus jucundissimus, nescio quo meo fato sive iniqua potius conditione fortunæ (namque ego meas partes sedulo & accurate egi) contingere tamen mihi non potuit, ut animo meo morem gererem, colerem que eam vitam, in qua qui doctiores, & sapientiores semper existimati sunt, munia beatæ vitæ maxime posita esse censuerunt. Sum enim, quotiescumque illuc me contuli, toties hujus Pontificis Maximi a quo etiam præsertim mihi assentiente, commeatum obtinueram, jussu atque imperio in hanc urbem revocatus. Quæ si meæ, ac non alienæ voluntatis commutatio varietasque extitisset, puderet me vehementer inconstantiæ meæ, neque auderem quicquam hoc ad te tempore scribere. Quid enim esset quod polliceri alteri de

de me possem, si mihi ipse & consiliis meis non constarem? Sed cum si qua in hac re culpa inest, ea certe mea non sit, potiusque tempori & rebus quotidie novis, quam consilio cujusquam aut voluntati, illa sit attribuenda; peto a te, Dux humanissime atque optime, ut quod ego toties domicilium commutasse visus sum, id Pontificis voluntati tribuas: quod suam ille voluntatem, id assignes tempori. Proxima enim causa illinc me extrahendi, & Romam evocandi, Concilii habendi necessitas fuit & cogitatio. Quod utinam Concilium bonum ac prosperum Christianæ sit & religioni & Reipublicæ. Etsi Deum quidem confidere debemus tandem aliquando populis suis esse consulturum, sed tamen, ut se nunc res habent, quid spei certe sequamur, non videmus. Illud quidem in hac tanta perturbatione temporum singularis tamen nobis est lætitiæ & voluptati, quod apud omnes bonos tuum nomen in summa est gloria. Nihil enim tam celebre, neque tam commemoratum est, quam tuæ virtutis, constantiæ, pietatisque prædicatio: quæ una & consentiente omnium voce in cœlum merito fertur. Itaque ego qui tuam amplitudinem jam diu omnibus meis studiis officiisque sum complexus, quotidie non benevolentia quidem (nam ea ad summum jam pervenerat) sed meis dictis, testimoniis, scriptis, ad te colendum honestandumque sum propensior; gaudeoque vehementer, & tibi gratulor, quod in reddenda tuis clarissimis virtutibus debita laude, ego qui tantum cæteris studio erga te amoamoreque anteeo, prædicatione tamen tuorum meritorum superior esse non possum; tantus est consensus omnium de te omnia præclara egre-

egregiaque memorantium. In quo non magis homines, quam Deus ipse, cujus tu integram & veram religionem sustines atque defendis, de tua fide & sapientia illustre testimonium fert. Sed hæc quæ theatrum majus & graviorem operam desiderant, in tempus magis idoneum differenda sunt. Ego, sicuti tibi sæpe alias scripsi, quicquid in me est, quantulum id quidem est, ingenii, diligentiæ, studii, authoritatis, totum tuis commodis & voluntatibus ita polliceor ac defero, ut si quid usu venerit, in quo tua causa mihi sit elaborandum, id sim alacrius multo libentiusque facturus, quam si mea ipsius causa idem mihi conandum & suscipiendum esset. Quod cum acciderit ut agam, cura quidem & amore satisfaciam tibi; studium autem & cupiditatem meam satisfaciendi nunquam assequar. Nunciatum est nobis fratrem tibi decessisse ornatissimum atque nobilissimum, quod mihi auditu sane quam molestum fuit. Amavi enim illum semper tecum una, dignissimumque illo loco & honore judicavi. Quod si de tua virtute & sapientia non eam haberem opinionem, quam certe habeo, aggrederer fortasse aliquid ad te consolandum; exponendisque rationibus quare tu hunc casum animo æquo ferre deberes, levare dolorem tuum adniterer. Sed cum tu aliorum consiliis non indigeas, magisque ipse ad consilium aliis dandum sis paratus, supersedebo hoc genere orationis. Tantum te hortabor, ut animum illum, illamque prudentiam, quam in cæteris rebus eximiam præstas, eandem in hac quoque re adhibere mediteris; ut omnes homines intelligant, nihil tibi deesse, quo minus & in secundis & in adversis, par & per-

perfecta undique & virtus sit, & constantia tua. Iterum & sæpius vale. Romæ, XVII. Cal. Augusti, M.D.XLV.

EPISTOLA CCCCXXI.

JAC. SAD. GULIELMO DUCI BAVARIÆ S. D.

Ejus in Catholica fide & Christiana religione tuenda virtutem constantiamque collaudat.

CUm ex literis tuis multiplici sum ac varia animi lætitia & voluptate affectus, tum quod in extremis illis a te est positum, gravissimisque & ornatissimis verbis explicatum, id mihi maxime jucundum, & de tua singulari eximiaque virtute etiam admirabile accidit. Sic enim scribis, te hanc piam & sanctam Catholicæ fidei & Christianæ religionis causam, quæ omnium bonorum Principum communis & quorundam etiam magis propria esse deberet, nulla jacturæ & periculorum, quæ plurima jam adiisti, habita ratione, & amplexatum esse adhuc constanter ac fortiter, & ad ultimum usque spiritum amplexaturum esse. Quibus tuis verbis quam expressiorem habere desiderareve possimus Principis optimi & præstantissimi imaginem, non video. Faxit ille ipse omnipotens Deus, quem tu in literis tuis omni cum fide & pietate invocas, ut talem animum, dignamque omni ipsius gratia & beneficentia mentem, ea præmia consequantur, quæ & in cœlo & in terra debeant judicari maxima. Quanquam cui in hac vita pacatus cum Deo animus & secum ipse concors, in altera domicilium beatæ immortalitatis est propositum, is semper maximis & verissimis præmiis a Deo affectus esse videatur. Sed tamen ne hæc quidem quæ in his locis

locis expeti solent, tibi defutura confido. In tanta enim rerum omnium confusione, quantam alia ætas nulla unquam vidit, aberrantibus fere cæteris omnibus & prope mente dimotis, quibus harum rerum gubernandarum & regendarum potestas erat data, consiliaque sua non ad salutem publicam, sed ad propriam ipsorum (ut illi putant) utilitatem, ut autem res indicat, & magis etiam quotidie indicatura est, perniciem conferentibus, stare & eminere, in cujus animum atque virtutem, cum hæc temporum mala damnaque incurrunt, tanquam fluctus saxo, sic illa ejus consilio sapientiaque frangantur; non solum his temporibus novum quodammodo & pene inauditum est; sed apud bonorum judicia imprimis admirabile. Itaque necesse est, posteaquam satis fuerint debacchati, qui ex incommodis publicis sua privata commoda venari & captare soliti sunt; posteaquam edormierint sui erroris crapulam, & nihil invenerint verarum divitiarum in manibus suis; ut expetrecti tandem aliquando & resipiscentes, cum stupore quodam maximaque admiratione intueantur eos, qui in tanta jactatione tempestatis publicæ soli tenere portum & voluerunt & valuerunt. Quorum utinam quidem magnam copiam haberemus. Sed tua insignis virtus atque constantia, Gulielme præstantissime, multorum in eo nobis Principum vicem præbet. Es enim tu & castæ integræque religionis illustre exemplum populis Christianis omnibus, & in omni posteritate consequentium temporum, futurus es veræ sapientiæ veræque virtutis egregium documentum. Quam cunctorum de te summam existimationem, non video posse fieri, quin aliqua ter-

terrena etiam, non modo quæ e cœlo sint, præmia comitentur. Hac igitur ego tua laude & Christianæ pietatis summa gloria (ut initio epistolæ scribere fueram orsus) præcipue sane delectatus sum. Cætera quæ scribis de tuo animo erga me amico ac benevolo, deque ea cupiditate, quam præ te fers, factis mihi probandi qua voluntate in me sis; sunt mihi quidem gratissima & jucundissima omnia; sed uno (ut mihi videtur) amicitiæ nomine cuncta continentur. Sic enim ego memetipsum donavi dicavique tibi, sic tu me tua humanitate & benevolentia es amplexus, ut quod jam bonorum virorum & fidelis amicitiæ proprium est, certare officiis inter nos debeamus. In quo ego quæ ad tuam amplitudinem colendam & observandam pertinebunt, omnia summa cum fide benevolentiaque præstabo. Tu si me dilexeris, charumque habueris, maximum hunc me adeptum ex tua amicitia fructum semper sum existimaturus. Vale, Romæ VI. Idus Decembris M. D. XLV.

EPISTOLA CCCCXXII.

HIERONYMUS NIGER

Jacob. Sadoleto Card. S.D. *Romam*.

Scribit se posthabitis commodorum suorum rationibus cum primum a Farnesio Card. literas acceperit, statim ad Urbem profecturum.

EX literis Antonii Florebelli, quas proxime accepi, facile perspexi quam prudenter, amanterque me moneas, ut posthabitis commodorum meorum rationibus primo quoque tempore exeam in provinciam, facturus per-

pergratum non tam Farnesio Cardinali summo viro, quam Deo Opt. Max, cui nos imprimis navare operam decet. Equidem si ad ejusmodi virum scriberem, cui non omnis anteactæ vitæ meæ ratio atque institutio satis cognita, perspectaque foret, conarer ei planum facere nunquam me officium ac pietatem privatis meis commodis posthabuisse, atque utinam non ingrati erga me extitissent ii, apud quos meam ipse operam, atque industriam posuissem. Sed quid ego hæc ad te, cui totum præteritæ vitæ meæ spatium atque curriculum æque ac mihi est exploratissimum, quique fortunam, qua usus sum dutissima & iniquissima non modo ægre tulisti semper, verum etiam consilio, authoritate, & opera quantacunque in te fuit, lenire studuisti. Quo quidem studio te nunc incitatum atque incensum, puto id mihi oneris imponendum curavisse, sic enim malo dicere quam muneris. Nam quis non gravissimum appellet onus homini jam exacta ferme ætate, laboribus fesso, in pacatissima Italiæ ora quiescenti, in externam & longinquam regionem commigrare, in qua non dubitet multa sibi pericula & incommoda fore subeunda. Sed ut spero vincet iter durum pietas, nam ut (Apostoli verbis utar) novi satiari & esurire, abundare, & penuriam pati, omnia possum illius ope, qui omnia potest, pro cujus dignitate & gloria si moriendum mihi sit, non vitam cum morte, sed potius mortem cum vita commutavero. Quamobrem quum primum a Farnesio litteras accepero, proficiscar ad vos. Cetera omnia, quæ ad privatas rationes meas attinent, voluntati arbitrioque tuo permittam. Vale.

EPI-

EPISTOLA CCCCXXIII.

JAC. SAD. PAULO III. PONT. MAX. S. P. D.

Pontifici gratulatur, quod geminis pronepotibus ex Imperatoris filia & Octavio ejus nepote natis, cum Farnesiæ genti subsidium atque ornamentum additum sit, tum Italiæ tranquillitati consultum a Deo fuerit.

CUM multa sint indicia divinæ erga sanctitatem tuam beneficentiæ summæque liberalitatis; tum nullum est præstantius, quam quod eodem dono nunc Deus propagationem familiæ tuæ & publicam pacem ac tranquillitatem est complexus. Geminis enim pronepotibus ex summi Imperatoris filia & nepote tuo in lucem nobis editis; addidit ille quidem decus generi, ornamentum familiæ, subsidium nomini, cujus recens hic partus perpetuitatem quandam denuntiat; sed in tanto privato sanctitatis tuæ commodo, illa etiam major in ipsius animo lætitia insidet, quod omnibus suspicionibus penitus elisis, quæ nos sollicitos aliquandiu habuerunt, communi Italiæ paci & otio a Deo est consultum. Duorum enim maximorum principum sanguine in unum genus, unamque prolem derivato, atque conflato, animos quoque eorundem in unum sensum confluere necesse est. Qui sensus, si tuæ sanctitatis consilia valebunt, sicut certe valitura sunt, ad tranquillitatem publicam, ad quietem Italiæ, ad conservationem pacis, cujus ipsa tutrix semper fuit, sine dubio spectabit. Quare agimus quidem gratias præpotenti Deo, qui te hoc tanto & tam eximio dono est prosecutus. Facit enim mea in sanctita-

tem

tem tuam observantia, ut nihil tibi prosperum & fortunatum accidat, cujus non sim ego particeps: sed agimus etiam ob eam rem majores, quod cum tanto in te beneficio, publici quoque boni beneficium conjunxit. Nec vero dubium nobis est, quin sanctitatis tuæ lætitia, quæ in illius animo ex hoc expectato atque exoptato partu jure meritoque exorta est, hac re longe sit cumulatior; quod, quo ipsa ingenio & qua prudentia prædita est, videt plane & prospicit, suum hoc privatum gaudium cum publicis utilitatibus esse conjunctum. Etenim habet obsides jam Respublica duos duorum præstantissimorum Principum liberos, qui utranque nobilitatem in unum genus jungant, qui spondent polliceturque nobis omnibus immotam pacem, securum otium, animorum concordiam Romæ & in Italia fore: quibus quidem muneribus nullum nobis a Deo, in hoc præsertim tempore, accidere potest optatius. Quapropter gratulor equidem sanctitati tuæ, quod ejus res, rationes, commoda, Deo immortali curæ esse intelligo. Sed in hac felicitate magis etiam illi gratulor, quod non est ipsius commodum a publica utilitate sejunctum. Quod si beneficia Dei immortalis erga te tanta jam sunt, ut videatur mens hominis nihil amplius posse desiderare; erit quoque tuæ curæ & providentiæ, ea quæ bene cœpisti, de tollendis hæresibus, de sedandis discordiis, de bonis moribus, castaque religione in christianum nomen, ordinesque præsertim Ecclesiasticos revocanda, ita gubernare, regere, ad exitum deducere; ut quoad homini fas est, par tot divinis & singularibus donis abs te gratia relata esse videatur. Deus in sanctitate tua

suam

suam benignitatem perpetuam conservet. Romæ IV. Cal. Septemb. M. D. XLV.

EPISTOLA CCCCXXIV.

J. S. ISIDORO CLARIO ABBATI S. D. (a) *Trid.*

Ejus litteris respondens, de Christianæ reipublicæ incommodis multis agit.

COmmodum emerseram ex tertiana febri, cum tuæ mihi allatæ sunt litteræ, datæ XVI. Calendas Augusti Tridenti, aliquanto autem serius, quam dierum & itinerum ratio postulabat tabellariorum negligentia nobis redditæ: quibus in litteris facile & amorem tuum erga me & memoriam veteris nostræ consuetudinis recognovi. Sed quominus ad eas tum celeriter responderim, partim imbecillitas corporis, partim etiam publica hæc negotia, quæ nos heic anxios & sollicitos admodum habent, aliquandiu retardarunt. Video enim, Isidore, id quod tu quoque in litteris tuis significas, rem communem nostram, hoc est causam Christianæ religionis (quid enim est quod magis nostrum esse possit?) eo deductam esse, ut gravissimorum concursum periculorum metuere debeamus, spe præsertim concordiæ peni-

(a) Hic in Clario Brixianæ ditionis castello natus, adolescens Benedictinæ Cassinensium familiæ nomen dedit. In ea optimis & disciplinis & moribus imbutus, adeo in gravioribus studiis profecit, ut inter eximios suæ tempestatis Theologos haberetur. Cum Gregorio Cortesio Romam demigravit Paulo III. Pont. Max., a quo Fuligni Episcopus factus est anno 1547. XI. Kal. Februarii; ibique anno 1555. III. Kal. Junii inclytus fama sanctitatis extremum diem obiit. Ejus opera recenset Ughellius in Italia Sac. tom. I. col. 770. edit. romanæ.

tus sublata, qua antea sustentabamur. Nam qui antea, cum a nobis & ab Ecclesia Catholica graviter dissentirent, omnia sua tamen Concilio se esse permissuros pollicebantur; nunc posteaquam indictum convocatumque Concilium est, cum retractent promissionem suam, plurimaque dent indicia, non solum non commutati pristini animi sui, verum etiam in pravis opinionibus vehementius pertinacis; qua spe possumus niti, ut turbæ hæ, quæ omnia divina humanaque permiscuerunt, aliquando pace consensioneque tollantur? Atque utinam, quod tu videris confidere, mea opera atque industria aliquid prodesse posset Christianæ reipublicæ; nos hoc damnum violatæ perturbatæque religionis, vel nostro ipsorum sanguine libenter redimeremus. Sed cum neque ingenio multum, & auctoritate nihil possim: quod tantum mihi tribuis, id ego amori tuo erga me, non illi quo ceteris in rebus plurimum vales judicio esse assignandum puto. Verum quoquo se modo habeant Christianæ res, illa est spes nobis in Deum conjicienda firmior, quod is pro sua summa perpetuaque benignitate & clementia populos suos servabit ab interitu, neque gentem delectam ab sese nonnullorum scelere atque perfidia dari in exitium volet. Quam ego unam consolationem, nec aliam præterea ullam, his tot malis reperio. Sed de his satis. Quod scribis jucunda isthic multorum consuetudine, in primisque eorum qui legationis munere apud vos funguntur amplissimorum sapientissimorumque hominum comitate erga te summaque liberalitate levari molestias tuas, facile adducor in eam sententiam, ut tibi ista peregrinatio non
defu-

defugienda fuisse videatur. Nihil enim potest esse dulcius, quam cum doctis, cum probis, cum tui amantibus versari. Quibus quidem Legatis, quos ego omnes summo cum honore colo observoque, plurimam ut salutem meis verbis nunties, non rogo te solum verum etiam flagito. Lucianum sodalem & contubernalem tuum vidi Ferrariæ, sumque cum eo bis collocutus, & quantum illo brevi tempore judicare potui, ejus excellens ingenium, singularemque doctrinam summopere probavi. Eum tu & item contubernalem tuum Chrysostomum, quem testimonio tuo & amare cœpi, & virum egregium esse arbitror, meis verbis salvere jubeas velim. Fac valeas, nosque mutuo diligas. Romæ, Calend. Septembris, M.D.XLV.

EPISTOLA CCCCXXV.

J. S. CARD. DONATO RULLO S. D. *Trident.*

Mutuis benevolentiæ officiis commemoratis; hominem modeste reprehendit; quod nullas quinque mensium spatio sibi litteras dederit.

QUintus hic agitur mensis, ex quo tempore ego in hanc Urbem me retuli, non mea sponte quidem neque voluntate huc adductus, sed invitus ac dolens Pontificis Maximi imperio litterisque compulsus, cum mihi in otio studiisque meis honestissime simul ac libentissime commoranti, hoc sane iter perincommodum, & valde contra animi sententiam accidisset. Sed ut primum Romam attigi, fuitque cum quo de meis rebus loqui familiariter & libere possem, id quod & tua erga me officia meritaque postulabant, & mei ani-

mi grata fidelisque memoria mihi suggerebat, statim de te & de tuo omni statu percontatus sum. Noli enim putare, mi Rulle, non mihi insidere in animo perpetuam memoriam illius liberalitatis tuæ, cum misso ad me trans alpes usque optatissimo libro (a), non solum consuluisti studiis meis, sed quo tu esses erga me animo, qua benevolentia ostendisti, neque hoc tantum, verum illud etiam perspicue declarasti, singulare quoddam tibi esse ingenium, summumque judicium in perspiciendis hominum voluntatibus & desideriis, tuaque liberalitate ad eorum usum tempusque accommodanda: cum id, mihi homini etiam tum tibi ignoto muneris destinasti, quo nullum nec tibi in dando convenientius, nec mihi in capiendo honestius esse potuit. Quæ res fuit ea quidem mutuæ initium benevolentiæ nostræ. Sed ego longius pro mea natura progressus sum. Ex eo enim tempore ita te amare cœpi, ut nullum unquam studium erga te amicissimi hominis intermiserim. Itaque Romæ ut primum mihi consistere datum est, tu mihi fere occurristi primus, de cujus statu & incolumitate amicos sciscitarer. A quibus cum id quod maxime optabam mihi esset responsum, te scilicet valere in omnem partem, pauloque ante visendæ rei pulcherrimæ, hoc est publici Christianorum conventus spectandi causa Tridentum accessisse, laudavi equidem & animum & ingenium tuum, qui nunquam ab ingenuitate tua & solita tibi probitate discedas. Etenim

(a) *Appiani scilicet Alexandrini opus Græce elegantissime exaratum, ut patet ex Epist. CCCLXXIX. pag. 271. hujus partis.*

nim videre mihi videor, quam tu sis cupidus rerum bene restituendarum, quam in ejusmodi studio & voluntate flagrans, ut te angant & sollicitum habeant ea, quæ quotidie afferuntur impedimenta. Sed de rebus illis Deus viderit, nos quidem optamus & assidue vota facimus, ut quam rectissime omnia agantur; veruntamen quid sperare debeamus, incertum est. De te ipso autem, id quod ad me nunc pertinet, estque mei in te summi amoris proprium, nonnulla mihi, Donate, incidit suspicio & metus quidem, ne ex animo tuo penitus elapsus sim. Quid enim est? quinque ne jam menses sunt, fluxitque tantum temporis, neque dum mihi abs te quidquam, ne salus quidem aliorum saltem litteris, tuis verbis nunciata? tanto ne tibi labor scribendi aut monendi molestior, quam mei absentis fuit appellatio jucunda? Quomodo ergo hoc lues? Opinor si & litteras mihi miseris, & doctissimorum hominum contubernalium tuorum Aloysii Priuli (a), & M. Antonii Flaminii (b)

 acta

(a) De Priulo vid. not. in Epist. CCXLIV. pag. 165. & 166.

(b) Hic in Fano Syllæ seu Foro Cornelii clara Flaminiæ urbe honesto loco natus, ac Patavii Romuli Amasæi & Marci Antonii Genuæ de Passeribus opera optimis artibus eruditus, adeo in humanioribus literis profecit, ut post Sannazarii mortem, vix alium eo elegantiorem latinum poetam illam tulisse ætatem vere videar posse contendere. Tridentum ad Concilium profectus, honestissimum *Secretarii Synodi* munus sibi oblatum respuit, teste Pallavicino in ejusdem Conc. hist. lib. VI. cap. I. Quum diu in aula Alexandri Farnesii Cardinalis vixisset, in gravissimam incidit suspicionem immutatæ religionis,

acta aliqua ad me perscribes. Nisi forte omnem tuam mentem cogitationemque rerum ceterarum, illa prope immensa suavissimi hujus tui comitatus voluptas sic obruit, ut dispicere in partem aliquam non queas: præsertim omnium hominum longe & virtute, & comitate, & prudentia præstantissimo Polo, tuos oculos animumque complente. Quod si est ita, ignosco tibi equidem, neque te amplius ullo crimine accerso. Sed in magno meo desiderio retinendi tui, illa me res tamen plurimum consolatur, quod intelligo, plus semper apud me officii ac diligentiæ in tuenda amicitiæ memoria residere. Quare si me amabis, & ipse ad me scribes, & hoc præterea efficies, ut te internuntio sodales tui, & me sui amantissimum esse cognoscant, & ego illos memores intelligam mei. Quod probe eveniet, si illi mihi salutem ex tuis litteris dixerint. Quam ego ut illis plurimam a me nunties, vehementer abs te etiam atque etiam peto. Vale, Romæ IX. Cal. Octob. M.D.XLV.

EPI-

---

nis. Verum haud multo post a Reginaldo Card. Polo in contubernium receptus ac familiaritatem, ita injectam sua fidei maculam omnem & operibus & scriptis Catholico homine verè dignis abstersit, ut tandem pie sancteque supremum obierit diem Viterbii anno 1550. Flaminii opera, (in quibus cum singularis in Deum pietas, tum mirifica quædam elegantia comparet atque doctrina), recenset Papadop. in hist. gymn. Patav. tom. 2. pag. 197.

EPISTOLA CCCCXXVI.

J. SAD. RANUTIO FARNESIO CARD. (a) S. D.

Gaudet, quod in conventu amplissimorum hominum de omni literarum genere disputantium, magnos in virtute & doctrina se fecisse progressus ostenderit.

QUæ in hanc Urbem de tui ingenii summique ad omnem liberalem percipiendam doctrinam studii, fama & laude perlata sunt, eademque uno & constanti omnium sermone confirmata; tantum mihi ea voluptatis attulerunt, ut id literis satis explicare non possim. Fuerunt enim & eximia & nova, atque ejusmodi, ut non modo lætitiam omnibus qui te diligunt, verum etiam ignotis & alienis, amorem erga te & admirationem potuerint excitare. Sic enim dictum & percelebratum est, te

(a) Hic Romæ anno 1530. Petro Aloysio Farnesio patre ortus, puer adhuc, ut pote non amplius XV. annos natus, ab avo suo Paulo III. Pont. Max. in Cardinalium Senatum relatus est anno 1545. Puerilibus disciplinis Bononiæ imbutus, ad graviores scientias in gymnasio Patavino animum appulit, in quibus quantum brevi tempore progressum fecerit, patet ex hac Sadoleti ad eum Epistola. Julio III. Pont. Maximo provinciæ Patrimonii *Legatus a latere* præfuit, mox *majoris*, ut ajunt, *Pœnitentiarii* dignitate auctus, quum Neapolitano Archiepiscopatu quod a Paulo III. acceperat sese abdicasset, Ravennatem demum Ecclesiam obtinuit. Sed huic quoque Ecclesiæ nuncium remisit Pio IV. Pontifice Maximo, a quo Bononiensis Episcopus factus anno 1565. quum Parmam ad Octavium Farnesium fratrem profectus esset, in ea urbe vivere desiit eodem anno 1565. V. Kalend. Novembris, ætatis XXXV. Vide Oldoinium in Ciacconii opere tom. 3. col. 722.

ista ætate, quæ nec dum matura ad cognoscendam percipiendamque vim scientiæ & virtutis esse solet; & ista fortuna, quæ cum amplior atque opulentior facta est, præsertim in pueris & adolescentibus, sæpius ad optimas artes capessendas est impedimento; tantos tamen fecisse in virtute doctrinaque progressus, ut nihil eruditius, nihil a quoquam viro ingeniosius, ne in moribus quidem totiusque vitæ modestia compositius possit expectari. Quod magno in conventu amplissimorum hominum, magnis de omni literarum genere disputationibus, cum omnium admiratione declaratum in te ajunt esse atque perspectum. Quam ego tuam non jam spem, neque indolem, sed præsentem laudem uberemque fructum eximiæ virtutis, cum te pro mea in universam domum & familiam tuam perpetua singularique & voluntate & observantia in filii loco diligam, ad magnum quoque animi mei fructum duco pertinere. Siquidem non minus fruimur aliorum bonis, cum ex ea re gaudemus; quam illi fruantur ipsi, qui ea bona obtinent. Quod hoc etiam mihi in te cumulatius contigit, quod non vulgaribus tuis, neque communibus bonis; sed summis & singularibus gaudeo atque lætor. Atque in ista tua admirabili progressione ad virtutem, in qua longe ætatem tuam ipsa industria superat, agnosco quidem vim generis, virtutem sanguinis, fortunam familiæ tuæ, quæ semper istiusmodi viris atque ingeniis fuit referta. Etenim quis hominum unquam avo tuo sapientior, quem ad summum in orbe terrarum sanctissimi honoris principatum, ipsa sapientia provexit? Quis fratre tuo Alexandro probior, liberalior, mode-

moderatior, qui cum & fortuna & dignitate, summis antecellat; humanitate tamen omnibus vult esse par? Non commemorabo ceteros, sunt enim omnes ex eadem stirpe & sanguine procreati. Ad te ipsum revertar, in quo virtus & nobilitas generis tota relata plane & plæclare expressa est, teque quod mei jam in te amoris est propemodum paterni, hortabor & rogabo, ut hoc cursu quo cœpisti, ad summam laudem sic contendas & enitare, ut statuas tibi hominum expectationem, quæ magna & incredibilis de te excitata est, non modo explendam, sed omnibus partibus & numeris absolutissimæ virtutis etiam superandam esse. Quod etsi perquam difficile videtur esse, tuis tamen ingenii nervis & tuæ naturæ præstantia dignum est, optimeque id & commodissime fiet, si bonorum morum velut firmo fundamento substrato, studia deinde & genera doctrinarum ita super extrues, ut in eligendis, quæ opportunissimæ sint, & in addiscendis quatenus possunt esse utiles, non solum cura atque consilio, sed divina etiam sorte quadam adjuvere. Qua de re dabitur aliquando nobis tempus inter nos colloquendi. Nunc quod a me breviter significatum est, non id docendi tui causa a me est susceptum (non enim tu ingenio neque optimis monitoribus indiges) sed volui meæ etiam benevolentiæ erga te & voluntatis, aliquod ad te testimonium pervenire. Vale. Romæ V. Cal. Octobr. M. D. XLV.

EPISTOLA CCCCXXVII.

Jac. Sadoletus Card. Antonio Perenoto Episcopo Atrebatensi S.D. (a)

Eum rogat, ut ejus opera sua ad Carolum V. de pace Oratio aut per Ferrandum Gonzagam, aut per Nicolaum patrem Cæsari tradatur.

CUM scriberem ad patrem tuum clarissimum virum, non putavi mihi prætereundum esse, quin ad te quoque aliquid litera-

(a) Antonius Perenottus Vesentione nobili genere natus anno 1517. patre Nicolao domino Granuellæ Burgundo viro domi forisque clarissimo & Caroli V. magno Cancellario, Atrebatensis Episcopus factus est anno 1539. Ea dignitate auctus, Legatus primum una cum patre ad Tridentinam Synodum (in qua elegantissimam habuit Orationem) mox ad Franciscum I. Francorum & Henricum VIII. Anglorum reges, demum ad celebrem illum Conventum anno 1555. prope Caletum ad pacificandum ab eodem Carolo Cæsare missus, magnum sibi docti, pii, prudentisque hominis nomen comparavit. Neque minus Philippus II. qui Carolo in Hispaniarum regno successit, eximia ac fideli Perenoti opera usus est. Ab eo enim anno 1559. Margaritæ Austriacæ Sorori, & Octavii Parmæ & Placentiæ ducis Conjugi (quam Belgii provinciis summo cum imperio præfecerat) a consiliis datus, simulque primus Mechliniensis Archiepiscopus constitutus, ejusdem Philippi regis precibus, absens in Cardinalium ordinem cooptatus est a Pio IV. Pont. Max. anno 1561. mense Februario. Ex Belgio in Italiam profectus, Neapoli ac Siciliæ Regnis proregis titulo præfuit anno 1571. In Hispaniam demum reversus Archiepiscopatum Bisuntinum obtinuit anno 1584. obiitque Matritri anno 1586. pridie Kal. Octobris. Vid. Ciacconii opus tom. 3. col. 925.

terarum darem, cum & te non mediocriter diligam, multis quidem de causis, ingenii, doctrinæ, humanitatis tuæ adductus, & de tua in me vicissim benevolentia persuasus sim. Scribendi autem causa hæc fuit. Ego post pacem factam, qua nullum majus neque præstantius hoc tempore beneficium, a summo Imperatore Carolo in Christianam Rempub. potuit proficisci, secutus majorum exempla, qui testimonium laudis & judicii sui, optime meritis principibus libenter dabant, exaravi oratiunculam, qua gratias Cæsari communi Christianorum populorum nomine agens, illum præterea ad eas res gerendas suscipiendasque adhortor, quas maxime illius amplitudo & dignitas, reique publicæ salus videtur ab eo postulare. Quo genere scribendi veteres summi & doctissimi viri egregios Principes decorare soliti sunt, sicut multorum declarant orationes ad Philippum, ad Alexandrum, ad C. Cæsarem, ad Trajanum, ad Constantinum, ad plures alios scriptæ. Idem igitur ego, his quidem omnibus ingenio & facultate impar, sed dignitate causæ aliquanto superior, instituo suadere Cæsari, ut in eas se conferat curas & cogitationes, quæ illius admirabili prudentia & maxima authoritate præcipue sunt dignæ. Quod tute nosse ex mea oratione, si eam modo duxeris legendam, facile poteris. Cum ergo hanc ipsam orationem ad fortissimum virum Ferrandum Gonzagam per eum tradendam Imperatori miserim, amicitiam secutus, quæ mihi cum illius omni nobilissima familia permagna est, rogavi patrem tuum, ut adesse in tradendo, aut si Ferrandum forte aliqua res impedierit, ipse eam per se tradere

Imperatori velit. In quo, mi chariſſime Perrenote, tuam quoque operam & benevolentiam mihi advoco. Si erit non indigna lucubratio mea quæ legatur, maximum me exiſtimabo laboris mei fructum eſſe adeptum, quod laudem optimi Principis, conjunctam cum ea ſpe, quam de illius virtute, animique magnitudine Chriſtianæ Reipub. futura ſalutari jam concepimus, meis literis ornatam illuſtratamque videbo. Sin ea ſordebit, ego tamen hoc aſſequar, ut meo exemplo, doctiores alii in eandem curam & ſtudium ſcribendi ſe dedant. Sed de his rebus mandavi tabellario huic meo, ut meis verbis tecum accuratius loqueretur. Ego quod ad me attinet, amorem eum conſervo, quem jam ab eo congreſſu quo ad Nicæam primum una fuimus, erga te ſuſcepi, in quo meæ in te amando conſtantiæ plurimum tuarum virtutum recordatio ſuffragatur. Tu ſi pari erga me voluntate fueris, non ſolum meæ expectationi ſatisfacies, ſed humanitati etiam conſtabis tuæ. Vale. Carpent. V. Idus Novemb. M. D. XLV.

ANNO M. D. XLVI.

EPISTOLA CCCCXXVIII.

JAC. SAD. ISIDORO CLARIO ABBATI S. D.

Suum de peccato originis librum aliquot locis correctum ad eum mittit, rogatque ut ſi quid a Catholica fide abhorrens in illo invenerit, ſtatim ea de re ipſum certiorem faciat.

ACceperam tuas & Luciani noſtri litteras, gratas mihi utraſque: ſed cum illi tum aliqua reſcripſiſſem, diſtuli ſcribere ad te, quoad

quoad haberem absolutum meum de peccato originis librum. Quem nunc tibi mitto correctum aliquot in locis; non quæ mihi viderentur ab integra in Deum fide esse aliena, sed ut contentiones fugerem, quas studio omni semper devito, si tamen id mihi aliqua ratione concedatur: est enim seculum hoc si quod unquam aliud, ut tu quoque scribis ita paratum ad insidias ómnium scriptis lucubrationibusque tendendas, ut transiri nusquam sine periculo possit. Sed si virilis animi non est, deterreri metu ab actionibus honestis; ne meum quidem erit, si quid sit in quo prodesse possim fidei Catholicæ, quam ego sanctissime & constantissime colo, desistere a cónando hominum contentiosorum causa. Ego pro mei captu ingenii (quod sane quam exiguum est, sed cupiditate incensum indagandæ veritatis) conatus sum, quoad potui, aperire rem obscurissimam, & hoc originis peccatum, quod semper adhuc mihi latuisse visum est, in conspectum hominum lucemque proferre, si id tamen sum assecutus: Quod jam non meum, sed aliorum erit judicium, & in primis tuum, Isidore carissime, comitumque tuorum una Luciani & Chrysostomi, quos ego scio non certandi studio, sed animo cognoscendi, amice & ingenue mea scripta lecturos. Habes igitur librum, in quo legendo quædam a te peto, primum ut attento animo eum perlegas, deque tota materia non ante quidquam statuas, quam illa tibi bene percepta & cognita fuerit. Habet enim, ut opinor, subtiliores nonnullas considerationes. Deinde, ut cum legeris, remque cum familiaribus tuis communicaveris, si qua offendes in eo, quæ apertè videantur a catho-

lica

lica fide discrepare, mihi ante nunties, quam cuique notum facias; ut possim, id quod maximè opto, non solum probus esse Ecclesiæ filius, sed etiam videri. Equidem laboravi & adnixus sum; omniaque circumspexi, ne imprudens inciderem in sententias reprehensione dignas. Nam de industria in eas incurrere per quam impium est, neque id unquam sinat me Deus. Inscium autem & oscitantem labi aliquando & errare, est humanum, sed tamen, ut admonitu benevolorum error statim tollatur. Quo ego medius fidius sum animo, ut & auditurus sim libenter errores meos, & illos studiose emendaturus ac correcturus. In quo, mi Isidore, tuam in primis operam benevolentiamque requiro. Si ergo erit quippiam ejusmodi, me quamprimum certiorem facies, reliquos celabis, donec tibi a me fuerit responsum. Cum reliquos dico, tuos comites excipio, quorum ego permultum & confido probitati, & tribuo doctrinæ. Sin autem nihil fuerit, quod Christianæ pietati sit adversarium; erunt autem aliqua, quæ disputationibus trahi in diversam partem posse videantur; iis posthabitis atque neglectis, librum communicabis quibuscum voles. Nam certe res ipsa & veritas se ipsam tutabitur. Aut si quid erit fortasse, quod nequeat defendi, tarditas mei ingenii accusabitur, non in Deum fides, quorum primum tolerabilius est, alterum ferri nullo modo potest. In conferendo autem & communicando, rogo te uti adhibeas potissimum Ambrosium Catherinum (a), omniaque ita agas &

(a) Vide quæ de Ambrosio Catherino habentur in notis ad Epist. CCCXIV. pag. 56. hujus tertiæ partis.

& tractes, ut tua in me benevolentia & mea erga te mutua postulat. Quanti momenti sit, & quantopere conducat hominibus Christianis cognoscere hoc originis peccatum, qua in re consistat, & ad fidei nostræ mysteria intelligenda quam habeat vim, differerem pluribus, nisi te optime id nosse scirem: quamobrem supersedebo hac parte orationis. Tantum te orabo atque obsecrabo, ut suscipias hunc laborem non invitus mei honoris causa, tuamque solitam humanitatem & benevolentiam sæpe mihi perspectam, in hac re potissimum exhibeas mihi & præstes, quod ego summum a te officium & indicium animi amicissimi sum habiturus. De prædestinatione quid statuam, & quam cum Luciano mea mens consentiat, ex hoc meo quoque libro poteris habere compertum, Vale Romæ XIII. Calend. Febr. M. D. XLVI.

EPISTOLA CCCCXXIX.

JAC. SAD. CHRISTOPHORO MADRUCIO (a) Episc. Trid. S. R. E. Card. S. D. *Trid.*

Illius officiis laudatis, de benevola erga se voluntate suscepta ei gratias agit.

AD eum amorem, quem antea erga te susceperam, & ad eam observantiam, quæ tuis plurimis magnisque virtutibus a me tribuebatur, incredibile est, quantum accesserit ex eis literis, quibus proxime ad meas respon-

(a) Ortus hic Tridenti anno 1512. Gaudentio equite nobilissimo patre, Bononiæ humanioribus literis, Patavii severioribus disciplinis est eruditus. In patriam rever-

spondisti: plenissimis amoris, officii, humanitatis, elegantiæ; denique talibus, quales a doctissimo & liberalissimo, omnique dignitate & prudentia ornatissimo homine debuerunt proficisci. Quibus ego certe ita sum delectatus, ut nulla re unquam magis. Nam si diligi & probari a summis viris, homini non inhumano solet esse jucundissimum, quid est in tuis literis, hoc quidem in genere, quod abs te mihi tributum non sit? Potuitne aut amantius scri-

reversus, annos natus decem & octo Tridentinus & Episcopus & Princeps factus, Ecclesiam illam una cum Brixiensi quæ paullo post ejus curæ commissa est, multorum spatio annorum pie sancteque administravit. Inde a Paulo III. in patrum purpuratorum ordinem relatus v. Nonas Julii anno 1544. primis Tridentini Concilii sessionibus interfuit, usque ad exitum anni 1546. quo tempore illum inter & principem Concilii Præsidem Cardinalem Montium acerbissimæ illæ verborum contentiones obortæ sunt, de quibus Pallavicinus *lib.* VIII. *cap.* VII. Itaque Tridento profectus, Romam Cæsaris nomine demigravit, ibique ad bellum adversus hæreticos gerendum opes ac suppetias obtinuit. Postea Maximilianum Caroli fratris filium in Hispaniam prosequutus, in Italiamque reversus, multas in Insubria res memoria dignas gessit. Nam & Mediolanensem arcem recuperavit, Cremonamque aggeribus ac propugnaculis munivit, & Pallavicinorum fratrum dissidia composuit; & Placentiam Octavio Farnesio Parmæ duci, retenta arce, restituit. Idem iterum Synodo Tridentinæ, ac deinceps Conventui Augustæ Vindilicorum Maximiliani electi Imperatoris ergo indicti, uti sacri Imperii princeps interfuit. Picentibus extremis temporibus Legatus a Pio IV. datus, creditam sibi Provinciam summa fide justitiaque rexit. Obiit Tibure, quo aeris mutandi caussa secesserat prid. non. Julii anno salutis 1578. ætatis suæ LXVI. Vide Oldoinium in Ciacc. opere tom. 3. col. 687. & Papadop. in hist. gymnas. Patavini tom. 2. pag. 79.

ſcribi, quam ſcriptum eſt, aut honorificentius ſentire de me, quam abs te eſt factum? Quanquam ego de judicio ipſo, quod tu de me facis, multum tibi remitto, de amore quidem nihil. Nam amari a te cupio & volo: idque quam maxime, nec eſt quidquam quod mihi evenire poſſit optatius? In quo etiam enixurus ſum, ut merito id meo a te fiat. Non enim neque in amore neque ullo in officio tibi ſum conceſſurus. Tanti vero fieri a te, quantum tuæ literæ declarant, neque poſtulo, neque me admodum eſſe dignum arbitror. Sunt in me fortaſſe umbræ aliquæ virtutum magis, quam virtutes. Sed hæ tenues & ſubobſcuræ, nec illuſtribus ſatis ductæ lineamentis: quas cum tantopere ipſe auges atque ornas, facis tu quidem quod natura tua & candor animi eximius poſtulat. Sed in eo bonitatem & liberalitatem & virtutem tuam magis oſtendis, quam illuſtras meam. Quod enim me cum Polo meo tua opinione ſententiaque conjungis, homine ſumma eruditione, ſumma pietate ſumma prudentia prædito; optaſque denos utriuſque noſtrum ſimiles, ſi fieri poſſit, exiſtere: quorum fide, vigilantia, conſiliis afflictæ Chriſtianæ Reipub. ſubveniatur, eſt quidem hoc & tuæ probitatis ac religionis argumentum maximum: & ejus opinionis, quam de me habes conceptam, indicium inſigne. Veruntamen ſcito, cum jamdiu ſit, quod ego virum illum & colo & admiror, nunquam me optare eſſe auſum, ut cum eo comparer: tantum ſat mihi duxiſſe ſi illius modo perſequi veſtigia, vel procul obſervando atque imitando poſſem. Itaque habeo eum & in vita & in diſciplina, & in omnibus forenſibus, ſena-

ſenatoriiſque actionibus ducem & magiſtrum. Quem quod tu quoque tam ſtudioſe laudas & probas, perjucundum id mihi eſt: propriumque ejuſdem præſtantis animi tui, de quo jamdudum loquor. Pares enim cum paribus (ut eſt in proverbio) facile conjunguntur. Sed mihi ſæpe in mentem venit optare, qualem vos ambo Chriſtianam Rempub. eſſe cupitis, talis ut ea, ſi non hominum opera at divino tandem aliquando beneficio conſtituatur. In quo tua authoritas & erga Deum religio, aliæque complures animi ingeniique virtutes, plurimum eidem Reipub. profuturæ ſunt. Sed de his ſatis. Ego quod mei jam privati erga te officii eſt, & maximas tibi gratias ago, habeoque, quod tantam & tam benevolam voluntatem erga me ſuſceperis: & tibi viciſſim ſpondeo atque polliceor, qui majore cum fide, ardentiore ſtudio, fideliore obſervantia colat & diligat, te non alium facile eſſe reperturum: quod ſi venerit uſus ut re ipſa declarandum ſit, me tui cupidiſſimum ſemper eſſe cognoſces. Vale. Romæ XIII. Calend. Februar. M.D.XLVI.

EPISTOLA CCCCXXX.

JAC. SAD. PAULO SADOLETO S. D. *Carp.*

Primum de Nicolao Peitellio, deque quadam pecuniæ permutatione multa ſcribit, poſtea Pauli in amicos liberalitate humanitateque laudata, ſuam in Urbe vitæ rationem, ſuumque illum videndi deſiderium exponit.

ACcepi nudius quartus tuas & Joan. Franciſci litteras, ex quibus illam lætitiam primo aſpectu cœpi, quod de utriuſque veſtrum valetudine, quæ maxime optabam, ea mihi attu-

attulerunt. Quin etiam cumulus additus est, quod in suis sacris literis Joan. Franciscus de tua quadam egregia in se fovendo & sublevando cura sic studiose loquitur, ut salutem suam prorsus tibi acceptam videatur referre. Reliqua quæ scribis de Nicolao Peitellio nostro, quod is mirifice tibi & in concionibus & in vita moribusque satisfaciat, ea mihi jucundissima fuerunt, nec eum tamen tantopere abs te laudari miror, summam enim ego quoque cum isthic essem in eo probitatem, summam modestiam, excellentem cum linguarum, tam optimarum artium scientiam eruditionemque cognovi. Ejus vero concionandi genere nihil arbitror fieri posse, nec sententiarum pietate sanctius, nec rerum ordine distinctius, nec oratione elegantius atque subtilius. Qui quod tam egregiam nobis ac tam fidelem operam apud cives nostros navaverit, eos in recta & a majoribus nostris tradita religione ac fide continendis, & dolis insidiisque hæreticorum hominum aperiendis, ac tanquam sub aspectum ponendis; dici non potest quantopere illi me in perpetuum hoc nomine obstrictum esse intelligam. Ei te maximas volo meis verbis agere gratias, quas uti etiam referam maxime curæ est, etsi hanc ejus remunerandi rationem propter summam hominis abstinentiam, de qua tu sæpe ad me scripsisti, difficilem fore video, cum is nullum hujusmodi spectari unquam a se laborum suorum præmium præseferat. Sed quo ille moderatior, hoc omni a nobis honore & remuneratione est dignior. De tuo adventu ad nos, quod te paratum ad veniendum ostendis, mihi valde gratum. Farnesius mihi certe confirmavit, se tibi successorem hoc Septembri men-

mense omnino missurum esse, quapropter Octobri in viam dare te poteris. Equidem avide te expecto, cum propter alia multa, tum ut de committenda tibi ecclesia summum consilium capiamus. Ego enim Paule, jam nec honores nec divitias, nec ullum statum vitæ in quo splendor sit aut dignitas, sed tantum quietem & silentium & otium his meis extremis annis peto. Quod non possum quidem adipisci in præsentia, ob ea impedimenta quæ tu nosti. Veruntamen non absum longe ab hac spe, consultum aliquando fore rationibus meis, quæ ad hoc genus vitæ cunctæ respiciunt; qua de re tota cum veneris, deliberabimus. Etsi id quoque mihi est concedendum, ut frui aliquando tuo optato aspectu & mei animi sensus mihi conferre tecum liceat. Quam communicationem nostram sermonum & voluntatum, tibi quoque olim solitam videri suavissimam recordor. Quod quæris utrum malim per Fortiam an per Olgiatum accipere hic ex permutatione pecunias, jam te puto intellexisse ex litteris Florebelli nostri, conditionem Olgiati multo esse potiorem, quod neque intertrimentum ullum cum eo sit, & nummos anticipare aliquantum ante est potestas, cujus nunc commoditatis non prætermittendæ longe opportunissimum tempus est, cum annuum penu totum simul est congerendum. Itaque tenendus quidem est Fortia, sed tamen quoad licebit hac liberalitate Olgiati utemur. Hactenus heri scripseram. Hodie ad me fuit Olgiatus, dixit se habere litteras a sociis suis Pantiaticis Lugduno V. Calend. Junii datas, quibus illi eum faciunt certiorem, se nummum adhuc nullum de qua-

drin-

dringentis accepisse. Porro biduo post Colybum futurum esse Lugduni, hoc est ad tertium Cal. Junii, ad quem diem si nihil esset solutum, socios non parum detrimenti esse facturos. Sane dolui non tam rem meam, quam fidem in discrimen vocari. Nam quod jacturæ hi facient, si modo quicquam facient, æquum id quidem est resarciri per nos. Quod vero conductor vectigalium nostrûm fidem meis litteris non habuerit, fueritque veritus, ne forte ego bis eandem pecuniam acciperem, & heic & isthic, visusque sit integritati meæ diffidere, id sane mirum mihi accidit, quod is me, quem optime nosse debeat, non ex proprio quodam meo genere, sed ex communi & quotidiana horum hominum qui hodie sunt, conditione existimet. At ego tibi dico etiam atque etiam me non cum Fortia, sed cum Olgiato pecunias semper permutaturum, quoad scilicet licitum erit. Quamobrem si ad diem dictam pecunia non soluta est, saltem curato ut sciamus quid factum sit jacturæ, ut satisfacere sociis possimus, quando fides mihi quidem quam vita, nedum quam pecunia longe est carior. De locis sacris violatis, quod perperam fuerit huc scriptum, gaudeo rem ut scribis ita esse: fugio enim contentiones. Sed eo tamen animo sum, ut temeritati eorum, qui ad hæc audenda facile adducuntur, nihil sim ullo pacto concessurus. Factos Coss. optimos & justissimos viros, quorum sub tutela & custodia florebit civitas, summæ mihi est voluptati, & amo equidem omnes, sed cum duobus Helia & Papio, scis magnum mihi usum magnamque familiaritatem semper fuisse. Iis igitur tu plurimam meis verbis salutem. Nam quod

quod de sarto tecto divi Siffredi templo præstando decreverint, tu continuo ad me scribes. Honorati Ebredunensis hospitis nostri valetudinem magnæ tibi curæ fuisse, vehementer mihi gratum est, gaudeoque homini sanitatem esse restitutam. Eum ego bonum semper virum cognovi & amantem nostri, & dignum cujus causa laborem libenter suscipiamus. Omnino hæc humanitas, qua utimur erga omnes, cum laudanda per sese est, tum quum in benemeritos de nobis confertur, non solum laudem habet, sed mirificam etiam quamdam animi voluptatem. Nec vero cum multa sint mea quæ tu expressa in tuis moribus refers, quicquam mihi accidere in te potest optabilius & gratius, quem ista benefica & liberalis erga notos ignotosque, quam adhibes voluntas. Prolegatum arbitror in hortis nostris abs te bene fuisse acceptum, ejus ego nuntium comiter heic excepi, multaque dixi, quæ ad meam in illum declarandam benevolentiam pertinebant. De te quidem ipso ita cum eo actum est a me, & antea etiam a Florebello, ut ille in hanc totus opinionem discesserit, se a te non mediocriter diligi. Annibalem quæsisse novas nuptias non reprehendo, affinitatem probo. Doleo de Nicolao. Eorum utrunque salvere meis verbis jubebis. Nunc, ut de me ipso aliquid tibi scribam, ego invitus quidem in hac Urbe maneo, longe alieno loco a meis agendæ vitæ consiliis. Sed tamen firmo animo ad perpetiendum & ferendum, quoad offeratur mihi occasio honeste hinc discedendi, quam prætermissurus non sum. Neque eo dico, quod me quanti fiam ab hoc populo & ab hac curia pœniteat. Sed nihil mihi jam dulce

est

est, præter solitudinem & silentium. Itaque nec Carpentoracte, nec Felicianum, neque hortos jam quosvis tam mihi propono, quam locum aliquod solum ubivis gentium, in quo mihi deponere omnes harum rerum & temporum curas & sollicitudines liceat. Qua etiam de causa cupidius te requiro, quod mihi non videor quidquam agere recte sine assensu tuo, & sine communicatione tecum omnium rerum posse. Ego hoc ipso tempore, quo hæc scribebam, habitabam in ædibus quæ adjunctæ sunt templo Divi Petri cognomini ad vincula. Eæ enim mihi cum titulo una obvenerunt; & est earum tam prospectus quam opportunitas commodior, unum enim tantum ordinem cubiculorum habent, inter se pervium totum, tanquam longam lineam omni latitudine carentem; sed hoc inest commodi, quod in contignationibus quatuor, quibus domus in excelsum sublata est, in medio duo sunt ordines cubiculorum alter alteri superpositus, infimus locus culinis cellisque deservit, summa omnium est ambulatio longe lateque prospiciens, frons ipsa ædium ad Septentriones conversa. Itaque salubris locus existimatur, & matutinis deambulationibus accommodus, habeoque hoc præterea boni, quod vineæ nostræ Quirinali propinquus est. Quæ quidem vinea etsi a me satis accurate excolitur, te tamen longe studiosiorem quam me, & meliorem sui cultorem expectat. Hæc scripsi dans operam purgationibus, non enim satis belle me habebam, & hoc ipso die mane potionem acceperam. Hoc autem scribendi genere usurus tecum sum sæpius, si per calores & valetudinem licuerit. Nostri omnes in officio sunt. Camillus

no-

noster pudore, modestia, & pietate erga n
egregie mihi satisfacit. Is te eximie dilig
ac tuum adventum avide expectat. Sp
adolescentem magnæ nobis voluptati fore.
fac ut valeas, omnibusque amicis salutem n
cies, præcipueque Catharino nostro, qu
ego hominem facio quotidie pluris, magisq
& magis diligo, quemadmodum mihi vid
tur optimi ipsius mores & virtutes exim
mereri. Iterum vale. Romæ VI. Idus J
nii M. D. XLVI.

EPISTOLA CCCCXXXI.

J. SAD. NICOLAO PEITELLIO S. D. *Carpent*

Ejus in concionibus ad populum habendis piet tem & eloquentiam laudibus extollit.

PAulus ad me scribit, in eo obeundo mun re, quod rogatu meo suscepisti, te Carpentoractensibus civibus usque eo satisf cere, ut in sacris illis concionibus, quas populum habes, nec religionis studium arde tius, nec rerum copia uberior, nec oration subtilitas major desiderari posse videatur Itaque admirabilem ad te audiendum hom num cujusque generis, ætatis, ordinis co cursum fieri, ut prorsus numquam isthic qui quam majore hominum vel frequentia, v admiratione, ejus generis conciones habueri Quod mihi quidem qui præstantissimum ing nium tuum, pari vitæ integritate ac pieta conjunctum, isthic cum essem facile perspe minime mirum visum est. Non possum tam facile verbis consequi, quam id gratum mi & jucundum acciderit. Nihil enim vehemen tius studeo atque opto, quam illos homine

qu

quos fidei meæ commissos, paterno plane amore prosequor, his tam turbulentis temporibus, quibus multi quotidie a vera religione abducuntur, in recta erga Deum fide atque officio manere. Itaque cum tu ad eos continendos, tam fidelem tamque egregiam operam mihi absenti naves, incredibili quadam voluptate afficiar necesse est. Tibi vero eo nomine tantum debere me intelligo, quantum equidem vix posse unquam videor persolvere. Sed tamen & is primum, qui pias hominum actiones cœlestibus præmiis remuneratur Deus, cui tu in primis deservis, tam præclari officii tui amplissimam tibi mercedem reddet; & ipse non desistam quin tibi pro tantis tuis in me meosque cives meritis aliquam aliquando gratiam referam. Tu ut civitati isti pergas rectam, quemadmodum facis, salutis & immortalitatis viam ostendere, meque apud Deum precationibus tuis juves, uti mihi ad ecclesiam meam regendam redire, illius benignitate contingat, abs te vehementer peto. Vale, mi Peitelli Romæ M.D.XLVI.

EPISTOLA CCCCXXXII.

J. SAD. FLORENTIO VOLUSENO SCOTO, *Carp.*

Florentium in patriam reversurum hortatur, ut in suis civibus in fide Catholica continendis, omne studium atque operam conferat.

EUm qui superioribus diebus tuas ad me attulit litteras, testimonio tuo adductus, libenter vidi, opemque illi & studium meum detuli, ut multum apud me valuisse commendationem tuam facile intelligere potuerit. Nec te tua sane, quam de me habes opinio fefellit.

Sumus enim semperque fuimus ad bene de d
ctis probisque hominibus merendum, si mi
nus opibus & facultatibus instructi, at cert
natura studioque propensi ac parati. Te qu
dem, quem & optimis artibus eruditum,
in his de religione dissensionibus optime se
tientem semper judicavimus, eo quo debem
studio & amore prosequimur. Itaque qu
sententiam exquiris nostram, quam viam cu
in patria tua constiteris, in qua maximas
Religione contentiones esse scribis, insistere d
beas, nos id tibi consilii dabimus, quod & am
re nostro erga te & virtute ac pietate tua c
gnum sit, quod tamen a te jampridem captu
esse minimè dubitamus. Nam cum & sacræ n
litteræ & rerum eventus ipse docuerit, Eccl
siam Dei turbulentis hominum seditiosoru
consiliis perpetuo infestam esse & obnoxiam
nimirum id permittente Deo, quo heic bon
rum exploretur fides atque constantia; prof
cto dubium esse non potest, quin quod sancti
simi viri hujusmodi dissidiis & contentionib
exortis semper fecerunt, ut Ecclesiæ part
sequerentur, eique tamquam firmamento v
ritatis inniterentur; id hoc quoque tempo
optimus & gravissimus quisque facere debea
& sanctissimam parentem omni pietate & st
dio constantissimè tueri atque defendere. Et
nim summæ sit non dicam imprudentiæ, s
amentiæ, Catholica relicta ac deserta Eccles
ejusque perpetuo consensu, & tot sanctissim
rum patrum auctoritate contempta, eorum s
ctam sequi, qui impulsi odio & furore quoda
rapti, tam temere ac nefarie ab Ecclesia desci
cere, eamque vexare atque oppugnare ausi sun
Quos ut corrupti Sacerdotum mores gravissim
offe

offenderint, nequaquam ea tamen, aut alia omnino ulla turbandæ pacis & commovendæ seditionis causa justa esse potuit. Quamobrem te quidem nec consilio nec cohortatione mea egere arbitror. Sed tamen quando me, quomodo gerere te in patria tua debeas consulendum putasti, credo quo auctoritate mea consilium tuum confirmaretur; suadeo, hortor, & moneo, ut majorum nostrorum vestigiis insistas, atque ea, quæ statuit, decrevit, & tot jam seculis observavit Ecclesia, tamquam Spiritus Sancti, qui illi custos & veritatis omnis doctor perpetuò adest, decreta & instituta sanctissimè servanda esse censeas; utque hæc quæ tibi a Deo data sunt ingenii, doctrinæque munera, ad eos quibuscum vives in fide & vera religione (quantum in te erit) continendos sedulò, ut Christiano homine dignum est, conferas. Hæc profecto una rectissima ad æternam salutem via est, hanc qui insistunt, Deique & Ecclesiæ præceptis ac legibus obtemperant, ad illam quæ Christianis hominibus proposita est felicitatem sine ullo errore perveniunt. Sed hæc ut voluntati tuæ obsequerer, non quo te putarem de his rebus non optime & sentire, & tecum statuisse, jam attigi. Tu velim benevolentiam erga me tuam conserves, tantumque de animo & voluntate mea tibi polliceare ac spondeas, quantum virtus & probitas & vetus tuum erga me studium postulat. Vale. Romæ, MDXLVI.

EPISTOLA CCCCXXXIII.

J. SAD. HENRICO LUSITANO CARD. S. D. (a)

Illius gratiarum actioni respondet, explicatqu causas, ob quas dederat operam, ne ejus i Cardinalium Collegium cooptatio in aliu tempus differretur.

ACcepi literas tuas plenas humanitatis at que officii; in quibus quod mihi gratia agis, quod te mea sententia in sacrum colle gium nostrum cooptandum duxerim, ejusmo dique cooptationem non differendam in aliu tempus, quæ antequam locus mihi dicendi da tus est, in senatu sententia valere videbatur sed statim & in præsentia declarandam censue rim, facis tu quidem grato animo, agnosco que in eo humanitatem tuam, sed ego in e opinione sum, quæ claris & præstantibus viri officia tribuantur, ea non tam gratia ab iis qu tributa sunt, quam gratulatione ab omnibu celebrari convenire. Ego cum de tuis pluri mis magnisque virtutibus, quæ & ad doctri nam & ad religionem pertinent, multa sæp audis-

---

(a) Henricus hic Emanuelis Lusitaniæ regis filiu extitit. Natus anno 1501. quum jamdiu in Ecclesiasti ca militia & vitæ innocentia, & morum comitate, & gloria majorum, & religionis propagandæ studio unu omnium maxime floreret, absens a Paulo III. in Cardi nalium Senatum adscriptus est hoc anno 1546. Legati apostolicæ sedis in Lusitania dignitate a Julio III. & Pio IV. Pontificibus auctus, eundem regnum Sebastiano re ge nepote in Africano bello interfecto, obtinuit an. 1578. discessitque e vita Almerini anno 1580. pridie Kal. Fe bruarii eodem quo natus erat die recurrente. Consule Ciacconii opus tom. 3. col. 708.

audiſſem, quæ mihi penitus inſederant in animo, eſſeſque tu præterea ejus regis frater, quem nos pene unum vere Chriſtianum Regem hac noſtra ætate poſſumus appellare, purum atque integrum ab omni Chriſtiani ſanguinis macula, fidem Chriſti ſanctiſſimam longe lateque propagantem, quid mirum ſi omnes meas curas, omnes contentiones omnia ſtudia ad augendum honorem & amplitudinem tuam contuli? præſertim cum is ſim, qui erga tales animos incredibili quodam ſtudio benevolentiaque afficiar. Quamobrem quod ego feci, id ſummo veſtro merito a me factum eſt. Quod tu autem agis, ut mihi ex eo gratiam te debere agnoſcas, magis id bonitati tuæ, quam ulli meo merito æquum eſt aſſignare. Sed de his ſatis. Illud quod eſt in literis tuis ſcriptum, quodque ego plurimi facio imprimiſque expecto a te uti præſtes. Scribis enim te & fidei Catholicæ & ſedis Apoſtolicæ authoritati, quarum utraque magnis in hoc tempore procellis tempeſtatibuſque jactatur, paratum eſſe vel tuo ſanguine ſubvenire ſi ita res ferat, conaturumque id facere omnibus tuis opibus, hoc majore animo, quo iſte honos atque iſtius ampliſſimi ſacerdotii dignitas majorem tibi facultatem ejus rei gerendæ videtur allatura. Iſte animus tuus, Henrice optime, tuaque præſtans atque eximia in Chriſtianam Rempub. voluntas, ea eſt profecto, quæ te ſuperiorem omni honore facit. Tu vero ſubvenies (mihi crede) tuaque opera plurimum & authoritate Rempub. adjuvabis. Quid enim eſt quod tanta virtus non queat efficere, præſertim tot ornamentis fortunæ & nobilitatis adjuta? Sed initium tam præclari operis, niſi ego fallor,

tibi inde ducendum est, ut frater tuus, clarissimus Rex, veterem suam & suorum majorun omnium in hanc sanctam Apostolicam seden observantiam, quæ vestræ regiæ familiæ & no mini vestro maximam semper laudem attulit nullis hominum insidiis, nullisque machina tionibus patiatur interrumpi. Quod non scri berem, nisi mihi quædam intuenti, nonnull extimescenti, tu opportunissimo tempore visu esses vocatus ad eum honorem divino prop consilio, in quo tuæ partes præcipuæ futuræ es ent pacis & amicitiæ stabilis retinendæ. Quo quidem a tua virtute atque prudentia maxim expectandum est. Sed de his quoque plus etia satis. Extremum est, ut tibi omnia tua studi mihi pollicenti, non solum agam, uti debe gratias, sed pari voluntate & benevolentia it respondeam, ut amicitiæ fides & bonorum vi rorum mos & natura ipsa postulat. Quare si habeto me & permagni facere amorem erga m tuum & in omnibus rebus quæ ad dignitate tuam pertinebunt ea semper acturum esse eaqu sensurum ex quibus meus vicissim amor in t summus, & singularis observantia appareat Vale Romæ XII. Cal. Septemb. M. D. XLVI.

EPISTOLA CCCCXXXIV.

JAC. SAD. RANUTIO FARNESIO CARD. S.D. (a

Suadet Farnesio, ut non minus juri civili qua philosophiæ studeat; atque huic quidem no inchoatæ solum, sed ad fastigium usque sacr Theologiæ perductæ, assidue incumbat.

CApio non mediocrem curam debitam illa quidem egregiæ indoli tuæ, & ei opini ni, quam ego de te jamdudum maximam co

cepi

cepi, ut quæ commota est hominum expectatio (cum fere omnes in te & oculis & mentibus conversi sint) ea cum ingenii tui laude, tum virtutis & probitatis gloria expleatur. Quod etsi difficile videtur esse, quod nihil a te expectatur aut usitatum aut mediocre, tamen proprium est generis & præstantiis animi tui, eo velle conniti, quo nemo alius non modo pervenire, sed ne aspirari quidem posse videatur. Mihi quidem pro mea summa erga te benevolentia, sæpe desideranti congressum, atque conspectum tuum, & ob hanc causam te in Urbe videre cupienti, illa levatio desiderii semper proposita est, quod intelligo, te dum abes a nobis, id agere tamen & ei rei operam dare, ut cum Romam tibi fuerit revertendum, major multo ad nos atque ornatior redeas. Sic enim nobis de te pollicentur eximiæ ille artes, & præclara studia, in quibus tu, consentiente omnium fama, noctes & dies assidue versaris. Etsi (quod mihi magnæ füit admirationi) novus quidam hominum sermo percrebuit, avum tuum, & dignitate & sapientia omnium principem, tibi jam authorem esse, magnopereque suadere, ut omissis his liberalioribus studiis, ad jus civile perdiscendum te dedas? Nova res & mihi inexpectata, sed tamen, si ille ita vult, & si hoc illi statutum est ac deliberatum, nil contradico: parendum est summæ authoritati summæque potestati, præsertim cum nihil ille sine maximo consilio, maximaque ratione facere existimandus sit; sin autem, quod magis puto, magisque credibile est, non ille imperantis modo, sed veluti tentantis, & quasi communicantis, hac de re tecum locutus est, videlicet ut eliceret sensum animi

 tui,

tui, existimavi mei officii esse, quid in hac r
mei sit judicii, breviter ad te perscribere. Nan
si tu natus in fortuna tenui, exiguis ad ma
gnam dignitatem assequendam præsidiis mu
nitus esses, laudarem ipse etiam hujusmod
consilium, tibique ut ad jus civile te confer
res, author existerem. Est enim apta & om
nibus patens via, iis qui humilitate generis &
rei familiaris angustiis laborant, ab studio ju
ris civilis atque scientia ad magnos sæpe hono
res opesque perveniendi, neque aliam ob cau
sam jus civile discitur, nisi ut per illud ad ali
quam cognitionem hominum & meliorem for
tunæ conditionem veniatur. Tu vero qui il
lustriore multo ratione, nempe Dei immorta
lis beneficio, & virtute majorum tuorum, i
excelso & fortunæ & honoris gradu jam consti
tutus es, eaque adeptus sine ullo labore, a
quæ jurisconsulti tantis contentionibus aspi
rant, qui tibi nunc constes, si ineas istam
viam, quæ te eo deducat, quo felicitate qua
dam jamdudum es perventus? Non ergo tib
est jus civile percipiendum eorum adipiscendo
rum præmiorum causa, quæ illi studio præmi
proposita sunt. Habes enim illa & possides
neque tibi, ut ea quæ extra te bona sunt, con
sequare, jam est laborandum. Quod erg
tuum studium? Quæ debet esse animi tui con
tentio? Nempe mi Ranuti, ut ea addiscas
concipias, meditere, quæ teipsum majorem
quam tua fortuna est, efficiant. Aliter enim t
neque divinis de te ipso judiciis, neque hom
num expectationi satisfacere potis es. Cons
stit porro vera hæc & propria hominis magn
tudo duabus potissimum in rebus, quarum un
est ut te ipsum justitia temperantiaque exo
nes

nes, altera ut cæteros consilio & prudentia tua regas. Atque harum rerum neutram jus civile, utramque tradere & largiri philosophia potest, modo ea sit ingenue ac liberaliter, non inchoata solum, sed ad fastigium usque sacræ theologiæ & veræ Dei cognitionis perducta. Etenim si verum est, quod sæpe dictum est & quotidie dicitur, talem quemque fieri hominem, quales sunt res, & qualia studia, quibus ille delectatur & ducitur, quid potest a juris civilis scientia magnum præclarumque existere? in qua primum tenues sunt res & minutæ, in quibus tractandis animus occupatus, frangitur ipse quoque & comminuitur, ita ut vix amplum quippiam aut magnificum concipere postea possit. Deinde, id quod magis etiam animadvertendum est, ut de pecuniariis controversiis, quibus maxime tumultuatur atque agitatur hominum genus, judicia reddantur, quo in genere qui versantur, vel judicando, vel causas agendo, cum vident tantum hominum pecuniæ vel quærendæ vel retinendæ studium, ipsi quoque vehementiore aliqua pecuniæ cupiditate sæpenumero tanguntur. Quod unum ad adipiscendam animi virtutem, maxime homini infestum atque adversum est. Et sunt tamen ex numero jurisconsultorum clari aliqui & præstantes viri, quales in senatu nostro non paucos cernimus, aptos ad populos civitatesque regendas, verum illi bonitate ingenii & naturæ præstantia, non juris civilis studio tales effecti sunt, præsertim si ad legum scientiam, id quod plerique eorum fecerunt, optimarum quoque artium cognitionem addidere. Illud quidem certe non est inficiandum, probi jurisconsulti

munus humano generi esse perutile, quod
gum imperio & providentia, cohibita vi fra
deque, hominum inter ipsos societas cons
vatur. Sed tamen legum tota vis in re famil
ri sua cuique conservanda, non in homine ip
ornando magnificandoque consumitur. At pl
losophia relictis eis sollicitudinibus atque
ris, quæ ad compendium & quæstum per
nent, atque illis prorsus pro nihilo habiti
ipsummet suscipit hominem formandum
atque expoliendum, ut ex hac extractum co
muni infirmitate, quoad ejus fieri possit, sin
lem Deo constituat, nihil sibi quod externu
& fragile sit, avide appetentem, consulente
libenter cæteris, omnia sua bona in virtute p
sita ducentem. Quæ quidem virtus gratu
sit, nihilque foris quærat, quodque omni
summum & præstantissimum est, omnibus
rebus, quid deceat, intelligentem, quæ
una omnium difficillima generi humano scie
tia. Ille enim decori splendor, quo ad D
proxime imitationem accedimus, usque ad
hoc tempore oppressus & perturbatus est, av
ritia, ambitione, cupiditatibus cæteris, q
tenebis & caligine animos hominum infuscan
ut ne minimam quidem partem luminis sui v
deatur obtinere: qui tamen è philosophia b
nis ingeniis inserendus, atque insinuand
est, si qui videlicet sunt, qui verè magni v
ri & in seipsis perfecti homines cupiant evad
re. Nam quod ad regendos & moderand
alios pertinet, nulla est scientia, nulla a
omnino, ad hanc docendam prudentiam, qua
philosophia præstantior. Illa enim cum
consiliis præpotentis Dei vestigandis atque i
dagandis quotidie versetur, quibus ille hu
mu

mundi complexum tamque immensam molem & constituit ab initio divina quadam sapientia, & assiduè continet, vegetat, moderatur, verendum erit, credo, ne nos parum doceat, quæ sit ratio optima gubernandi & quemadmodum hominum cœtus, quas civitates appellamus, regendi a nobis sint, cum præsertim in eo genere nil melius agere possimus, quam ut omne nostrum consilium ad illa præcelsa & sempiterna Dei consilia referamus, qui ex illis bonis, quæ nobis suppeditat, nullum sibi ipse appetit, sed suis quibusdam majoribus multò longèque eximiis contentus est. Quam præclarissimam rationem nostræ virtutis ac prudentiæ in gubernatione populorum exercendæ, sola philosophia tradere nobis & docere potest. Quemadmodum est de Pericle Atheniensi scriptum, qui cum illam Rempub. quadraginta annos continuos rexisset, mirarenturque homines qui potuisset populum illum suapte natura admodum insolentem, & fastidientem crebro rectores suos, tam longinquo tempore gubernare, intellectum est, ea id ratione accidisse, quod Pericles Anaxagoræ in physicis auditor & in illa rerum naturalium scientia, percipiendis naturæ consiliis exercitatus & doctus, animum quem summis rationibus erudierat, prudentiamque quam maximam inde comparararat, ab illis altissimis rebus, ad hæc inferiora tractanda agendaque transtulisset. Sed quid ago? epistolam institueram scribere, ea autem crescit in volumen. Finem igitur faciam, teque &, orabo & hortabor, ut (quod avi voluntate fiat) ita ad philosophiam animum tuum applices, ut statuas ex illa, nec aliunde usquam, veram tibi laudem, veram-

ramque dignitatem acquiri oportere. Vale: Romæ XII. Cal. Octobr. M. D. XLVI.

EPISTOLA CCCCXXXV.

JAC. SADOLETUS S. R. E. CARDINALIS Gulielmo Pojeto (a) S. *Parif.*

Huic post maximas calamitates, & vitæ pericula tandem detecta calumnia suis restituto, gratulatur.

ET iis, quæ tibi dudum adversa evenerunt, pro nostra amicitia vehementer dolui, & nunc, quod audio te tibi esse atque tuis restitutum, pro eadem nostra conjunctione gratulor: etsi videntur fortunæ tuæ aliquid fortasse detrimenti accepisse. Sed in tanta tempestate & maximorum periculorum procella, quam tibi inimici & invidi tui concitarant, cum & caput, & fama, & fortunæ tuæ essent in discrimen adductæ, salvo capite quoquo modo evadere, magnum profecto fuisset visum: nisi illud etiam majus multo esset, quod in tantis inimicitiis potentissimorum hominum, tot insidiis, tam multorum contra te concordi & consentiente calumnia, ad extremum tamen innocentia ipsa tua, exitum sibi ac viam ad salutem invenerit. Quam ego tibi maximam eorum incommodorum, quæ cœpisti, consolationem esse non dubito. Quid enim nobis est interius, magisque conjunctum & quo lætari magis jure debeamus, quam conscientia cuique suæ bene actæ vitæ? quæ in quocumque inest, is & in adversis rebus intrepidus & in periculis fidens,

(a) Vide not. in epist. CCCLXVI. pag. 240. & 241.

fidens, & contra omnem calumniam fortissimo animo est, quemadmodum quidem te fuisse ipsa res est indicio. Equidem nunquam ipse de tua virtute ac fide dubitavi. Sed ut vulgus est hominum, apud quos Principum longe pollens & gravis est authoritas, ut quisque in crimen & in judicium vocatus est, ita statim non Regi, sed reo criminis culpa infertur, quasi ipsi Reges errare non possint. Quam nunc de te hominum suspicionem, si quæ fuerat suscepta, hæc rebus omnibus diligentissime excussis, post longam & gravem disquisitionem, tui liberatio penitus extinxit. Itaque qui antea virtutis tuæ lumen non bene perspexerant, postquam illa prodire in publicum, & certare palam cum injuria & cum iniquitate coacta est, vicitque tandem ipsa fraudem & improbitatem, non solum videant illud, sed laudent etiam & admirentur necesse est, ut major nunc quidem apud omnes vir appareas, quam paulo ante fuisti, tum cum in illa occupata & negotiosa vita, tamen eras maximus. Sed illic invidia, & æmulatio, & iniquorum fraudes plus potuerunt, quam integritas tua. In hoc autem otio ad quod es compulsus felici (ut ego quidem judico) & optanda calamitate, cum tantum valeas ingenio, quantum mihi optime notum est, sisque non juris civilis scientia duntaxat, sed optimis etiam & liberalissimis artium ingenuarum studiis instructus, quæ tibi maxime jucunda atque grata in tali tuo tempore esse possunt, teque (ut ante dixi) & casus tui & ipsorum inimicorum tuorum de te judicium, ab omni jam indigna suspicione vindicet, debes (opinione quidem mea) non solum pacato ferre ani-

animo ea quæ acciderunt, sed gaudere etiam & lætari, quod ex turbulento & agitato tot ambitionum ac insidiarum fluctibus mari, in tutum & tranquillum portum aliquando sis pervectus. Quod si (ut decet virum fortem magnumque) & senseris ita & egeris, cum meam pristinam de tua virtute opinionem confirmaris, tum istius tuæ firmitatis atque constantiæ uberem apud omnes fructum laudis feres. Ego sicut fides mea & nostra mutua benevolentia postulat, cum tibi defero quicquid in me est, aut opis ad levandum, aut ingenii ad consolandum incommodum tuum, tum tibi imprimis hoc esse persuasum volo, neminem te habere fortasse, qui tui amantior, quam ego sim, esse possit. Qui vero fidelius aut constantius amicitiæ memoriam tueatur, habere te quidem certe neminem. Vale, Romæ V. Idus Novemb. M. D. XLVI.

EPISTOLA CCCCXXXVI.

JAC. SAD. DIDACO MENDOZÆ S.P.D. (a) Ven.

Veteris amicitiæ memoriam per literas renovans, optat ut Cæsar, cujus Mendoza erat Legatus ad Venetos, una cum Pontifice Max. in Christiana Religione reparanda omne studium atque operam conferat.

AB eo tempore, quo tu me primum Carpentoracti vidisti, & cum illac iter per Italiam haberes, apud me invitatus familiarissime diversatus es, ego jam tum cognita & virtute & humanitate tua suscepi eum amorem erga te, quem etiam nunc summa cum fide tueor:

(a) Vid. not. in ep. CLXIV. part. II. pag. 68.

tueor: neque mihi longinquitas temporis quod postea intercessit, neque locorum distantia, quibus sejuncti fuimus, de meo judicio quicquam benevolentiaque imminuit. In qua te eadem puto & amoris constantia erga me mansisse & voluntate. Secuta sunt tempora quibus uterque nostrum ad varias deinde curas & actiones vitæ distractus est. Ego in hanc urbem bis, terve accersitus, quanquam ægerrimè a studiis artium optimarum divellerer, vitamque illam pristinam plenam suavitatis & otii commutare nollem, tamen Pontificis Max. imperio subire senatorii hujus muneris onus, & publicis negotiis me dedere compulsus sum. Tu Imperatorem Cæsarem secutus, cujus magnitudo plurimas orbis terræ & Christianæ Reipub. partes complexa est, probata illi fide, industria, & vigilantia tua, magnis ab eo sæpe rebus & negotiis præpositus es. Itaque ego ut proximè redii in hanc Urbem, a qua aliquot absfueram annos, cum cognovissem te legatum esse apud Venetos Cæsaris, munusque illud egregia quadam cum dignitate & gratia sustinere, cogitavi illico scribere aliquid ad te, & renovare illius primæ congressionis nostræ per literas memoriam, ut si tu vinculum illud initæ tunc inter nos amicitiæ firmum retineres, ipse quoque tibi ostenderem, me non esse tui neque nostræ conjunctionis oblitum. Sin te fortè graves aliæ occupationes atque curæ ab hac de me cogitatione abduxissent, ut insinuarem rursus me tibi, antequam totus planè ex animo tuo effluerem. Scito igitur me nunc Romæ esse, implicitum quidem his solicitudinibus atque curis, quas & rerum omnium perturbatio, & durissima tempora Reipub.

pub. ferunt. Quanquam in hac occupatione animi atque molestia nitor eum tenere cursum, ut non in sermonibus solum communibus qui quotidie incidunt, sed etiam sententiis in Senatu dicendis meus in Rempub. sensus meumque judicium appareat. Non enim desino hortari & monere, rectè jam agi necesse esse omnia, si salvam Christianam Rempub. sistere velimus, & veterem illam sanctitatem Christianæ religionis in mores & studia hominum revocari oportere, in qua imprimis sententia Pontifex ipse Maximus est. Itaque datum ab eo est & legatis qui præsident, & concilio patrum qui convenerunt, negotium, ut consulant ipsi & considerent, quæ videantur esse corrigenda, quod eorum monitis atque consiliis ipsius diligentia & authoritas minime defutura est. Quamobrem venio magnam in spem, bene actum iri cum rationibus publicis si & Cæsar tuus una cum Pontifice in hoc incubuerit studium, ut in reparanda religione Christiana & Repub. communis quoque pacis & omnium dignitatis ratio habeatur, quod sublatis odiis dissidiisque, illaque æquitate animi moderationeque suscepta, quæ Christianis principibus maxime digna est, ipso juvante imprimis & opem ferente Deo, si eum nos piè deprecati fuerimus non difficiliter poterit obtineri. Verum hæc ad ejusdem Dei præpotentis arbitrium summumque concilium rejicienda sunt. Quod autem ad privatum nostrum officium pertinet, ego te mi Didace, non solum diligo, quod jam pridem facere institui sed etiam in oculis fero, quod meis optatis de te tua virtus atque industria mirificè respondit. Petoque a te, ut quoniam propiores

res jam sumus, quam fuimus, facilisque est inter nos missio literarum, ne me tuarum rerum inscium atque expertem esse sinas: scribasque interdum ad me, fructumque hunc vel amoris, vel humanitatis tuæ mihi tribuas, ut ex literis tuis intelligam me tibi esse cordi. Quanquam (quod mihi fuit molestissimum) audivi te laborare quartana febri. Sed fretus prudentia tua & verni temporis auxilio, quod jam appetit, confido tibi celeriter futurum quemadmodum cupimus, nempe ut valeas, firmusque sis. Quod ex sententia tibi & tua & nostra ut contingat, Deum rogo supplex atque oro. Vale mi Didace. Roma M. D. XLVI.

EPISTOLA CCCCXXXVII.

JAC. SAD. AONIO PALEARIO S. (a)

Primum de suis ac Bembi pro eo litteris commendatitiis ad Cardinalem Guidiccionium agit, deinde hominem hortatur, ut quæ de moribus a Peripateticis scripta sunt, latina oratione illustret.

EX iis literis quas ego, & Collega meus ad Cardinalem Guidiccionium (b) dedimus

(a) De Paleario vide not. in epist. CCXXXVI. part. II. pag. 363.

(b) Bartolomæum scilicet Lucensem Antistitem, virum generis nobilitate, morum integritate, Theologiæ & juris Civilis scientia nulli secundum. A Paulo III. (cujus antequam Summus Pontifex crearetur contubernalis extiterat) Romam accersitus, primum conferendorum Sacerdotiorum Præfecturam obtinuit, mox in amplissimum ordinem descriptus, signandisque justitiæ & gratiæ libellis præpositus, major tandem Pœnitentiarius, Pontifi-

mus, intelligere potes quantum te amemus; quantique faciamus: neque enim majore pietate testimonium dare potuimus probitatis, ingenii, animi, studiorumque tuorum. Maluisset Bembus istas ipsas literas scribi ad Senatum populumque Lucensem, quod mihi quoque perplacuisset, si istorum hominum ingenia, mores, voluntatesque cognosceremus. Veritus sum ego, suspiciosam fore commendationem, quæ ab iis proficisceretur, quibuscum nullus fuisset usus, nulla necessitudo intercessisset, præsertim cum in epistola ad me scripta significares, id unum te petere, quod maxime vellem, maximeque scirem tibi esse necessarium, quod cum Bembus quoque legisset, facile ivit in sententiam meam. Optamus tibi salutares esse literas nostras, quæ cum ad te perlatæ fuerint si Guidiccionius Luca discesserit, tuum est curare ut aperiantur, & recitentur in Senatu, ut qui tibi sunt infensiores intelligant, se pusillorum, & malevolorum obtrectationibus, nullis satis justis de causis fuisse commotos. Qua in re tu singulari quidem, ut dicis, es fato, & propterea fecisti sapienter, quod ab iis artibus, quarum a puero fuisti studiosus, auxilium petisti, quæ cum sint liberales, nunquam commisissent, ut quæ ab eis sæpe adjumenta accepisti, ut cæteris opitulari, & alios servare posses, tibi defuissent.

tificis Max. in Urbe Vicarius, & Lucensis Episcopus electus; ut vivens ætati suæ Christianæq. Reipublicæ præsenti consilio, ita post mortem præclarissimis relictis ingenii monumentis plurimum posteritati profuit. Natus anno 1469. obiit v. Kal. Septembris anno 1549. Vid. Ciacconii opus tom. 3. col. 670.

sent. Scripsisti orationem pro te ipso inprimis ornatam, & gravem, numeris quidem omnibus absolutam, in qua tu mihi tonare, & fulgurare videris, neque id assentatorie. Præteriri sine scelere non possunt tuæ laudes, quas ignorare, imperiti hominis est; improbi dissimulare tacendo. Causa nulla est, cur prudentissimo (a) viro, & mihi amicissimo mentiar: verissime tecum ago: cum tua lego sic afficior, ut inflammer, & impetu quodam rapiar vehementis orationis, quæ veluti amentata hasta magnis viribus contorta, fertur, & varietate numerorum incredibiles motus ciet. Ad egregias ingenii tui dotes, hæc etiam accedit: divino illo poemate a me nunquam satis laudato, quid versibus posses intelleximus. Nunc difficile est judicare, utra facultate plus valeas, poetarum, an Oratorum. Laudati sunt quidam superioribus annis, quod in hac, atque in illa excellere viderentur, quibus tu sic cultu, & vero etiam castitate orationis anteis; ut cum illorum scripta cum tuis confero, cætera ut omittam, non modo ornatè magis; sed latinè loqui solus videare. Quod scribis te vereri, ne quem offendas, quod cum miserabiliores epilogos velles elicere apud P. C. Reipublicæ Senensis, ad quos oratio est, mentionem Bernardini Ocelli feceris desiderii plenam; nemo est in dicendi arte mediocriter versatus, qui non videat, id tibi propositum fuisse in peroratione, ut commoveres, & incenderes cives, civis cupidissimos: nihil est quod metuas, sunt enim omnia abs te accurate, & prudenter scripta. Quid? quod ego tibi

(a) In edit. Amstelædamen. *pudentissime*.

tibi ſum teſtis, cum in Galliam legatus proficiſcerer, me Senas veniſſe, ubi, & tibi aſſui, & commendavi te Antiſtiti majorem in modum; tum primum fuiſſe rumorem de Ocelli fuga, incerto adhuc authore, nec ſatis conſtantem, quo tempore ſi tu cum ſcriberes iſtam orationem, cujus principium mihi legiſti, eadem vel ſperaſti, vel deſideraſti, quæ omnes qui popularem illam Ocelli eloquentiam norant; quis te reprehendat: cum ſit potius obſervandum, quæ tu ab illo fieri voluiſſes, quam quæ ille multo poſt aut dixerit, aut fecerit. Quod ſi hæc commendationis conditio eſt, ut præſtare debeamus omnia, quæ uſquam gentium ab eo quem amice nominaverimus dici fierique poſſunt, nulla erit laudatio periculo vacua; nulla officia humanitatis, nulla munia amicorum. Ea re cum magnæ ſæpe perturbationes ab iis profectæ fuiſſent, qui nec clementia, nec æquitate, nec conſuetudine majorum noſtrorum de Scriptoribus judicarent, ſapientiſſime feciſſe videtur Paulus Pontifex, quod præfecit ſcriptionibus rerum divinarum doctiſſimum & temperatiſſimum virum, in cujus gratiam cum ego & Bembus ponere te vellemus, dixit is, ſe ſuperiore anno accepiſſe abs te literas, veluti interpretes humanitatis, & pietatis, & propterea profiteri, & polliceri ſingulare ſtudium, ut quæ a nobis tibi prompta eſſe ſciret, a ſe eſſent paratiſſima. Sed ego te meo & Bembi nomine non modo hortor, ſed rogo, (audi homines tui amantiſſimos) quoniam in ea tempora incidimus, quibus non quid ſentias, ſed quid calumnientur quidam maxime obſervent, ut iis ſcriptionibus te exerceas, quibus incitetur, non impedia-

pediatur cursus ille nobis non ignotus animi tui. In eam civitatem venisti, quæ optimis legibus, & moribus instituta dicitur, quid est quod animum, ut civibus gratum facias, ad ea non appellis, quæ de moribus a tota illa familia Peripateticorum tuorum sæpe scripta, nunquam apte oratione Latina illustrata sunt, nihil opus est, ut ea colligamus, quæ tu jam vides, sunt quidam aversissimo animo a Scriptoribus. A Peripateticis interpretandis, aut illustrandis nullum periculum est, postremum illud, ut tranquillitati servias; nam qui studia, vitam, mentem, voluntatem tuam novimus, quam qui semper vixerint tecum, nunquam auderemus ea legere, aut attingere, in quibus de nobis perhonorifice scribis, & amicissime opinaris, si te desereremus. Vale.

ANNO M. D. XLVII.

EPISTOLA CCCCXXXVIII.

JAC. SAD. GABRIELI PALEOTO S. D. (a) *Bonon.*

Paleotæ familiæ laudes celebrat, ac summum, quem ex obitu P. Bembi Card. conceperat dolorem, multis explicat.

ACcepi literas tuas testes cum ejus ingenii, quod ego in te summum esse audio, tum etiam officii atque amoris, quem erga optimum

---

(a) Gabriel Paleotus Bononiæ nobili genere natus, adolescens prinsquam honoribus operam daret, Jus Cæsareum in patria magna nominis celebritate publicè docuit; cujus in Ecclesia Sacerdotium, *Canonicatum* vulgo dicimus, obtinuit. Romam primum demigravit ob dome-

mum & clarissimum virum mortuum, quemque in me ipsum habere te ostendis, quorum utrumque nequaquam mihi quidem prætei opinionem accidit. Cognovi enim semper vestram familiam cùm ingenii & litterarum laudibus, tum probitate & in amicos observantia, in ista civitate facilè excellere. Quæ penè propria & domestica ornamenta tui generis in te ipso non relatum solum, sed etiam cumula

domesticas quasdam molestias Paulo III. Pontifice Maximo. Huc ex Gallica legatione decedens Alexande Farnesius Cardinalis quum venisset, Gabrielem Vasic nensium regioni in provincia Avenionensi præfecit. I patriam reversus, multorum annorum spatio pristinut docendi juris munus exercuit, quo usque a Paulo IV ap Urbem accersitus, inter XII. viros gravioribus cau sis judicandis adlectus est. Postea a Pio IV. Tridentum ad Synodum missus, magni ejus opera æstimata e in eo omnium Christianæ reipublicæ Præsulum conventu Atque hujus quidem Concilii actorum plenissimam orna tissimamque historiam scribere instituisse; eamque pr manibus habuisse Odoricum Raynaldum in Ecclesiastic Annalibus conficiendis, memoriæ proditum est. Inde i rediit Paleotus, ab eodem Pontifice Pio IV. in sacrui purpuratorum Patrum Senatum cooptatus anno 1565. in nova dignitate exercenda ita se gessit, ut omnes eju animi magnitudinem ac Senatoriam in sententiis dicendi libertatem admirarentur. A S. Pio V. Bononiensis Episcopus factus, severè sanctèque præfuit ei potestati. Na & Synodos quotannis celebravit, & Seminarium Cleri corum ac gymnasium instituit, & in corruptos Sacerdotun mores animadvertit, & in cœnobiis virginum disciplinar restituit, & multas res novas in edictum addidit juxt Tridentini Concilii sanctiones, qua re luxuria ac præ sertim ludi & coreæ festis diebus reprimerentur. Præterea societatem quamdam *perseverantiæ*, domumque pr Cathecumenis & mendicantibus erexit. Cathedral Tem

mulatum iri confido atque opto. Quod autem scribis in litteris tuis te arbitrari, collegæ mei vel fratris charissimi potius Petri Bembi Cardinalis importuna morte me graviter afflictum & prostratum jacere, non fallit in eo te opinio tua. Nihil enim mihi potuit evenire acerbius, quam divelli ab eo, cujus ego amicitiam fraternamque conjunctionem quatuor & quinquaginta annos inviolatam tenueram; quem pro-

---

Templum & Episcopalem domum instauravit, curavitque, ut Bononiensis Ecclesia in Archiepiscopalem Sedem a Gregorio XIII. erigeretur. Cunctis denique Ecclesiasticis redditibus in pauperum opem erogatis, sanctissimi omnibusque numeris absoluti Præsulis muneri egregiè cumulateque satisfecit. Ab adolescentia usque ad extremam ætatem reipublicæ causa suscipere inimicitias non destitit. A multis tentatus, non modo nullum existimationis fecit detrimentum, sed etiam virtutum laude crevit. In omnibus quidem rebus singulari fuit prudentia & industria. Nam & Cardinalis optimus, & Episcopus solers, & Reip. peritus, & probabilis orator, & magnus Juris consultus & cupidissimus literarum fuit. In quibus quantum progressum fecerit, quæ posteris reliquit, præclara ingenii monumenta testantur. Adolescens enim de nothis & spuriis docte & acute scripsit. Senex libros duos de sacris & profanis imaginibus, nec non alium de Consistorialibus consultationibus, volumen item de bono senectutis confecit, aliaque ad Episcopale regimen pertinentia, in queis multa industria & diligentia comparet, multa pietas atque doctrina. Obiit Romæ anno ætatis suæ LXXV. & salutis humanæ 1597. XI. Cal. Augusti. Hujus vitam ab Augustino Bruno diligenter elegenterque descriptam, atque a Mabillonio ex ms. codice Bibliothecæ Vallicellanæ erutam, publici juris fecerunt viri cll. Edmundus Martenius & Ursinus Durandius Presbyteri Benedictini *in Collect. Veter. Scriptorum & monumentor. tom. 6.* col. 1386. Quare ad illud volumen Paleoti studiosos delegamus.

propter ipsius præstantissimas virtutes
mamque humanitatem, probitatem, s
tem singulari quodam & penè inaudito
prosequebar; quocum eram omnibus
diorum eorumdem & voluntatum, tam
miliaritate & consuetudine nostra, q
ipsa Republica vinculis & necessitudinib
strictus: ut eo mihi nunc erepto, solu
& ab omnibus desertus esse videar. I
non possum non dolere casum meum. N
lum quidem lugere non esset fas. Cave
putes quemquam unquam ulla in gent
tempore vixisse tam beate, quam Petrus
bus est mortuus, sive divinæ in eum be
lentiæ indicia spectentur, sive humana

(a) Eadem de beata Bembi morte exprimit ip
doletus in sequenti epitaphio, quod in cariss im
obitum descripsisse diximus in not. ad epist. CCG
pag. 128.

DEO IMM. S.
Et virtuti ac memoriæ
PETRI BEMBI Patritii Veneti S. R. E. Ca
cujus ingenii, litterarum, eloquentiæ
gloria
in suo sæculo princeps
& antiquorum laudibus par,
gratia autem in amplissimo ordine,
in moribus
probitas, humanitas, liberalitas
supra communem modum
semper existimata sunt.
Quod de ejus vita hominum judicium,
beata mors
sanctissime ab eo & pacatissime
obita
divino quoque confirmavit testimonio.
Vixit annos LXXVII.

Quæ magna quidem mihi est consolatio, sed nequaquam adhuc mœrori meo par. Verum dabimus operam, quoad Deo adjutore poterimus, ut dolorem minuamus, qui est imbecillitatis, memoriam autem talis viri, id quod ad fidem amicitiæ & ad illius virtutum gratam còmmemorationem pertinet, assiduam retineamus. Tu mi Paleote perge, ut cœpisti, atque ita te confirma, ut ei expectationi, quæ magna de te concitata est, speique tuorum cumulate satisfacias. Fratribus tuis humanissimis ac suavissimis Galeatio, Camillo, & Astori, plurimam a me dic salutem. Vale. Romæ IV. Nonas Februarii, M. D. XLVII.

EPISTOLA CCCCXXXIX.

JACOBUS SADOLETUS S.R.E. CARDINALIS

Christophoro Madrucio Card. S. P. D. (a)

Eum in obitu fratris consolatur.

CUm huc esset allatum, fratrem tuum Alipandrum, virum clarissimum, diem suum obiisse; etsi ego quoque hoc nuntio graviter eram perturbatus, quod & illius mortui virtus & mea in te benevolentia communem mihi eam calamitatem faciebat, tamen non alienum duxi amicitia esse & conjunctione nostra, quæ mihi venirent in mentem ad tuum dolorem levandum, aliqua ad te perscribere. Non quod dubitarem, quin a te ipso commode & sapienter id fieri posset; sed quia forsitan dolore in præsentia impeditus, minus illa perspiceres. At-

(a) Consule quæ de Madrutio habentur paullo superius in notis ad Epist. CCCCXIX pag. 423.

que ego, cum te ipsum absens intueor anim
& contemplor, cumque de virtute tua, de u
rerum maximarum, de optimis artibus, qu
bus es egregie & liberaliter instructus, cogit
vix videor posse credere, te cedentem fortu
oppugnationibus de statu discedere gravita
tuæ. Rursus, cum mecum reputo quem v
rum amiseris, cujusmodi tibi frater sit e
ptus, quo & quam insigni lumine atque orn
mento orbata sit domus & familia tua; co
ignoscere humanitati, & veniam dare, si m
lius fortasse aliquanto fers, quam constans
firma ratio magni hominis postulet. Sed t
men si quid tibi res novæ accidisset, quod ap
cæteros esset inusitatum & insolens, posses j
re tu quidem propriam adversus te fortunæ i
juriam accusare. Sed si hoc omnibus plane
propositum, ut moriendum sit; neque ullu
in eo inter claros & obscuros, senes & adol
scentes, bonos & malos omnino discrimen e
cur mœremus illius obitu, qui explevit su
ætatis cursum, si non annorum numero,
certe rebus gestis, & magnitudine honorum
quos summa cum laude est adeptus? An n
vides & cogitas, non modo in longa, sed m
diocri etiam in ætate, omnibus prope mort
libus usu hoc venire, ut circumfusi strage am
corum & benevolorum, quos variis casibu
amiserint, desertam prope a prioribus nece
situdinibus, quæ maxime solent esse jucund
reliquam vitam degant? Quod mihi quide
hoc tempore præcipue & præter cæteros acc
dit: qui & multis antea partim cognatis, par
tim hominibus amicissimis & jucundissimis,
proxime duobus prope animi mei pignoribus
Bembo meo, & Victoria Columna sanctiss
ma

ma, atque omni tum animi tum ingenii laude præstantissima fœmina (a) privatus sum. Sed quis finis lugendi sit, si cunctos quos amavimus velimus amissos mœrore diutius & lacrymis prosequi? Nos vero tollamus potius animos ad immortalitatis spem: & illud cœleste regnum quod nobis Deum in Christo rite colentibus, ab eodem Deo oblatum propositumque est, omnibus nostris viribus studeamus adipisci; intelligamusque nos ad agendum res præclaras, non ad plorandum esse natos. Sicut & ipse frater tuus optime intellexit, qui in omnibus vitæ suæ consiliis & actionibus, non ut diutissime vivere posset, sed ut fortem & illustrem vitam ageret, semper est meditatus. Quem nunc ablatum nobis & in eam vitam, quæ multo melior est multoque præstantior, cum suarum virtutum merito, tum divina imprimis benignitate translatum, laude quidem debemus & pia commemoratione, non autem lamentis & complorationibus prosequi. Qui si vixisset, teque, quod potuit accidere, antea se vita functum lugere necesse habuisset; nonne vides, qua ille in te fuit pietate & benevolentia, quam duram & asperam fati conditionem subiisset? qui nunc ab omni ejusmodi cura periculoque solutus, in summa gloria felicitateque versatur. Atqui si illum amabas, ut profecto amasti, patere quæso meliorem hoc esse illius conditionem, quam tuam, quod ille in vera perpetuaque lætitia, tu inani nunc in dolore es positus. Quem tamen dolo-

 rem

(a) De Victoria Columna, vide not. in epist. CCCXLV. pag. 172. & 173.

rem dies tibi ablatura est, etiam si ratio virtus tua cessaverit. Quapropter vide qui tibi sit necesse: omnes de te ita opinamur sentimus, ut de fortissimo & constantissimo ho mine sentiendum est. Qui si tuis tot aliis egre giis ornamentis, hanc unam deesse virtute senserimus, patientiam in rebus adversis, in retinenda animi firmitate constantiam; ne nos quidem mirabimur, humanum enim h & commune est peccatum: veruntamen non m gni illius est viri, quem & tu præstare te debe & nos optare ut talis ab omnibus esse cogn scaris. Ego benevolentia erga te inductus, h ad te pauca scribenda mihi duxi: quibus mu to plura & meliora, & ingenium tuum, & qu bus semper operam dedisti, doctrinæ stud tibi suppeditabunt. Quod si aliquid erit a his literis effectum, quod valeat vel ad mi gandum dolorem tuum, vel ad virtutem an mi excitandam; habebo amicitiæ nostræ m gnam gratiam, quæ hoc ut facerem non solu suasit, sed etiam impulit. Sin autem tua pr dentia ista non requirente, ego minus neces rio officio fuero functus; tu tamen pro tua h manitate & bonitate hæc nostra ab optimo a mo & propensissima erga te voluntate profe accipies. Reliquum est, ut tibi redigam memoriam, me ab eo tempore quo te am cœpi, tuis humanissimis literis provocatu mansisse semper in amore & mansurum ess atque ita, ut dies potius allatura semper a quid incrementi sit, quam quicquam de m in te singulari benevolentia detractura. Val Romæ, III. Idus Martii M.D.XLVII.

FINIS.

SERIES
VETERUM EPISTOLARUM
IN LIBROS DISTRIBUTARUM

Numero quem in hac editione obtinent respondentium.

(*Arabicus numerus veterem*, *Latinus novum ordinem denotat*.)

LIBER I.

1. Poſtquam veni: *reſpondet epiſt*. LXV.
2. Si vales gaudeo. LXVI.
3. Diu eſt, quod. LXXV.
4. Noli admirari. LXXXI.
5. Ex eis literis. LXXI.
6. Paulus ad nos reverſus. LXXXII.
7. Quod cognovi. LXXXIII.
8. Joan. Franciſcus Binus. LXVIII.
9. Novem menſes. LXXVIII.
10. Tuis literis. LXXX.
11. Accepi tuas literas. LXXXVII.
12. Legi tuas literas plenas. LXXVII.
13. Cum veniſſem. LXXIII.

LIBER II.

1. Subitus diſceſſus. CI.
2. Quod excuſationem. CXVII.
3. Gratum eſt mihi. CXXIX.
4. Cum haberem plus. CLVIII.
5. Cum Avilam tuum. CLIX.
6. Commodum recognoveram. CLXI.
7. Non ſcribo tibi, ſero. CLXXIX.
8. Superioribus proximis. CXXV.
9. Quantam voluptatem. XC.

LIBER III.

LIBER IV.

LIBER V.

LIBER VI.

LIBER VII.

LIBER VIII.

LIBER IX.

LIBER X.

LIBER XI.

LIBER XII.

8. Ac-

LIBER XIII.

LIBER XIV.

1. Adventus huc Poli. CCCXX.
2. Noli putare me. CCCXVI.
3. Non oblivione. CCCLXXXV.
4. Ne me forte putes. CCCXLII.
5. Non sum ausus. CCCXXXVII.
6. Qua tu virtute, qua. CCCLXI.
7. Accepi literas tuas. CCCIX.
8. Jucundissimæ mihi literæ. CCCXXXIV.
9. Primum tibi. CCCLXXXIV.
10. Non potui perferre. CCCXIV.
11. Maxima mea. CCCLXXV.
12. Accepi literas tuas. CCCLXXVI.
13. Ut primum otium. CCCLXXVII.
14. Cum legissem comment. CCCLXXXVIII.
15. Jacobus & Martinus. CCCLXXIII.

LIBER XV.

1. Cum esset nuntius. CCCLXIII.
2. Vellem posse ad te. CCCXXIX.
3. Te honorifico Pont. M. CCCCXII.
4. Mutua nostra. CCCCVIII.
5. Etsi ratio officii. CCCCIX.
6. Antonius Florebellus. CCCCXI.
7. Cum scriberem ad. CCCCXXVII.
8. Longum intervallum. CCCCXV.
9. Quæ in hanc Urbem. CCCCXXVI.
10. Capio non mediocrem. CCCCXXXIV.
11. Ad eum amorem. CCCCXXIX.
12. Cum huc allatum. CCCXXXIX.
13. Joan. Marsupinus. CCCCXIX.
14. Ab eo tempore. CCCCXXXVI.
15. Accepi literas tuas. CCCCXXXIII.
16. Literæ tuæ, quas. CCCLVII.

LI-

LIBER XVI.

LIBER XVII.

IN VERONENSI EDITIONE ADDITUS.

12. Tu

LIBER UNICUS

Ad Paulum Sadoletum.

INDEX

Eorum ad quos datæ sunt Sadoleti Epistolæ.

(Numerus Romanus Partem sive volumen, Arabicus paginam indicat.)

PUC-



INDEX
Illorum qui ad Sadoletum litteras scribunt.

(Notæ Romanæ Tomum, arabicæ paginam ostendunt.)

ME-



II

INDEX
NOMINUM
ET RERUM
IN TRIBUS EPISTOLARUM FAMILIARIUM VOLUMINIBUS OBVIARUM.

(Romanus numerus Partem sive volumen, Arabicus paginam denotat.)

A

B

C

Fa-

Gra-

H

N

Pighius

Reu-

Va-

Urbi-

Z

FINIS.

